


Google


TAYLOR INSTITUTION
DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA



PASQUAL.

VINDICIÆ LULLIANÆ,

SIVE

DEMONSTRATIO CRITICA.

TOMUS III.

VINDICIÆ LULLIANÆ,

SIVE

DEMONSTRATIO CRITICA

IMMUNITATIS Doctrinæ illuminati Doctoris B. RAYMUNDI LULLI Martyris, ab erroribus eidem à Nicolao Eymerico impactis, à Censuris ab Albitio Cardinali relatis; reliquisque aliorum lituris.

FUNDATA

In collatione textuum LULLI, *ex quâ proprius ostenditur Catholicus sensus, & in consensu Doctrinæ, imò, & modo loquendi ejusdem eum Patribus, & Doctoribus Sacris:*

CUI SUBNECTITUR

Explicatio aliorum quorumdam textuum, quibus aliqui fortè possent offendi.

IN QUATUOR TOMOS DIVISÆ.

AUCTORE,

D. D. ANTONIO-RAYMUNDO PASQUAL, Monacho Cisterciensi, in Regiâ Lullianâ, Baleari Universitate, Philosophiæ & Theologiæ Doctore; post Philosophicam, Cathedræ Theologicæ Lullianæ primariæ, vespertinæ, Moderatore, Congregationis Cisterciensis Aragonicæ Magistro, iterumque Definitore, ac Monasterii B. V. Mariæ de Regali, Ex-Abbate.


TOMUS TERTIUS.



AVENIONE,
Apud J. GARRIGAN, Typ. Bibliop. in Vico Sancti Desiderii.



M. DCC. LXXXVIII.
SUPERIORUM PERMISSU.





VINDICIÆ LULLIANÆ,

TOMUS TERTIUS.

De immunitate Doctrinæ B. RAYMUNDI LULLI, Doctoris illuminati & Martyris.

AGITUR PRÆCIPUE

De Censuris, quas Cardinalis Albitius, Lib. de Inconstantiâ in fide, cap. 40, à num. 142, *latas à quibusdam Romanis refert, à quibus B. Lulli Doctrina omninò libera demonstratur.*

SYNOPSIS CAPITIS.

SI ex solo argumenti apice, quis attonitè, quàm magnam arduamque provinciam me adoriri prospiciat, non tamen ut tantis, doctissimisque viris me comparem opinetur, aut credat: (me enim undique imparem cerno:) sed quia tot Censurarum capita, ab his eruditissimis Theologis adducta minimè in B. Lulli scriptis inveniantur; & Magistri honos cùm sit naturæ ac pietatis jure, à Discipulis defendendus; ideo licèt exiguus, veritatis tantùm zelo, & amore mei Doctoris indutus compellor ad litem, ut rei veritas clariùs elucescat: *omnes quidem diligimus veritatem*, ait August. Libr. contr. Mend. *& nemo vult falli.* Nemo igitur, me ex procacitate, aut pe-

tulantiâ palæstram ingredi subsannet; de veritatis enim honore agitur: cumque oppressa & quasi in ergastulo veritas posita ab his Censoribus teneatur, & queratur, & clamet, solùm *gestiens ne ignorata damnetur*. Mandat Clemens XIII ut audiatur, & itèrum B. Martyris Lulli examinentur opera; coactor igitur nimis, & etiam me urgebo, ut à tot acerbis, injustisque censuris mei Præceptoris Doctrinam solvam, & solutam (quantùm in me est) educam, & gloriosam in palam faciam.

Sed Censores, plures, ac me pluris scientiæ sunt, qui illam ligatam tenent? Verum; nec eorum pluralitas me terreat; quia non ideò infallibiliores, nec minùs fallibiles quia plures: plures enim fuêre in Ariminensi Concilio qui Athanasii Doctrinam damnarunt, veritate in toto Orbe ingemiscente; sed processûs recognitione factâ, absolutus est Athanasius, & plures errasse compertum est. Nec Censorum scientia, ac in judicandis solertia, meum ab incepto dimovent animum: quoniam gnarus quidem fateor, in una facultate quis esse potest, & valdè in aliâ ignarus, quæ tamen ad benè judicandum necessaria est, quam si non habuerit, totum judicium inficiet: ecce Orientales, & Græci Patres zelo fidei, Doctrinâque præstantissimi, quia Latini idiomatis omninò ignari, ait Augustinus, Pelagiana dogmata artificiosè in libello latinè conscripta (Pelagii opinione decepti) in sua Synodo approbarunt, & in Christi gratiam censuram protulerunt. Raymundi libros partìm latinè, partìm linguâ cathalonicâ (vel ut malunt alii) lemovicensi, aut goticâ antiquâ conscriptos, sicque Romam missos esse constat: quæ quidem lingua etiam indigenis tunc ignota, utpotè obsoleta erat, (uti etiam nunc est,) ita ut ferè nemo inveniatur (nisi ex peritioribus sit,) qui eam vix intelligere, & sine erroris periculo loqui queat. Perfecte-ne igitur, aut satis, quamvis aliàs Doctissimi Censores nostri difficillimum hoc cathalonicum idioma callebant, ut censuras suas sine erroris periculo ferre possent? Eymerico quidem natione Cathalano licèt illis proximiori temporibus, quibus magis hoc idioma vigebat, etiam falli contigit; quantò magis illis? Cathalani enim, ac Majoricenses Romanam linguam (licèt faciliorem) comprehendere nequeunt; quomodo ergo Romani eorum linguam antiquissimam & obsoletam intelligere potuerunt?

Lulli methodus aliùndè, à quibusdam, ut vidimus à Gersone in Chron. Proëctesi, tom. 2, ut obstrusa, difficilis, & *in Scholis inusitata* non approbatur. Fuit-ne igitur, & Scholis Romæ, & istis;

etiam Theologis Cenſoribus obſtruſa & inuſitata? Quomodo ergo citò, & tàm facilè, obſtruſum arduumque Syſtema & Methodum addiſcere ac perfectè intelligere, ut omni certitudine, has Theologicas Cenſuras illis inferre potuerint? Permultùm quidem temporis, velociùs abſque dubio, in percurrendis tot voluminoſis Lulli operibus inſumpſiſſe, oportuit! Ut omnis igitur de eorum cenſuris, aut modo agendi, tolleretur ſuſpicio, aliquos probos, juratoſque Lulliſtas, in Syſtemate & pervetuſto idiomate Cathalanico peritiſſimos, ſibi in librorùm ac propoſitionum examine adſciſcere, (vel Interpretes, vel in dubiis Expoſitores) debuiſſent; qui aut de eorum integritate, fidem facere, aut de ipſorum Cathalanici idiomatis intelligentiâ teſtari poſſent: ne meritò de illis conqueri poſſet, ſicut Tertullianus in *Apologet. adverſ. Gentes*, de aliis quondam Romanis Judicibus conqueſtus eſt, & his verbis irriſit. *Non potes dementiam dicere, qui reviſceris ignorare.* Vel juxta vulgatùm: *non decet immuſicos, de muſicis judicare.*

Mihi prætereà quod opinor promere, liceat; vehementi quidem præſumptione premor. Theologi Thomiſtæ fuêre Cenſores Lulli.... Eymerici honorem ſoſpitare quærentes: ſed ut tanto Inquiſitori ſervaretur honos, neceſſariò oportuit, ut Joannis I. Aragoniorum Regis Decretum [1], quo (propter Lulli cauſam, aliaque facinora [2] Eymericus exilio multatus fuerat) vilipenderetur, & irritum fieret, & cauſa B. Martyris Lulli caſſa reddita, totum ejus negotium in peſſum iret; tanquàm ſi ex ſolo nomine jam reus eſſet

---

(1) Suo Decreto vocat Rex Joannes Eymericum, *Inquiſitoris officio abutentem, viperam peſtilentem, hominem nequam capiendum, &c.* Sed alibi Decret. jam duximus.

Ferè conſimili nota impiat eum Henricus Sponda in Annal. Eccleſ. tom. 1. an. 1402. n. VIII. quia proceſſus contra Fratrem ſui Ordinis, Vincentium Ferrerium, prout communiter tenebatur de hæreſi convictum, (*dixerat enim Judam habuiſſe veram pœnitentiam ſalutarem,*) confecerat. Aufugit autem Vincentius ad Cardinalem P. de Luna tunc Hiſp. exiſtentem, qui ab accerſito coram ſe Eymerico, proceſſus abripuit, & Pontifex poſteà renunciatus Benedict. XIII. combuſſit. Et ſubdit Sponda ibid. in margin. ſub litt. (q) *Debuit calumnioſè de hæreſi Vincentius accuſari, quem mirâ ſemper pietate, ac religione præfulſiſſe videbimus inferiùs. Fuiſſeque Nicolaum Eymerici ardentiorem in officio Inquiſitionis exercendo, adeò, ut ſæpè ultrà modum exceſſerit; vidimus aliquoties ſuperiùs, & ejus ſcriptis, aliiſque diverſorum aſſertionibus conſtat.* Eſt-ne igitur mirandum, ſi B. Lullo, livore ductus tanta impegerit? Sed, quid contra omnes ſui ſæculi non egit? Utinam omnia ejus acta, ad Dei gloriam, ſicut B. Vincentii proceſſus, combuſta fuiſſent.

(2) P. Joannes de Monteſono Dominicanus, Eymerici Diſcipulus, etiam (ferè eâdem de Lulli cauſâ, & quaſi eodem tempore) exulare cogitur. Legatur hiſtoria Paparum Avenione ſedentium ſub Clement. VIII. tom. 1. & tom. 2. in Notis, Autore Stephano Baluze. Ubi totus proceſſus & Sententia lata, &c. inſtante Sorbona, inveniuntur.

Lullus, aut ipsius prolatio crimen & delictum. Sed Proh! optimi peritissimique Theologi! Si Lullo favere noluistis, estò; sed saltem nocere non debuistis.

Non mirandum itaque si prætermissis pluribus Lulli libris, quos legere debuissent, ut sensum illius proprium adinvenirent, sed potiùs quasi mali nominis ab Eymerico ejusque Sequacibus Lullo illati, præventione ducti, statim ex quò aliquid aut dissonum, aut dubium, vel illis subobscurum, primo intuitu, in propositionibus apparuerit, sæpè neglectis aliorum textuum collationibus, quas quidem illorum cohærentia necessariò conferri exigebat, citò in pravum sensum projicientes, Censuræ dabant. Quod quidem à retroactis sæculis ab aliis præstantissimis Theologis, (etiam Thomistis) toto orbe dispersis (quorum Patriam, numerum, & nomina nunc referre non vacat,) Lulli opera versantibus, ejusque Systema & Methodum perfectè callentibus, numquàm simile factum, aut dictum esse comperimus. Pro me enim fateor, continuè me in Universitatibus, multis ab hinc annis B. Lulli Doctrinam terentem, ejusque opera diurnâ nocturnâque manu versantem, quæ ei à Romanis Censoribus ascribuntur, numquàm invenisse attestor: quamobrem omnes ad experimentum provoco; nam si attentè ac sine aliqua præventione prava legatur Lullus, certò certiùs ejus sensus longè diversus reperietur ab eo, quem ei præfati Theologi adscribere voluerunt; quapropter ejus Doctrinam veluti seipsam explicantem exponam; meliùs enim est, ut non ego, sed ipse Lullus per se, de Doctrinâ suâ tam clarè loquens audiatur: ipsemet utique in propriâ causâ adversariorum potentior erit vindex athletá: mei tantùm muneris erit, Interpretis agere vices, quia si in uno loco breviùs aliquid scriptum quandoque inveniatur, ideoque subobscurum appareat, in alio dein diffusiùs reperietur, statimque, omni excussâ caligine, dilucidiùs difficultatis enodatio occurret; hâc quidem spe, ita certissimè ducor, ut censurarum cum propositionum textibus B. Lulli, tanquàm in parallelo, factâ collatione, omninò immunis à notâ reperietur; & dum sensus illius propriis phrasibus concinnatos, labio in Scholis usitatiori elucidaverim, profectò in omnibus concordes cum Ss. Patribus & Doctoribus invenientur.

Ea-propter, eos enixiùs obsecro, qui criminatores, vel critici esse voluerint, ut se Christianos, vel homines ratione utentes esse meminerint: & si quid dissonum, aut sibi injucundum in dictis B. Lulli, primâ fronte, appareat, seriò tamen, prout decet cordatos viros

(habitâ etiam illius sæculi ratione) perpendant; quòd si ingenuè fecerint, me herculè! quid impiare possint, non invenient. Eos saltem rogo ut regulas pro examinandis libris, à Pontificibus, maximè à Doctissimo Benedicto XIV. in Bullâ: *Sollicita & provida*, traditas (de quibus jam aliqua, in Dissert. prævia, tom. 1. adduximus.) observare velint: id maximoperè considerantes, quòd numquam Autoris cujuscumque sensus meritò desumi potest, ex aliquâ clausulâ solitariè inspectâ, sed attento contextu, simul & antecedentibus, & consequentibus ejusdem libri, imò etiam & aliis libris, in quibus de eâdem tractat materiâ; signanter autem ubi operosè de ipsâ differit: observatis etiam aliis, quæ in dictâ Dissertatione præviâ, tom. 1, præmisimus. His sanè regulis in hoc opere procedam, ita contexendo Lulli textus tum ex libris notatis, tum ex aliis ejusdem; ut videatur proprius ejus sensus, qui sic clarè ostenditur, omninò alienus ab eo, qui in dictis censuris fuit eidem attributus.

Porrò, ut ordinatè & distinctè procedam, licèt Albitius loc. citat. non cunctas Censuras omnium Censorum discernat, sed tantùm aliquas uniuscujusque explicet, cùm tamen dicat quibus libris, & à quibus Examinatoribus fuerunt adductæ; & aliundè in quodam manuscripto è Roma delato habeam ipsas Censuras & Textus Lulli, super quibus fuerunt prolatæ, tametsi tacito Censoris nomine, diffusè exaratas, & de eisdem, licèt breviter, agat Joannes Riera Franciscanus in suo Memoriali sacræ Congregationi oblato: ideò utrisque collatis, distingui possent uniuscujusque Censoris, quos nominat citatus Albitius, Censuræ & Textus, de quibus fuerunt prolatæ; at quia non est opus Censores explicare, sed Censuras: ideò de istis solis per varias distinctiones in duobus sequentibus tomis pertractabo. Cæterùm, cùm hìc tantùm sit animus Lullum eluendi à Censuris latis adversùs determinatos ejus textus, cùm tom. 1. ipsum vindicaverim ab aliquibus à Cardinali Albitio relatis, quæ generaliter ipsam Doctrinam afficiunt: Quoad alia quæ refert idem Albitius, cùm ipse tantùm fideliter referat quæ pro & contra Lullum invenit, præcipuè in Romanis Archivis, nihil pro nunc occurrit dicendum, utpotè ad Historiam causæ Lullianæ tantùm spectant; & solùm adverto, quòd in Censura quæ ab ipso refertur à claræ memoriæ de Rubeis fidei Promotore lata, nimiùm deferri videtur Eymerico, Bzovio, eorumque sequacibus, ex quibus Gualterus verbo tenùs desumpsit, quæ de ipso ibi contra Lullum allegantur; & reticetur, quod ipse Gualterus in secunda editione palinodiam

cecinerit. At quoad cultum B. Lullo tributum, noviſſimè ſanctiſſimus D. Clemens XIII. die 18 Junii 1763 *juſſit, & ſtatuit nihil eſſe innovandum circà cultum ſervi Dei Raymundi Lulli.* Reviſio verò librorum Lulli etiam eſt injuncta ab eodem Pontifice ut in cauſa Beatificationis & Canoniſationis ejuſdem procedatur.

Gravior ſanè nota, quæ adversùs Lullum adduci poteſt, ea eſt, quæ reſultat ex Relatione Cardinalis Bellarmini ſacræ Congregationi facta, quam deſcribit idem Albitius, cùm Theologi deſtinati ad examen librorum, poſt eorum reviſionem adeò acrem tulerint Cenſuram, ut ſi in cauſa fuiſſet procedendum, Lulli Opera veniebant proſcribenda; ſed Dei providentiâ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, hoc non permiſit. Sanè Pontifices ſummos videtur ſemper cordi habuiſſe judicium, quod Deputati à Concilio Tridentino protulerunt de amovendo nomine Lulli ab Indice librorum prohibitorum: unde Belarminus, vel ipſe Albitius in ſua relatione aït: *Pius IV. ex diſputationibus habitis in Concilio Tridentino, novum Indicem edens, juſſit aboleri nomen Raymundi ex Indice*; & ideò in hac congregatione habitâ die 19 Auguſti 1619. coràm ſanctiſſimo, ubi facta fuit à Cardinali Belarmino memorata relatio, preſcripſit Summus Pontifex: *Interim videatur an in Caſtro Sancti Angeli adſint acta per Deputatos à ſacro Concilio Tridentino ad revidendum hujuſmodi libros*: quæ acta mirùm profectò eſt, non potuiſſe hùcuſque, quòd ſciam, inveniri, cum tamen videatur, ea apud Congregationem Indicis die 3 Junii 1594. celebratam extitiſſe, cùm referente eodem Albitio, decretum fuerit: *Ut in novo Indice Lullus non reponatur, eiſdem de cauſis, quibus Deputati in ſacro Concilio Tridentino eumdem Raymundum ab Indice ſuſtulerunt*; & idem decretum fuit in Congregatione habita die 4 Martii 1595.

Itaque, cùm prefatæ Examinatorum à ſacra Congregatione Deputatorum Cenſuræ, meritò habeantur, ut magnæ autoritatis & ponderis, & quæ majus obſtaculum Cauſæ Lullianæ videntur opponere; ſedulò ſunt tractanda loca librorum Lulli, quæ occaſio ad eaſdem fuerunt; & hoc cum collatione antecedentium & conſequentium, imò & aliorum librorum Lulli, ut proprius ejus demonſtretur ſenſus, ita ut de ipſo dubitari non poſſit, niſi enim quædam exhibeatur demonſtratio, ſemper prævalere videbitur tantorum virorum ſuffragium: undè & operosè & exactè erit hæc diſcuſſio facienda, cùm laudatus Riera tam leviter ea attigerit; modus autem procedendi ſemper erit, prout in Diſſertatione prævia, tom. 1, præſcripſimus.

DIST.

DISTINCTIO I.

De prima classe Censurarum super Librum B. Raymundi Lulli, inscriptum : *Disputatio Raymundi, & Eremitæ super aliquibus dubiis, quæstionibus Sententiarum Magistri Petri Lombardi, prolatarum*.

SCiendum est hoc Lulli Opus non tendere ad omnia ventilanda, quæ tractat Magister Sententiarum, prout communiter faciunt scribentes super ipsum, sed solùm ad resolvendas aliquas speciales quæstiones, quæ particularem difficultatem Lullo afferre visæ fuerunt in omnibus quatuor Magistri Libris : undè non observat ordinem ab aliis usitatum, sed subsultando easdem excitat; ipsæ tamen sunt adeò inter se concatenatæ, ut posteriorum resolutio, ex præcedentium pendeat doctrina. Breviter in omnibus procedit Lullus per modum disputationis inter ipsum & Eremitam; ità tamen, prout advertit in Prologo, ut suppositâ Fidei veritate, & ejus totali autoritate, ex principiis suæ artis resolvat, & objectiones dissolvat. Tres Classes Censurarum à tribus Censoribus super Libro Sententiarum emanatas invenio : adeòque hìc de prima, & in sequentibus de aliis venit agendum.

DISSERTATIO I.

De Demonstratione Mysteriorum Fidei, quoad Censuras Textuum quæstionis 1, 12, & aliarum, qui circà hoc notantur; & de Fidei necessitate.

§. I.

Afferuntur Textus & Censuræ; & ostenditur, non esse erroneum Mysteria Fidei posse demonstrari, Fide & revelatione suppositâ.

1. TExtus prædictarum quæstionum, & Censuræ, quas eisdem attribuit primus Censor, ita habentur : PRIMUS TEXTUS : *Per sensitivum non dico quòd Trinitas sit demonstrabilis, cùm ipsa sensibilis non sit, neque imaginabilis, sed secundùm modum discursivum, quem habet intellectus in attingendo, est ipsa Trinitas demonstrabilis, non propter quid, sed per æquiparantiam.* Quæst. 1, num. 5.

Secundus Textus : *Quandò intellectus non est discursivus per necessarias rationes circà veritatem Articulorum Fidei, sicut intellectus mechanici, aut alicujus alterius, qui stat ad positiones tantùm, restauratur veritas articulorum in credulitate intellectûs, qui ipsos credit & hujusmodi restauratione multùm indiget intellectus, cùm omnes homines dispositi non sint, ad investigandum veritatem Articulorum Fidei, & Sacræ Scripturæ per necessarias rationes, sicut mulieres.* Quæst. 1, num. 1.

Tertius : *Credere, intellectui est appropriatum per supremum objectum, ut per fidem veritatem illam attingere possit, quam demonstrativè attingere non potest, propter aliquod impedimentum, quod habet ratione subjecti, aut materiæ.* Quæst. 1, num. 1.

Quartus : *Theologia est scientia propriè, alioquin divinæ intelligibilitati esset injuriatum, in quantum intellectus humanus Trinitatem divinam intelligere non posset secundùm magnitudidem objecti, & secundùm magnitudinem ipsius intellectûs. Et sic deficiunt divina bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, à parte objecti supremi, & à parte ipsius intectûs.* Quæst. 1, num. 2.

Quintus : *Miratus fuit Raymundus, quare consideraverit quòd Pater, & Filius de necessitate Spiritum Sanctum spirant, ut suprà probatum est, cùm Beatus Joannes non dixerit, qui ab utroque procedit : undè Raymundus ad principia suæ Artis recurrit ad investigandum de hoc veritatem, secundùm modum suæ Artis, per quem modum possunt autoritates Sanctorum exponi & declarari, & cùm rationibus necessariis concordari.* Quæst. 12, num. 5.

Censura : *Quilibet Textus ex prædictis est erroneus, quia vel asserit, quòd Mysteria Fidei possunt demonstrari, vel quòd possunt probari necessariò.*

Textus *secundus etiam videtur indicare, Fidem Rusticis tantùm esse necessariam.*

Etiam Lullus profitetur, quæst. 1, *se probare Trinitatem divinam demonstratione : Et quæst.* 15, *principiis suæ Artis, & quæst.* 20, *ratione naturali, & idem profitetur de Incarnatione*, quæst. 1.

Totus hic liber fundatur in hâc Doctrinâ seu Arte.

2. Ex dictis, Tom. 2, cap. 39, abundanter constat, sensum Lulli, dum asserit posse Fidei Mysteria demonstrari, semper intelligi, id esse, Fide, & revelatione suppositâ, sicut omnes Patres, & Doctores, quos pro hac Sententia illic adduximus; omnes enim, præsertim D. Augustinus, D. Cyrillus Alexandrinus, ac D. Anselmus, & cum

ipsis Lullus, inculcant illud Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis*: quò necessitatem præsuppositionis Fidei, & possibilitatem demonstrationis, ipsâ suppositâ, deducunt; pro eodem enim sumitur intelligere ac demonstrativè cognoscere, seu clarè, perspicuè, & absque dubietate percipere: Unde, cùm hæc Sententia in tot Scripturæ decretis, Sanctorumque Patrum placitis, fundetur, prout ibi exposuimus; nec obviet ulli Scripturæ vel aliorum Theologicorum fundamentorum sensui; quia omnia, quæ ab Autoribus adversis afferuntur, absque violentia intelligi possunt de demonstratione Mysteriorum absque præsuppositione fidei vel revelationis: ideo hæc Sententia censeri non potest erronea.

3. Hæc ideo adduxi, quia in relata Censura absolutè dicitur erroneum, quòd *Mysteria Fidei possint demonstrari*. Sanè judico Laudatum Censorem præjudicio, ut solet, ductum, ex Directorio Eymerici contracto, videlicet quòd Lullus senserit Mysteria absque præsuppositione Fidei vel revelationis posse demonstrari: sub hoc sensu notam erroris inussisse; quia tamen absolutè, & absque distinctione Censuram profert, quæ proinde de Sententia Lulliana intelligi posset, notari debet ipsam propter prædicta non posse præfatâ Censurâ inuri. Unde Eximius Suarez, licèt lib. 1, de Trinit. cap. 2, num. 3, ex aliorum, ut videtur, relatione, dicat, Lullum sentire Mysterium Trinitatis posse evidenti ratione demonstrari ab humano intellectu carente omni divinâ revelatione; & ibi conclusione 1, statuat ut certum de Fide, seclusâ omni revelatione divinâ impossibile esse per evidentem demonstrationem cognoscere in Deo esse plures personas: tamen cap. 12, num. 8, refert Tenentes, suppositâ revelatione tanti Mysterii, & firmâ credulitate illius conceptâ posse per vires ingenii humani inveniri rationes demonstrativas Mysterii; at eorum Sententiam non censurat, licèt non amplectatur, imò addit: '*Hæc fortè fuit opinio Raymundi Lulli, sed est antiquior illo, nam eam refert Durandus* 1, *dist.* 1, *quæst.* 4.' Et pro hac citat Richardum de Sancto Victore Henricum, & Gersonem. Eamdem etiam Lulli Sententiam, quam explicuimus, plurimi Autores, licèt impugnent, nullâ tamen notâ inurunt, & Vasquez censet, eam non esse erroneam, & Alarcon etiam cum ipso.

4. Præterea, ut loco citato ostendimus, in hac scholastica quæstione potior difficultas stat super termino *demonstratio*; quia comuniter ab Autoribus Dialecticâ Aristotelicâ imbutis non alia agnoscitur demonstratio, quàm ea, quam præscripsit Aristoteles, ex primis prin-

cipiis causisque; at ibi explicuimus demonstrationem accipi pro certa, & clara manifestatione ex quibuscumque fundamentis certè, & clarè cognitis: & in rebus Fidei, quo ad Deum ipsum solam valere demonstrationem ab æquali, non autem per causam; eamque ab effectu dictam eatenùs valere, quatenùs notum est, omnem perfectionem, quæ est in creatura, modo perfectiori debere esse in Deo; nec aliud requiri ad demonstrationem, quàm conclusionem in sensu obvio clarè, & manifestè cognosci ob connexionem infallibilem cum antecedenti, ex quo deducitur, licèt non habeatur omnimoda distincta cognitio subjecti, & prædicati conclusionis; Habetur etiam demonstratio, licèt difficultatem ingerant objectiones, quæ contra conclusionem offeruntur; quia non omnis demonstrationum evidentia debet esse ita immediatè, & per se convincens sicut quòd triangulus v. g. habet tres angulos, quæ est evidentia sensualis; sed debet esse evidentia intellectualis, quæ varios habet gradus, tum respectu intellectûs, tum respectu fundamentorum, quæ evidentem reddunt conclusionem.

5. Unde præcipuum fundamentum ad hujusmodi demonstrationes Theologicas statuitur à Lullo consistere in ipsismet divinis perfectionibus, quas aliunde Fide certissimâ constat esse in Deo, utpotè in Scriptura revelatas; ipsæ enim divinæ perfectiones, seu attributa, quas in omnium sensu evidenter cognoscimus esse in Deo, sunt fundamenta, & principia, ex quibus vi connexionis juxta Lullum deducuntur demonstrationes Mysteriorum Fidei; quæ proinde *naturales* dicuntur demonstrationes, quia ex propriis, & naturalibus Dei perfectionibus eruuntur; & etiam quia, Fide præsuppositâ, à naturali vi intellectûs inveniuntur; non autem dicuntur naturales, ut Autores communis Scholæ regulariter autumant, quia ex principiis vulgò naturaliter notis deducantur, vel ad rerum creatarum naturam conformentur, & medio à natura oblato insistant; quoniam ut sæpè repetit Lullus, nisi in argumento ex creatura ad Deum, transcendat intellectus rerum creatarum naturam, non potest demonstrativè Deum cognoscere, quia Dei perfectio maximo excessu transcendit omnem creaturæ perfectionem, adeoque, quæ de ipso demonstrantur, non in natura tamquam medio demonstrativo insistunt, nec purè conformiter ad ejus modum essendi, & operandi Deo attribuuntur, sed secundùm modum propriæ Dei perfectionis considerantur.

6. Quare, ut verè demonstrationes dicantur rationes, quas Lul-

lus aliique Doctores de Mysteriis Fidei proponunt, non obstat, quod ab aliquibus tales non censeantur, vel contra eas proponant objectiones, vel ipsas enervare conentur, ut earum inefficaciam ostendant: non inquam obstat; qua etiam, licèt ab omnibus supponatur posse demonstrari Deum esse, in eoque esse providentiam, sapientiam aliaque plura, ut immutabilitatem, &c. tamen rationes, quæ communiter allegantur ad hæc demonstranda, possunt pati varias objectiones, & rationes, quæ ab aliquibus efficacissimæ censentur, ab aliis inefficaces reputantur, ac fere nulla est, quam aliquis conari non possit enervare. Unde cùm, licèt detur ratio, quæ reverà, & in se sit demonstrativa, tamen respectu alicujus possit videri non esse demonstratio: propterea absque nota aliqua potest dici, Lulli rationes (sicut alias, quas allegat Sanctus Augustinus, S. Anselmus, Richardus de Sancto Victore aliique plures) de mysteriis fidei esse veras demonstrationes, quamvis aliqui earum efficaciam enervare conentur.

7. Sanè pro meo captu non video majorem efficaciam in rationibus, quæ à laudatis Doctoribus afferuntur ad demonstrandam existentiam, & unitatem Dei, ejusque providentiam, scientiam, immutabilitatem, &c. quàm in illis, quæ ab ipsis exponuntur ad manifestanda fidei Mysteria; & sola est differentia, quòd faciliùs percipiuntur rationes de Dei existentia, unitate, providentia, &c. quàm quæ afferuntur de Trinitate, Incarnatione, &c quia in istis præjudicia ab intellectu contracta ex rerum creatarum consideratione majorem apponunt obicem, ut eas penetret; at inspecto earum fundamento, quod est ipsamet infinita Dei perfectio, quæ ex vi suæ connexionis infert conclusiones deductas, æqualis videtur efficacia; & ipsemet Anselmus eâdem energiâ & satisfactione sui proprii intellectûs conatur manifestare prædictorum omnium veritatem; ita quòd tam in demonstrationibus existentiæ, unitatis, immutabilitatis aliorumque attributorum Dei, quàm Trinitatis & Incarnationis, dicit se procedere per claras, & necessarias rationes, quæ manifestam intelligentiam tribuunt intellectui.

8. Hoc autem est quòd innuit Scriptura, & exponunt ex eadem Patres & Doctores, dùm de Dei cognoscibilitate loquuntur: videlicet quòd divina Mysteria à solo intellectu creato nequeunt penetrari, quia ad ea, nisi Deo manifestante, ob sui parvitatem non valet assurgere; at sequens hujus divinæ revelationis ducatum, potest eadem ipsa, quæ Deus manifestat, ratione, & intelligentiâ percipere:

nonquidem totaliter, & comprehensivè, nec divinâ metiendo suâ vi nativâ intelligendi, neque pruritu sciendi juxta ingenii acumina evagando; sed aliqualiter, & pro modulo, quo Deus contemplari potest in hac vita à creata intelligentia, & humiliter obsequendo ducatui fidei, ac intra ejusdem limites ingenii vires coërcendo: ita ut primò in Fidei fundamento insistat; & deinde super hoc solo fundamento rationem, & intelligentiam ædificet; quia, juxta D. August. Epist. 222. *Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, quâ cor mundatur, ut magnæ rationis capiat, & perferat Lucem: hoc utique rationis est, & ideo rationabiliter dictum est per Prophetam: nisi credideritis, non intelligetis; ubi proculdubio discrevit hæc duo, deditque consilium, quo priùs credamus, ut id, quod credimus, intelligere valeamus, &c.* D. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Joan. cap. 4. *Nam post fidem cognitio sequitur, non illam antecedit, quemadmodum scriptum est: si non credideritis non intelligetis:* ac proinde sic Theologia est quod de ipsa dicit idem Augustinus lib. 14. de Trin. cap. 1. *Scilicet, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

9. Quare, apud Petavium, tom. 1. Theolog. Dogm. in Prologom. cap. 4. n. 2. Clemens Alexandr. lib. 7. Stromat. pag. 526. Theologiam sic describit: *Cognitio* est demonstratio firma eorum *quæ per fidem accepimus, quæ per Doctrinam Domini supèr fidem ædificatur, & ad hoc deducit, quod immutabile est, & cum scientia comprehendi potest.* Et meritò quidem, quia Catholici Patres ad hoc insudarunt, ut ea, quæ fide credimus, manifestarent, nedùm ea colligendo ex variis Scripturæ locis, & anteriorum Patrum doctrinâ, sed etiam omnigenâ ratione, ut scientiam haberent eorum, quæ per fidem acceperant: nedùm ut unusquisque eadem intellectu contemplaretur, sed etiam ut alios solidè instrueret in eorumdem intelligentia; & quamvis in hujusmodi ratiociniis ad creaturas excurrerent, quarum perfectiones justissimo titulo Deo adscribebant, maximè tamen ex ipsis Dei perfectionibus suos instruebant discursus, sicut & responsiones ad Hæreticorum argumenta, ut in eorum scriptis observari potest.

10. Non me latet, hujusmodi discursus ab Autoribus nostræ Sententiæ adversis haberi, ut meras persuasiones, non legitimas demonstrationes; at sic jam videmur versari in quæstione super voce *demonstratio*; quia has easdem persuasiones vocat Lullus demonstrationes, ut explicat ipse in lib. *de Convenientia fidei, & intellectus in*

objec. (tom. 4. part. 1.) ubi ostendens, quòd veritates Fidei possunt probari, sic num. 4 discurrit: » Iterum Doctores Sacræ Scripturæ conantur quantùm possunt deducere rationes ad probandum » divinam Trinitatem, & Incarnationem, &c. habentes sanam » mentem, & intentionem ad exaltandum sanctam Fidem. Et ideo » ego qui sum verus Catholicus, non intendo probare Articulos » contra fidem, sed, mediante fide, *cùm sine ipsa non possem probare*, » nam Articuli sunt per superius, & meus intellectus est per inferius, » *& fides est habitus, cum quo intellectus ascendit supra suas vires*; » non autem dico, quòd probem Articulos fidei per causas, quia » Deus non habet causas supra se, sed per talem modum, *quòd* » *intellectus non potest rationabiliter negare illas rationes, & possint* » *solvi omnes objectiones contra ipsas factæ*; & Infideles non possunt » destruere tales rationes, vel positiones: *talis est ista probatio, sive* » *dicatur demonstratio, sive persuasio*, vel quocumque alio modo » possit dici, hoc non curo; quia propter nostrum affirmare vel » negare nihil mutatur in re.

11. Itaque omnes illas rationes censet Lullus demonstrationes, quas non potest intellectus rationabiliter negare, quibusque oppositæ objectiones possunt solvi; tales autem esse rationes à Sanctis Doctoribus adductas, nullus, ut puto, inficiari audebit; alioquin quomodo censeri possent persuasiones, si eisdem rationabiliter contradicere posset intellectus, & eisdem opponere objectiones rationabiliter insolubiles? Hinc est quòd Fidei Mysteria evidenter credibilia pronuntiantur; imo quòd hæc evidentia credibilitatis est metaphysica & non tantùm moralis. Et clarissimus Augustinianus Berti, lib. 22. de Theolog. Disciplin. cap. 3. hunc ponit titulum: *Demonstratur Fidem ac Religionem Christianorum evidentissimè veram esse*. Hæc autem evidentia nedum fundatur in motivis extrinsecis, quibus veritas Christianæ fidei suadetur, sed etiam in rationibus ex Dei perfectione petitis quibus illa veritas ostenditur, & objectiones, quibus impetitur, ita dissolvuntur, ut nullius esse roboris ostendantur, & in ipsis non posse rationabiliter intellectum insistere.

12. Sanè, in hujusmodi argumentorum solutione fundat Lullus unam ex præcipuis rationibus, quibus ostendit Fidei Mysteria posse demonstrari: unde in *Apostrophe Latina de Artic. Fid.* (tom. 4.) in Introdutione, primò agens contra eos, qui dicunt, *quòd sancta Catholica Fides sit magis improbabilis, quàm probabilis*, quorum plerique, ut alibi notat, erant Averroistæ, sic num. 2. adversus ipsos

discurrit : „ Aut intendunt dicere, quòd ipsa fides sit magis impro-
„ babilis, quàm probabilis in se, & etiam quantum ad Deum, vide-
„ licet quòd sit magis improbabile, quod ipsa sit à Deo, quàm quòd
„ non sit à Deo : & in hoc casu, nullus debet adhærere tali fidei,
„ quæ est magis improbabilis, quàm probabilis in se, & quantum ad
„ hoc, quòd sit à Deo ; nec in non adhærendo potest condemnari
„ à justo judice, imò adhærendo est stultus, quia facit contra ratio-
„ nem, adhærendo improbabilitati, & deserendo probabilitatem.
„ Aut intendunt dicere, quòd ipsa fides sit magis improbabilis, quàm
„ probabilis, in se, sed sit probabile, quòd sit à Deo ; & in hoc
„ casu, si est probabile quòd sit à Deo, sequitur quòd ipsa sit pro-
„ babilis ; & si est verum, quòd ipsa sit à Deo, est vera, & ne-
„ cessaria, cùm Deus sit summa veritas, & summa sapientia, quæ
„ non fallit, nec fallitur, & ipse dicit, quòd illa sit : ergo est veris-
„ simum ; si enim est credendum cuilibet experto in sua scientia,
„ ergo multò magis expertissimo, & sapientissimo in omnibus. Nec
„ possunt dicere tertium, scilicet quòd ipsa sit probabilis in se, sed
„ sit magis improbabile, quàm probabile, quòd sit à Deo : cùm
„ enim Catholica fides jubeat amare Deum super omnia, & ponat
„ divinas perfectiones in superlativo gradu perfectionis, & extirpet
„ vitia, inserendo virtutes in altiori gradu perfectionis, qui possit
„ dari, & per consequens sit bona & optima ; & omne bonum sit
„ à Deo, tamquam à supremo Bono, necessariò sequitur, quòd ipsa
„ sit à Deo : ergo est necessaria.

13. Postea, num. 3. ostendit, Fidei Mysteria posse probari, ex clara solutione, quam ad objectiones Infidelium adhibent Catholici, dicens : „ Et cùm noster zelus, & nostra totalis intentio sit omninò
„ circa defensionem Fidei, idcircò nos Magister Raymundus Lullus
„ legamus hanc Schedulam Sapientibus, & discretis Religiosis, &
„ Sæcularibus ut videant, ac diligentissimè perscrutentur prædicta,
„ & etiam an infra scripta sequentia contineant veritatem, videlicet,
„ quòd aliqui Magistri in Theologia asserunt, & testantur, *quòd*
„ *quæcumque proposita objectio contra Sacrosanctam Catholicam Fidem*
„ *possit solvi per necessarias rationes, scilicet intelligendo consequentias*
„ *ipsarum rationum* : ergo manifestè sequitur, quòd Sancta Catholica
„ Fides juxta eorum testimonium possit probari per necessarias ra-
„ tiones, & hoc per modum intelligendi, non tantùm per modum
„ credendi. Si quis autem dixerit, quòd ista consequentia, quam
„ facimus, non attingat veritatem, cogitur dicere, quòd prædicta

„ ratio

» ratio Magistrorum sit inanis, & quòd principium sit prius per » suum consequens, & posterius per suum antecedens; & quòd in » syllogismo minor propositio sit antecedens, & major sit conse- » quens, quod est impossibile, & contra naturam intellectûs». Noto, quòd hâc subsumptâ probatione prætendit Lullus, quòd sicut consequens non potest esse prius, quàm antecedens, nec minor propositio antecedens ex quo oriatur major ut consequens, ita nequit solvi Infidelium objectio per necessarias rationes, quin intelligatur veritas per ipsam impugnata, quia nequit ostendi quòd aliqua veritas non sit impossibilis, ut prætendit objectio, quin intelligatur esse possibilis, cùm priùs sit rem intelligere, quàm ejus non impossibilitatem manifestare.

14. Unde, num. 4. ad idem ita discurrit: » si quis autem dixerit, » quòd objectiones, quæ possunt fieri contra fidem, possint solvi per » necessarias rationes; & probationes, quæ possunt fieri pro fide, » possint frangi per necessarias rationes: dicimus quòd implicat con- » tradictionem, quæ non potest stare, quia duæ conclusiones con- » trariæ circa idem non possunt stare, & de hoc subjungimus hoc » exemplum: *Ubicumque est generatio, ibi est etiam corruptio, sed in » Deo est generatio; ergo in Deo est corruptio;* qui autem intendit im- » probare per necessarias rationes, quòd in Deo non sit corruptio, » ille non tantùm debet tenere, quòd generatio sit in Deo, sed de- » bet necessariò scire, quòd generatio sit in Deo. Hoc idem potest » dici de istis maximis: *Ubicumque est principium, ibi est tempus: » Ubicumque est productio, ibi est successio: Omne agens agit cum » motu: De nihilo nihil fit: Nullum infinitum potest esse finitum: Qui » non intelligit particularia non potest intelligere seipsum: Nulla Virgo » potest parere: Nullum agens agit sine instrumento: Nullum novum est » perpetuabile: Ubicumque est prioritas ibi est posterioritas; Nullum » ens, quod est purus actus, est multiplicabile: Nullum ens potest per- » ficere perfectum: Nullum intelligibile est intellectum. Ubi sunt plura, » ibi est compositio: Nullus mortuus homo potest resurgere idem numero, » idem actu: Nullum corpus potest esse in pluribus locis in eodem tem- » pore: Nullum accidens potest esse sine subjecto: Nulla operatio potest » esse infinita: In nulla æternitate, est æternabile:* Multas alias maxi- » mas possumus invenire; sed istas ponimus, quia qui istas potest » solvere per necessarias rationes, debet scire primitiva principia, » cum quibus solvat prædictas maximas, ut supra est significatum; » sed qui affirmant prædicta ostendunt quod ignorent quod Deus sit,

» & quid Deus sit ». Post aliqua interjecta, ut intelligatur quid sit *Demonstratio*, ita videlicet, quòd non sit adeò arctanda, ut sit communiter, concludit: » Ergo redimus ad id, de quo priùs fuit sermo, » & dicimus quòd illi, qui docent prædicta, ostendunt quòd ignorent, quòd Deus sit, & quid sit; nam quando est manifestum & » probatum, quòd sit Deus, & quid sit, hoc est, quæ sint ejus perfectiones & dignitates, sequitur quòd Articuli Christianæ fidei non » solùm sint magis probabiles, quàm improbabiles, sed etiam quòd » sint veri & necessarii: quod probamus in pluribus nostris libris.

15. In hoc discursu prætendit Lullus, non posse simul stare quòd objectiones contra fidem possint solvi per necessarias rationes, & quòd probationes veritatum fidei possint etiam solvi per necessarias rationes; quia simul demonstrarentur duæ Conclusiones oppositæ, quod esse nequit; imò ex hoc ipso, quòd Infidelium objectiones per necessarias rationes solvantur, debet haberi intelligentia per necessariam rationem de veritate Fidei, quam impetit illa objectio, ut patet in exemplo adducto; nam nullus potest, solvendo illud argumentum, manifestare generationem, quæ est in Deo, esse sine corruptione, quin intelligat ipsam esse æternam, infinitam ac summè perfectam: in quo solo fundari potest necessaria ratio ostendens ipsam esse sine corruptione: Idem est de aliis Averroïstarum maximis, quas proponit tamquam in rerum natura notas, quæ omnes impetunt varios fidei articulos; quia nisi intelligatur firma ratio, quâ nituntur veritates Fidei, quas impugnant, non potest ostendi eas maximas in veritatibus Fidei non verificari; nisi enim quis intelligat Dei perfectiones, quibus Deus summè est, & summè agit, non poterit ostendere, quòd productio v. g. quâ Deus Pater producit Filium, est sine successione; quod quidem est, quia Pater est æternus, & immutabilis, ac æternè, & immutabiliter producit, ac proinde nulla est ibi successio: Inde concludit Lullus, præfatos Averroïstas docentes, quòd Fides Catholica magis sit improbabilis quàm probabilis, ignorare quod Deus sit, & quid Deus sit: videlicet, quòd Deus sit infinitè bonus, magnus, æternus, & sic de aliis Dei dignitatibus; cùm autem demonstretur Deum esse, & ipsum esse infinitè bonum, magnum, æternum, &c. quia in eisdem perfectionibus Dei elucent veritates Fidei, nedùm cognoscitur, quòd Articuli Fidei sunt magis probabiles quàm improbabiles, sed etiam quòd sint veri & necessarii, quia videlicet connectuntur cum divinis perfectionibus, & ex eisdem ratiocinando deducuntur; quæ quidem est methodus, quâ

Patres & Doctores, stabilitis Fidei veritatibus ex Scriptura, & Traditione, ac Sensu Ecclesiæ, eas ex divinis perfectionibus ostendendo explicârunt, & Infidelium dissipârunt objectiones: ac proindè valdè rationabiliter asseruit Lullus cum citatis Doctoribus, suppositâ Fide, & revelatione, posse Fidei Mysteria demonstrari.

16. Sanè mirari sufficienter non possum, quòd aliqui Autores adeò commoveantur ex Doctrina Lulli docentis, modo prædicto posse Fidei Mysteria demonstrari *ratione naturali*, cùm hoc idem expressè doceat D. Thomas quodl. 4. art. 18. dicen[illegible] quòd si disputet Theologus cum illis, *qui nullam autoritatem recipiunt*, *oportet*, *ad eos convincendos*, *ad rationes naturales confugere.* Si ergo Infideles possunt per rationes naturales convinci de rebus Fidei, possunt istæ demonstrari, cùm hujusmodi intellectus nisi demonstratione non convincantur. Si autem hujusmodi ratio naturalis valet contra tales Infideles, valebit etiam contra admittentes autoritatem sacram; & multò magis proderit fidelibus, ut per rationes naturales convincantur, adeoque ipsis demonstrentur veritates Fidei, quas credunt, prout ibi docet D. Thomas, præcipiens quòd in Scholis Theologicis, ut inducantur âuditores ad intellectum veritatis, *oportet rationibus inniti*, *investigantibus veritatis radicem*, *& facientibus scire*, *quomodo sit verum*, *quod dicitur;* nisi enim ita procedat Magister, auditor *nihil scientiæ vel intellectûs adquiret sed vacuus abscedet:* At rationes icquirentes veritatis radicem & facientes scire, ita ut per eas acquiratur scientia, non sunt nisi demonstrationes; & ibi agit D. Thomas de rationibus adducendis contra distinctè ad autoritates & discursus ex eisdem deductos. Item ipse S. Doct. 2. 2. qu. 3. art. 9. ad 2. admittit assensum scientiæ circa res, quas tenemur credere; & art. 10. ait: » Alio » modo ratio humana potest se habere ad voluntatem credentis con» sequenter. Cùm enim Homo habet promptam voluntatem ad cre» dendum, diligit veritatem creditam, & super ea excogitat & am» plectitur, *si quas rationes ad hoc invenire potest*; & quantùm ad hoc » ratio humana non excludit meritum Fidei, sed est signum majoris » meriti; & ad 1. dicit: quando autem homo habet voluntatem cre» dendi ea, quæ sunt Fidei, ex sola autoritate divina, etiam si » habeat *rationem demonstrativam* ad aliquid eorum, putà ad hoc quod » est Deum esse, non propter hoc tollitur vel diminuitur meritum » Fidei ». Patet itaque ex D. Thoma, quòd habens fidem potest ad res fidei, rationes demonstrativas invenire, & eisdem potest Infideles convincere, quæ est ipsissima Lulli Doctrina. Unde videtur,

quòd, dum ipse D. Thomas, 1. qu. 32. art. 1. negat per rationem naturalem posse cognosci Trinitatem divinam, id intelligit absque præsuppositione Fidei; id etiam negat in credente, quatenùs credenti res creatæ per se non sufficiunt ad dandam evidentiam Trinitatis; neque ad hoc sufficit ratio naturalis purè fundata in principiis naturaliter notis, prout docet Lullus; non autem id negat, quatenùs, vel ex ipsis Dei perfectionibus demonstratur Trinitas, vel, cùm sciamus Deo convenire omnem perfectionem, quæ est in Creaturà, imò perfectissimo modo ipsi competere, ex vestigiis Trinitatis, transcendendo creaturam, demonstrat ipsam noster intellectus; & hoc modo possunt adduci rationes naturales contra Infideles, prout docuit in quodlibeto citato.

§. II.

Ostenditur immeritò notari à Laudato Censore Textus ex dictis quæstionibus excerptos.

17. IN prima hujus Libri quæstione excitat Lullus super Prologum Magistri Sententiarum, sicut omnes in ipsum scribentes, difficultatem: *Utrùm Theologia propriè sit scientia?* Et n. 1. respondet „ quòd Theologia sit scientia duobus modis, scilicet appropriatè, „ & propriè: appropriatè secundùm fidem à Deo datam, ut Catho„ licus per fidem credat Articulos Fidei & sacram Scripturam, quæ „ non intelligit per argumenta, & est scientia propriè (*appropriatè* debet dici ex contextu; & in editione Panormitana dicitur: *& est scientia appropriata*; sicut etiam in quodam manuscrito) quia intel„ lectui non est proprium credere sed intelligere; sed credere est „ illi appropriatum per supremum objectum, ut per Fidem possit „ attingere illam veritatem, quam demonstrativè non potest attin„ gere, propter aliquod impedimentum, quod habet ratione sub„ jecti vel materiæ „. Cohæret Lullus D. Augustino, Enarrat. in Psal. 35. dicenti: „ Aliud est enim quando quisque conatur intelligere, „ & per infirmitatem carnis non potest .... aliud autem quando „ perniciosiùs agit adversùm seipsum cor humanum, ut quod possit „ intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat; non quià „ difficile est, sed quia voluntas adversa est. . . . Fac hominem quæ„ rere quomodo sit æqualis filius Patri, credidit, quærit intelligere, „ nondùm potest. Magna enim res est, & vires majores desiderat, „ ut possit capi, & est initium Fidei, quod custodit animam, donec

Textus 3.

„ roboretur : Lacte nutritur, ut perveniat ad habitudinem, & firmitatem cibi solidioris, ut possit intelligere : *In principio erat* „ *Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Antequam hoc possit, nutritur in fide : & conatur intelligere, ut intelligat quantùm Deus dederit. „ In relatis Lulli verbis, in quibus continetur tertius Textus à dicto Censore notatus, docet Lullus, quòd per fidem appropriatur intellectui credere, & quia illa notitia, quam sic habet, tum positivè, veritates credendo, tum deductivè, illas colligendo, oritur à fide, quæ illi est appropriata, ideò Theologia est appropriatè scientia : non quidem scientia illo sensu, quo scientiam explicuit Aristoteles, sed alio, & quidem altiori, cùm ejus certitudo fundetur in certitudine Fidei, quæ est orta à supremo Objecto. Dicitur autem appropriata, quia proprius, & naturalis actus intellectûs est intelligere, & ita solùm ratione alterius credit, quatenùs supponit verum, quod clarè non intelligit.

18. Ex hoc Textu patet, Lullum ponere fidem tamquam primum fundamentum ad intelligentiam Mysteriorum fidei; & fidem quidem, non utcumque, sed fidem à Deo datam, & appropriatam per supremum Objectum : atque ita, præter alia adducta, Tom. 1. cap. 39. patet mentem ipsius esse, veritates fidei, non nisi suppositâ fide posse demonstrari : quod idem innuit in Prologo, ubi num. 6. sic protestatur : *Illa, quæ in hoc Libro propono dicere, volo quòd sint, & intelligantur in omnibus, salvâ veritate, reverentiâ, & honore Sacrasanctæ Romanæ Ecclesiæ*; & propterea eidem se submittit dicens : *Cujus correctioni hæc, & omnia alia mea dicta submitto.* Apertiùs autem hoc explicat in hac eadem quæst. 1. n. 11. ubi ait : *Et adhuc fides est instrumentum, & juvamentum, ut intellectus intelligat articulos, ut legitur : nisi credideritis, non intelligetis.* : cùm ergo in Isaiæ textu exprimatur necessitas Fidei ad intelligendum veritates, & dicat Lullus Fidem esse instrumentum, & juvamentum, ut intellectus intelligat articulos, prout dicitur in citato Isaiæ textu, planum est, mentem ipsius esse, non nisi fide suppositâ posse intelligi, & demonstrari articulos.

19. Proinde sub hoc tantum sensu debet intelligi Lullum loqui in hac eadem quæst. 1. tum etiam in 15. & 20; quas in Censura objicit laudatus Censor, dum dicit demonstrari, vel generaliter articulos, vel determinatè divinam Trinitatem, vel Incarnationem, vel aliam quamcumque Fidei veritatem ; cùm autem, ut ostensum est, nullo modo sit erroneum asserere, quòd fidei Mysteria possint demonstrari, fide & revelatione suppositâ ; ideò immeritò doctrinam

Lulli notat ut erroneam laudatus Censor; rationes autem, quibus Lullus probat dictas veritates, dicuntur ab ipso *naturales*, ut jam notavimus, quia desumuntur ex ipsis propriis, & naturalibus Dei perfectionibus, ut videri potest in hoc & aliis Libris; dicitur etiam probari *necessariò* dictas fidei veritates, quia videlicet in dicta probatione ex antecedenti certo & noto, necessariò, & infallibiliter deducitur consequens; non autem quòd inducat Lullus in Deo necessitatem absolutam ad Incarnationem, & alias operationes Dei ad extra, sed tantùm moralem & decentiæ, prout cum sancto Anselmo infra explicabimus.

20. In citatâ quæst. 1. num. 1. post verba relata num. 17; ut ostendat Lullus utilitatem, & conducentiam fidei, subjungit: « Et sicut objectum sensibile restauratur in imaginatione in absentia sentiendi (quatenùs, dum sensus actu non sentit, imaginatio proponit objectum antea perceptum per sensum) sic & multò meliùs quando intellectus non est dicursivus per necessarias rationes (demonstrativas) circà veritatem Articulorum fidei (sicut intellectus mechanici, aut alicujus alterius, qui stat ad positiones tantùm) restauratur veritas Articulorum in credulitate intellectûs, qui ipsos credit; & hujusmodi restauratione multùm indiget intellectus, cùm omnes homines non sint dispositi ad investigandam veritatem Articulorum fidei, & sacræ Scripturæ per necessarias rationes, sicut mulieres, Faber, Rusticus, & sic de similibus ». Et his verbis desumptus est secundus Textus ab hoc Censore notatus; observa tamen ante ejus discussionem, quomodo cohærent omnia D. Aug. in Joan. cap. 7. Trac. 29. num. 6, ubi postquam explicuisset Filium esse lumen de lumine, ait: « Si intelleximus, Deo gratias: si quis parùm intellexit, fecit homo, quousquè potuit, cætera videat unde speret. Forinsecùs ut operarii possumus plantare, & rigare, sed Dei est incrementum dare: *mea inquit Doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. Audiat consilium, qui dicit nondùm intellexi. Magna quippe res & profunda, cùm fuisset dicta, vidit utique ipse Dominus Christus hoc tam profundum non omnes intellecturos, & in consequentibus dedit consilium. Intelligere vis? Crede. Deus enim per Prophetam dixit: nisi credideritis, non intelligetis. . . . . sed ego dixeram si quis crediderit, & hòc consilium dederam, si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas; quoniam nisi credideritis non intelligetis ». Et

Textus 2.

Serm. 126. num. 8. « Lætetur, qui intelligit; patienter ferat, qui » non intelligit: quod non intelligit ferat, & ut intelligat differat.

21. Duo sanè hominum genera distinguit Lullus in hoc Textu: Unum est illorum, qui stant ad positiones tantùm, hoc est illorum, qui vel ob imbecillitatem intellectûs, vel ob particularem ad exteriora applicationem, non sunt dispositi ad investigandam veritatem Articulorum fidei: in istis veritas Articulorum fidei, quæ sibi à Magistris, vel Pastoribus fuit proposita, postquam eos jam non audiunt, restauratur seu conservatur in eorum credulitate solâ, quatenùs, solùm credunt, quia tantùm stant ad positiones, quin curent per rationem intelligere ipsam veritatem; & hujusmodi sola credulitas est necessaria prædictis hominibus, ut suo modo veritates fidei percipiant: Aliud genus hominum est eorum, qui non stant ad positiones tantùm, sed per necessarias rationes investigant veritatem Articulorum, quam fide perceperunt; & eorum intellectus nedùm fide, & credulitate percipit dictas veritates, sed etiam attingit intelligentiâ; & respectu istorum posteà probat, quòd Theologia est propriè scientia, quia eorum intellectus per proprium & connaturalem actum, qui est intelligere seu clarè percipere, attingit dictas veritates.

22. Unde immeritò laudatus Censor scribit: *Textus secundus etiam videtur indicare fidem rusticis tantùm esse necessariam;* de quo egimus Tom. 1. cap. 40. ad art. 97. Eymerici, & ostendimus evidenter ex Lullo, fidem esse omnibus quibuscumque necessariam: immeritò quidem id Lullo attribuitur in presenti Textu; nam ex eo quod dicat, quòd fide vel credulitate veritatis Articulorum *multùm indiget intellectus, cum omnes homines non sint dispositi ad investigandam veritatem articulorum per necessarias rationes*, quales sunt rustici, non legitimè infertur, negare fidei necessitatem in Litteratis; quia, ut ostendimus, hoc textu tantùm docet, hanc fidem solam & sine intelligentiâ veritatis esse rusticis necessariam; non autem negat absolutè fidem esse necessariam illis, qui conantur intelligere veritatem Articulorum per necessarias rationes, imò hoc supponit, quia, ut ostendimus ex ipso, ad intelligentiam Articulorum debet fides præsupponi. Deinde assertio, quòd fide *multùm indiget intellectus*, est generalis, ac proinde de omnibus intellectibus verificatur; ratio autem, quam subjungit, quia videlicèt non omnes sunt dispositi ad investigandas rationes, non est formalis, sed est merum exemplum particulare, ut ostendat illis esse fidem necessariam.

23. Præterea ad objectionem propositam ab Eremita in hac quæst. 1. num. 5. scilicet, quòd *si articuli possent probari, amitteretur fides, in quantùm per credere non haberemus meritum*, respondet n. 9. dicens: *Et quia dicis, quòd si intellectus posset attingere Articulos per demonstrationem, destrueretur fides, malè dicis; quia quantò altiùs intellectus intelligit veritatem Articulorum, tantò majus meritum assequitur*; & num. 10. subjungit: *Et licèt intellectus intelligat Articulos fidei, non sequitur, quòd destruatur fides, quia ille, qui ipsos intelligit, intendit quòd si ipsos non intelligeret, ipsos tamen crederet*: Ex quibus patet, quòd fides, quæ in principio pro omnibus asseritur necessaria, sola quidem est in rusticis, & in illis qui tantùm stant ad positiones; in illis verò, qui investigant rationes, conjungitur cum eorum scientiâ; nec ejus meritum perditur: atque ita nullum est indicium, quòd sentiat Lullus, fidem non esse Doctis necessariam, imò, ut supra diximus, immediatè num. 11. citat illud Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis*, ut ostendat fidem esse Doctis necessariam, ut per rationes necessarias intelligant Articulos fidei.

24. Ampliùs: in aliis locis ejusdem libri docet necessitatem fidei generaliter pro omnibus, ut quæst. 86. in qua eam simul cum spe, & charitate, quas dicit esse virtutes gratuitas, asserit necessariam ad meritum, dicens num. 2. *Item prædictæ virtutes spectant ad meritum, quia ratione meriti* (id est ad acquirendum meritum) *sunt datæ, licèt gratìs sunt datæ; & spectant ad meritum, quia si non spectarent ad meritum, implicaretur contradictio, & ipsi credere, sperare, & ipsi amare conveniret acquirere meritum & non acquirere, quod est impossibile.* Deinde quæst. 113. docet, fidem per peccatum mortale reddi informem; quia sic non prodest ad salvationem; & quæst. 114. docet, quòd fides informis per adventum gratiæ fit formata, & quòd sine ipsa, non acquiritur meritum nec recipitur gratia sanctificans.

25. Pergit deinde Lullus in hac præsenti quæstione ad probandum, quòd Theologia propriè sit scientia, quia intellectui proprium est intelligere, sicuti igni calefacere, & oculis videre; & cùm Deus, qui est subjectum Theologiæ, sit intelligibilis cum magnitudine, suæ intelligibilitatis, sequitur quòd intellectus creatus sit tali magnitudine intellectivus, quòd sit dispositus ad intelligendum Deum, ut suo actu proprio, in quo est major magnitudo potestatis, attin-
Textus IV. gat Deum, & sic concludit. *Ergo significatum est, quòd Theologia propriè*

propriè sit scientia, aliàs divinæ intelligibilitati esset injuriatum, inquantùm humanus intellectus non posset intelligere divinam Trinitatem, &c. secundùm magnitudinem supremi objecti, & secundùm magnitudinem ipsius intellectûs, & sic deficiunt divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, &c. ex parte supremi Objecti, & ex parte ipsius intellectûs. Ex his verbis desumptus est Textus quartus Censoris, num. 1. relatus; dicitur autem, quòd nisi Theologia esset propriè scientia, esset injuriatum divinæ intelligibilitati, quia, cùm Deus sit in magnitudine intelligibilis, ipsi debet correspondere intellectus creatus in proportionata magnitudine intellectivus, & hoc exigunt divina Bonitas, Magnitudo, &c. sicut, quia Deus est in magnitudine amabilis, ipsi debet correspondere creata voluntas in proportionata magnitudine amativa.

26. Posteà Lullus num. 3 & 4. eamdem conclusionem probat variis rationibus, quæ etiam præcedentem confirmant; & n. 5. opponit Eremita, non esse demonstrabile, *quòd Deus sit ùnus & trinus & incarnatus, & sic de aliis pertinentibus ad fidem;* & sic Theologia non est scientia, *cùm scientia non sit nisi de hoc, quod intellectui est demonstrabile sine aliquo dubio; & ratio quare articuli non possunt demonstrari est, quia omnis demonstratio fit per causam.; & quia benedicta Trinitas Dei non habet aliquid supra se, non potest demonstrari per causam, quòd de necessitate sit Trinitas, & sic de Divina voluntate, quæ voluit, quòd Filius Dei incarnaretur.* Ad hanc objectionem respondet Lullus num. 6. dicens: « Eremita: Intellectus duobus modis attingit suum objectum, scilicet subitò, & successivè: subitò, quando attingit quòd omnis triangulus habet tres angulos, & hoc quia per sensitivam, & imaginativam est certificatus; & non dico quòd per hunc modum, vel per similem, Trinitas sit demonstrabilis, cùm ipsa non sit sensibilis nec imaginabilis; sed secundùm modum discursivum, quem intellectus habet in attingendo, est Trinitas demonstrabilis: non propter quid, sed per æquiparantiam ». Ex his verbis quoad sensum desumpsit prælaudatus Censor Textum primum, num. 1. relatum.

27. Clarè explicat Lullus in hac responsione suum sensum super demonstrabilitate Mysteriorum Fidei; distinguens duplicem modum scientiæ in intellectu, videlicèt eam, quâ subitò, id est immediatè, certificatur intellectus, vel per sensum, & imaginationem, vel per seipsum in objectis per se notis; & illam, quâ, mediante dicursu, ex notis veritatibus alias deducit: primo modo non demonstratur

Trinitas nec alii fidei Articuli, quia nec per sensum & imaginationem, nec alio consimili modo sunt immediatè noti intellectui; at, mediante discursu, certificatur de ipsis intellectus, & acquirit de eisdem demonstrationem, non quidem per quid vel per causam, quia nihil est Deo superius, ex quo ejus veritates sint demonstrabiles; sed per æquiparantiam, quatenùs, cùm omnes Dei perfectiones sint æquales, ex illis veritatibus dictarum perfectionum, quæ notæ sunt intellectui, deducit veritates ad Articulos fidei pertinentes, ut ibi exemplificat Lullus, quoad Trinitatem, ex æqualitate existendi & agendi in Deo, & ex æqualitate intellectûs, ac potestatis, bonitatis, &c.; & quoad Incarnationem ex æqualitate divinæ voluntatis, sapientiæ, magnitudinis, finis, &c. Unde num. 6. ostensâ distinctione in divina Trinitate, subjungit: *Et intellectus certiùs attingit supradictam distinctionem, quàm quando intelligit, quòd triangulus habet tres angulos; & ratio hujus est, quia attingit prædictam distinctionem per infinitas rationes Dei* (in quibus sanè est major veritas & necessitas) *& attingit angulos trianguli per sensitivum, & imaginativum, quæ sunt finita.*

28. Textum quintum desumpsit laudatus Censor ex quæst. 12. in qua quæritur: *utrùm Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio?* Et in ea, postquàm Lullus ratione probavit Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, Eremita num. 2. sic objicit: « Raymunde » Beatus Joannes Evangelista dixit: *Spiritus qui à Patre procedit:* » Unde videtur, quòd si Spiritus Sanctus procederet à Filio, ipse » hoc dixisset; & sic secundùm tua dicta es contra Sacram Scriptu- » ram, quia dicis quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio ». Ad

Textus 5. hanc objectionem ita num. 3. Lullus respondet: *Raymundus fuit miratus, quare consideravit, quòd Pater & Filius de necessitate spirent Spiritum Sanctum, ut suprà probatum est, cùm Beatus Joannes non dixerit, quia ab utroque procedit: unde Raymundus recurrit ad principia suæ Artis ad investigandum de hoc veritatem secundùm modum suæ Artis, per quem modum autoritates Sanctorum possunt exponi, & declarari, & concordari cum necessariis rationibus.* Sanè in hoc Textu nihil est notâ dignum, cùm demonstratio vel manifestatio per necessarias rationes, semper intelligatur, ut ostendimus, fide suppositâ. Quod autem dicit, autoritates Sanctorum posse exponi & declarari secundùm modum suæ Artis, & concordari cum necessariis rationibus, etiam intelligitur fide suppositâ, &, ut prævenit in Prologo, *salvâ veritate Catholicæ Fidei*; & cum principia Artis Lul-

lianæ, ut ostendimus To. 1. ferè per totum, sint infallibilia principia discurrendi, ideò possunt conducere ad explicandas autoritates, & concordandas cum necessariis rationibus; unus enim modus exponendi autoritates, ut omnes fatentur, est juxtà rectam rationem; & conformiter ad hoc celebris Theologus Henricus Gandavensis in Summa, art. 10. quæst. 2 & 3. & art. 16. quæst. 7 & 8. docet adhibendam rationem in expositione Scripturæ.

29. Unde in Censura relatâ num. 1. immeritò notat laudatus Censor, Lullum probare Articulos Fidei *ex principiis suæ Artis*, & quòd *totus hic liber fundatur in hac Doctrina seu Arte;* cùm enim, ut ostendimus, principia Artis Lullianæ sint certa, & infallibilia fundamenta ad inveniendam veritatem, meritò adhibentur in Theologia; & quia methodus, quam sibi Lullus proposuit in hoc libro, ut exponit in Prologo num. 4. est talis, videlicèt: *Ad honorem Dei & ex debito charitatis, quæ nobis omnibus est necessaria ad salutem, cupio tibi in hac parte obedire, & juxtà meum posse, cum auxilio Dei, per prædictam Artem inquirere veritatem de supradictis quæstionibus:* Ideò juxtà propositam methodum discurrit in hoc libro per principia suæ Artis; non tamen ita absolutè & rationi naturali laxando habenas, ut ipsa sit arbitra, & nulli subdatur ferulæ, prout suggillare videtur laudatus Censor, sed quemadmodùm advertit in eodem Prologo num. 6. dicens: *Illa, quæ in hoc libro propono dicere, volo quòd sint & intelligantur in omnibus, salvâ veritate, reverentiâ, & honore sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, eujus correctioni hæc & omnia alia mea dicta submitto.* Itaque tantùm, suppositâ, & salvâ fidei veritate, ex principiis suæ Artis rationes adducendo, discurrit Lullus in hoc libro.

30. Nec solus est Lullus, qui, suppositâ Fidei veritate, ex sola ratione procedit in tractando Theologica, imò, ut ostendimus Tom. 1. plures sunt Patres & Doctores, qui ita procedunt, & signanter Sanctus Anselmus, expressè remotâ omni autoritate, totam Theologiam absolvit; & sanè de hoc Lulli volumine indebitè exponit laudatus Censor hanc querimoniam, quia in pluribus quæstionibus sacram commemorat Scripturam, ut in hac quæst. ubi num. 10. probat Mysteria Fidei posse demonstrari ex variis locis Scripturæ, quibus de Christo refertur, *quando apparuit Magdalenæ, & quando cum Apostolis comedit de favo mellis, & quando Beato Thomæ ostendit suum latus, & quando, præsentibus Apostolis, ascendit ad Cœlos, & sic de diversis linguis Apostolorum, & de multis aliis miraculis, quæ fuerunt facta ad probandam Catholicam Fidem;* & num. 11. profert il-

lud Isaiæ : *Nisi credideritis, non intelligetis*. Quæst. 12. sibi opponit locum Joannis 15. 26. *Spiritus, qui à Patre procedit*, & in aliquibus aliis ; & in toto libro frequentissimè provocat ad fidei veritates, ut eisdem conformet resolutiones, quas in difficultatibus scholasticis determinat. Itaque parcè utitur Lullus Sacrâ Scripturâ, quia, eâdem suppositâ, breviter convincere intellectum per ratiocinia nititur; non autem, vel quia eam despiciat, vel parvipendat argumenta, quæ ex motivis credibilitatis fortissima proponi possunt : quantùm autem hujusmodi argumenta ipse Lullus magnifaciat, luculentissimè ostendit Apostrophe latinâ *de Articulis Fidei* (tom. 4.) ubi art. 13. sub tit. *Quòd sex Articuli, qui pertinent ad humanitatem, jam sint facti*; præmisso, quòd res facti, cujusmodi sunt præfati sex Articuli, non videantur posse probari nisi per testes, & instrumenta, ita subjungit; » Et si de attestationibus testium & per Scripturas sumi- » tur fides & probatio, nulla secta est ita vallata, & roborata attes- » tationibus testium, Scripturis, & instrumentis; sicut Christiana » fides, quam sacrosancta Romana Ecclesia confitetur; quæ enim » secta habet tot Testes, quot Fides Christiana, pro qua confiten- » da, & testificanda millia millium hominum sunt martyrisata? » Imò, quod singulare & mirabile est, nulla secta moriendo est fun- » data, nec multiplicata, nec lætatur de morientibus, nisi sola » Christiana Fides : quæ secta habet tot Scripturas, tam altas, tam » multiplices, omnes ad unam veritatem Christianæ Fidei concur- » rentes, sicut Fides Christiana? Imò, si Scripturæ aliarum Secta- » rum librentur, & comparentur ad Scripturas Christianæ Fidei, » non videntur Scripturæ, sed potiùs quædam ruditates, & deli- » ramenta : quinimò Christiana Fides tam evidentibus signis & mi- » raculis est probata, & per nostrum Dominum Jesum Christum, » & eum sequentes, tam evidenter tradita, & etiam declarata, » quòd dicta signa & miracula non potuerint fieri, nisi à Deo; nec » per ipsum Dominum Jesum Christum potuissent talia fieri, qua- » lia fecit, nec tam evidenter tradi nec declarari, quæ nobis tra- » didit, nisi ipse esset verus Deus, & verus Homo, & per conse- » quens vera omnia, quæ nos docuit facere, & faciendo firmavit.



DISSERTATIO II.

De actibus à Lullo attributis divinæ Essentiæ & perfectionibus, ex Textibus desumptis ex quæst. 2. 4. 20. 23. & 24. & eorumdem Censurâ.

§. I.

Exponuntur Textus, & ostenditur in eisdem nullum esse errorem.

I. LAUDATUS Censor Textus & Censuram sic profert : PRIMUS TEXTUS : « Sicut elementum se habet ad elementandum, & » leo ad leonificandum : sic & multò plùs divina natura se habet ad » naturificandum, & Deitas ad Deificandum, fol. 4. pag. 2. hoc » est q. 2.

SECUNDUS : « Natura divina requirit agere, ut se habeat ad ali» quem finem, sicut, & multò plùs, anima se habet ad intelligen» dum, recolendum, & amandum, fol. 6. pag. 1. id est qu. 4.

TERTIUS : « Sicut natura divina requirit agere intrinsecè, id est » naturare, sic sua bonitas requirit bonificare, magnitudo magni» ficare, æternitas æternificare, &c. ibidem.

QUARTUS : « In Deo est potestas infinita, cùm quidquid est in » Deo essentialiter sit infinitum : infinita esse non potest, si de sua » infinita bonitate non posset producere bonificatum infinitum, & » de sua magnitudine magnum infinitum, & sic de aliis attributis. » fol. 15. pag. 2. hoc est qu. 20.

QUINTUS : « Undè, cùm divina potestas sit purus actus infinitus, » producit infinitum de infinito. Ibidem.

SEXTUS : « Natura divina est Pater, & est Filius, & sic de essen» tia & attributis ; & natura exigit naturare, cùm de conditione » naturæ sit agere, & per consequens generare, quod est idem quod » agere. fol. 17. pag. 1. id est quæst. 23.

SEPTIMUS : » Si verum est hoc quod tu dicis, Eremita ; Verbum » non esset à Patre simpliciter productum, sed secundùm quid, sci» licèt secundùm Personam, & non secundùm essentiam, & sic non » esset simpliciter Filius totus Filius, neque Pater simpliciter totus » Pater, quod est impossibile, ut in Personis non sit quantitas ; & » sic tua ratio non obstat, & est declaratum, quòd Filius sit essen-

„ tialiter de essentia productus, sicut personaliter de Persona, ra-
„ tione cujus declarationis est significatum, quòd essentia Filii relata
„ ad Personam Filii, sic est genita, sicut est ingenita, relata ad Per-
„ sonam Patris, cùm Pater sit ingenitus. fol. 17. pag. 2. id est
„ qu. 24.

Censura : „ Quilibet ex prædictis textibus erroneus est, quia sig-
„ nificat in divinis naturam sive essentiam, & attributa essentialia
„ producere, & produci. Et quamvis existimem Lullum voluisse di-
„ cere in prædictis Personam unam, alteri communicare naturam,
„ essentiam & attributa; tamen modus loquendi erroneus est, &
„ non ferendus.

II. De hac eâdem materiâ locuti fuimus, Tom. 2, cap. 2. ad art. 2, 3, 4 & 5. Eymerici, ostendendo mentem & sensum Lulli non esse, quòd divina natura, essentia, bonitas, magnitudo, &c. producat & producatur absolutè, sed tantùm esse principium *quo* producendi; vel, dum similia proferuntur, accipi abstractum pro concreto; sicut etiam actus illos, quos in natura divina & Dei perfectionibus agnoscit Lullus, agnosci, & eisdem attribui à pluribus Patribus & Doctoribus, eodem Lulli sensu : Unde, ne actum agam, hîc solùm ostendam, Textus notatos ab hoc Censore, juxtà sensum obvium ex contextu, non esse erroneos, nec significare essentiam, naturam, & attributa essentialia producere & produci absolutè, prout objicit laudatus Censor; pro quo memoriæ repetendum est sensum, cujuscumque Autoris non esse determinandum ex aliqua clausula vel clausulis ejusdem à contextu avulsis, & sine respectu ad contextum consideratis; sic enim Sacræ Scripturæ & Sanctis Patribus multi possent errores imponi; sed attentâ mente ipsius Autoris clarè expositâ, & habitâ reflexione ad contextum. Mens Lulli ex variis libris deprompta circà hanc materiam apertè est manifestata dicto cap. 2, quòd scilicet natura divina ejusque attributa solùm sunt principium *quo* divinarum productionum, & quòd, dum ex energica locutione aliquando abstractis divinis attribuitur producere, & produci, tunc sumitur abstractum pro concreto; atque adeò, hoc supposito, hîc tantùm Textus ex contextu explanabo.

III. Itaque Lullus, cit. Lib. Sent. qu. 2. inquirit : *Utrùm Deus sit subjectum Theologiæ sub aliquâ ratione determinata?* Ad hujus solutionem præmittit num. 1. quòd Deus potest dupliciter considerari, scilicèt absolutè, & determinatè; *absolutè, sicut quando consideramus, quòd Deus sit unum ens, quod est infinitum & æternum, nullam habens*

determinationem quoad suam essentiam, & naturam, sicut considerare unam bonitatem in abstracto, non contractam ad aliquid, sed nudam & remotam ab omni alio ente : & sic resolvit, quòd Deus *secundùm suam simplicissimam unitatem & existentiam, non potest esse subjectum Theologiæ sub aliqua ratione determinata ;* quia sic consideratus nullam rationem determinatam importat. Determinatè consideratur Deus, dum aliqua determinata proprietas in eo agnoscitur ; & hoc modo sub aliqua ratione determinata est subjectum Theologiæ, ut ibi determinat Lullus dicens : *Sed secundùm modum proprietatum, quas Deus habet in seipso & in suo effectu, teneo affirmativam quæstionis.*

IV. Ad probandam hanc resolutionem ostendi oportet in Deo esse tales proprietates : ad quod sic n. 2. discurrit : » In Deo existentia » (hoc est *essentia*, ut scribitur in citato manuscripto) & natura » sunt idem, cujus essentia est sua Deitas, & in ipsa Deitate sunt » plures rationes existentes, eædem numero cum ipsa, & quælibet » cum alia, sicut divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, » Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, & Gloria ; & quia Deitas » est idem cum suâ naturâ, quælibet ratio requirit suum actum de» terminatum, sicut Bonitas, quæ naturaliter requirit suum bonifi» care, & magnitudo suum magnificare, &c. *Cùm omnis natura re» quirat actum & finem, quare est, ut non sit frustrà, & otiosa ;* sicut » essentia, quæ requirit subjectum, in quo possit existere, quod » subjectum, per essentiam habet existentiam in existendo hoc quod » est » Ex hoc textu notare opportet, quòd eatenùs naturæ divinæ ejusque perfectionibus attribuit Lullus agere, quatenùs natura requirit actum, & essentia requirit subjectum, seu esse, in quo existit ; quia in his duobus principiis fundat assertionem positam, videlicèt, quòd quia Deitas, quæ est idem cum Bonitate, Magnitudine, &c. est idem cum naturâ, ideò quælibet perfectio requirit suum actum proprium, nempè Bonitas bonificare, Magnitudo magnificare &c. undè, cùm natura tantùm ut principium *quo* requirat actum, & se habeat ad operationem, ideò tantùm potest intelligi ex dicto textu Deitatem, naturam, bonitatem, magnitudinem, &c. *requirere suum actum determinatum*, quatenùs videlicèt sunt principium *quo* illius actûs, seu operationis. Hoc, præterquàm quòd in omnium sensu est notum, constat ex Divo Thoma, qui part. 1. qu. 39. art. 2. ad 3. ait : *Natura designat principium actûs, essentia verò ab essendo dicitur ;* & 3. part. q. 20. art. 1. ad 2. sic scribit : *Agere autem non attribuitur naturæ sicut agenti, sed personæ ; actus enim suppositorum sunt & singularium, se-*

cundùm Philosophum ; attribuitur tamen actio naturæ, sicut ei, secundùm quam persona, vel hypostasis, agit : Hæc eadem est Doctrina constans Lulli, ut explicuimus citat. Tom. 2. c. 2. videlicèt, quòd natura & essentia tantùm est principium *quo* agendi ; suppositum verò est principium *quod* ; atque ita naturæ vel formæ tantùm attribuitur operatio tamquam principio *quo*.

V. Hoc supposito, subjungit Lullus immediatè in textu citato hæc
Textus 1. verba : *Unde, cùm hoc ita sit, sicut elementum se habet ad elementandum, planta ad vegetandum, sensitiva ad sentiendum, intellectiva ad intelligendum, leo ad leonificandum, homo ad homificandum ; sic, & multò plùs divina natura se habet ad naturandum, & deitas ad deificandum, & unitas ad uniendum* (unificandum) *unde in essentia, & natura Dei resultant proprietates personales determinatæ in quantum ad invicem sunt distinctæ, quæ sunt Paternitas, Filiatio, & Spiratio, quæ sunt ipsa Beata Trinitas Dei ; & sic ratione hujus determinationis, Deitate existente Paternitate sub una ratione, & Filiatione sub alia ratione, & sic suo modo de Spiratione, est Deus subjectum Theologiæ sub rationibus determinatis ; & sicut diximus de proprietatibus personalibus, sic intelligendum de proprietatibus vel attributis Dei.*

VI. Hæc Verba, ex quibus primum desumpsit Textum laudatus Censor, cùm inferantur ex antecedentibus, dicendo : *unde cùm hoc ita sit*, intelliguntur ex ipso contextu in eodem sensu, quo dicitur, naturam requirere actum; & bonitatem, magnitudinem, &c. requirere actum bonificandi, magnificandi, sicut essentia requirit esse ; & cùm natura, unicè tanquam principium *quo*, & ratio agendi, requirat actum, & se habeat ad ipsum, sicut essentia, uti ratio essendi, se habet ad esse : ideò dum dicit in hoc Textu notato, *quòd Divina natura se habet ad naturandum*, id est ad producendum habentem naturam, *& Deitas ad Deificandum*, id est, producendum Deum, *& unitas ad uniendum*, id est producendum unum, tantùm ex contextu intelligitur quòd se habent ad actum producendi tanquam principium *quo*, & ratio agendi ; non autem absolutè & ut principium *quod* ; atque ita ex dicto integro contextu indebitè eruitur propositio absoluta, quam exponit laudatus Censor, videlicet, *naturam, sive essentiam, & attributa essentialia producere, & produci ;* sed tantùm hæc propositio restricta ; videlicet, *divina natura se habet ad naturandum, & Deitas ad deificandum, & unitas ad uniendum, seu producendum, tanquam principium* quo, *& ut ratio agendi, vel producendi :* quæ propositio est omninò Catholica ; nec in toto hoc contextu

contextu Lullus dicit absolutè, quòd *natura* naturet, *Deitas* deificet, *bonitas* bonificet, id est producat, sed tantùm quòd natura, deitas, bonitas, &c. *requirunt actum, & quòd se habent ad actum*; requirere autem actum, & ad ipsum se habere propriè convenit principio *quo* & rationi agendi, quin per hoc absolutè, & tanquam *quod* agat; & propterea dicimus, intellectum se habere ad intelligendum, visum ad videndum, &c. qui tantùm sunt principium *quo* & ratio, cur intelligens intelligit, & videns videt.

VII. Prædicta ampliùs patent ex comparatione in eodem textu facta, nempè: *sicut Elementum se habet ad elementandum, &c.* in qua exponuntur extrema comparationis, tum abstracta, ut *elementum*, *sensitiva*, & *intellectiva*, tum concreta, ut *Planta*, *Leo*, *Homo*, quæ diversimodè se habent ad actum, nempè abstracta ut principium *quo*, & concreta ut principium *quod*, ut intelligatur in alio extremo simili modo, videlicet, quòd *natura*, *deitas*, & *unitas* se habent ut principium *quo*; concreta autem, quæ subintelliguntur, nempè *habens naturam*, *Deus*, & *unus* ut principium *quod* se habent ad actum; & propterea subjungit Lullus, quòd ex hoc, quòd natura divina tamquam principium *quo* requirit actum producendi, *in essentia & natura Dei resultant proprietates personales determinatæ*, Deo producente Deum, ut in aliis quæstionibus distinctè explicat, quod hîc compendiosè indigitat, utpotè non necessarium ad præsentem quæstionem, in qua subjungit, qualiter Deus est subjectum Theologiæ sub ratione determinata, nedùm proprietatum personalium, sed etiam attributorum, & aliarum rationum, quæ per Theologiam in Deo considerantur.

VIII. Hæc ratio, quâ Lullus ostendit proprietates personales in divina natura, fundatur in fœcunditate ejusdem naturæ, prout etiam discurrunt Patres referendi §. 2. dum autem in hoc eodem libro eam fusiùs pertractat, ampliùs ostendit, naturam, & abstracta divina tantùm se habere ut principium *quo*; Deum autem seu concretum ipsorum esse id, quod propriè, & absolutè producit: unde q. 6. num. 1. ait: *Deus habet naturam, per quam naturaliter intelligit, & diligit se ipsum*; & in tota hac quæstione Deo, & personis absolutè attribuit actum, intelligendi, volendi, bonificandi, magnificandi, &c. de abstractis autem dicit esse rationes, cur tales actus sint in Deo & personis. Idem insinuat quæst. 7. 8. 9. 10. 12. ubi num. 1. ait, quòd *Deus producit de se ipso ratione suæ Bonitatis, Infinitatis, Æternitatis, &c.* & quæst. 13. 14. & 15. similia repetit, ut intelli-

gatur mentem ipsius esse, quòd Deus vel persona divina propriè & absolutè producit; natura verò & perfectiones divinæ tantùm sunt ratio, & principium *quo* productionum, juxta contextum hujus libri, ex quo alii textus faciliùs possunt intelligi.

IX. Secundus & tertius textus sunt desumpti ex qu. 4. in qua Lullus quærit: *Utrùm ratio differentiæ divinorum attributorum sit in Deo, vel in intellectu creato?* Quod est idem ac quærere, *an divina attributa distinguantur distinctione reali, vel per intellectum;* & ad hujus resolutionem num. 1 & 2. ostendit, quòd divina essentia, natura, sapientia, voluntas, & aliæ Dei perfectiones *sunt idem numero sine differentia;* num. autem 3. miratur, *quare in Deo considerabat & numerabat unam bonitatem, unam magnitudinem, &c. postquam realiter non sunt differentes:* ad quod intelligendum recurrit ad divinam naturam, & considerat ipsam cum divinis rationibus, seu perfectionibus,
Textus 2. & intelligit. *Quòd natura requirat agere, ut se habeat ad aliquem finem, sicut, & multò meliùs quàm anima, quæ se habet ad recolendum, intelligendum, & diligendum, & sic Raymundus invenit rationem quare rationes Dei sint reales, licèt non sint differentes; quia, sicut natura*
Textus 3. *requirit agere intrinsecè, scilicet naturare, sic sua bonitas requirit bonificare, & sua magnitudo magnificare, & sua æternitas æternificare, & sic de aliis, cùm sint idem numero cum ipsa natura, ut probatum est; per quod demonstratur, quòd rationes sint reales in divina productione intrinseca: sicut Pater, qui ratione sapientiæ naturaliter concipit Verbum, & ad hoc concurrunt omnes aliæ rationes reales essentiâ, cùm Filius sit ita bonus per bonitatem, magnus per magnitudinem, &c. sicut sapiens per sapientiam; & hoc idem est de Sancto Spiritu secundùm processum amoris; & sic in Deo apparent reales rationes, & relucent per distinctionem divinarum Personarum, cum qua ita sunt idem numero, sicut cum essentia & natura, & quælibet ipsarum cum alia.*

X. Ex hoc textu, qui in editione Panormitana paulò aliter sonat, desumit laudatus Censor textum secundum & tertium; in quo tamen idem dicit Lullus, ac in textu primo, videlicèt quòd natura requirit agere, & se habet ad agendum, sicut anima ad intelligendum & diligendum; & quòd sicut natura requirit agere, intrinsecè, scilicet naturare, sic sua bonitas, magnitudo, &c. quæ sunt idem cum natura, requirunt bonificare, magnificare, &c. Et cùm natura in omnium sensu unicè tanquam principium *quo*, & ut ratio agendi, requirat actum, & se habeat ad agendum; non autem tamquam principium *quod*, & quod absolutè agit; ideò similiter divina bonitas, magnitu-

do, &c. unicè tanquam principio *quo* & ut ratio agendi requirunt, & se habent ad bonificandum, magnificandum, &c. Hoc expressè patet in eodem textu, ubi, natura dicitur se habere ad naturandum, sicut anima, unicè tamquam principium *quo*, se habet ad intelligendum & diligendum; & explicatur qualiter sapientia, bonitas, & cæteræ dignitates Dei requirunt suum actum, seu sunt rationes reales in divina productione intrinseca, quatenùs videlicet Pater *ratione sapientiæ naturaliter concipit Verbum*; & quia *ad hoc concurrunt omnes aliæ rationes reales, cùm Filius sit ita bonus per bonitatem, magnus per magnitudinem, &c. sicut sapiens per sapientiam*; ideò dictæ dignitates Dei unicè requirunt bonificare, magnificare, &c. quatenus Pater ratione bonitatis bonificat, ratione magnitudinis magnificat, &c. Filium; id est ipsum producit bonum, magnum, &c.; & hoc ipsum repetitur, num. 5. in solutione argumenti: unde absque ratione censet laudatus Censor Lullum in dicto Textu sentire naturam, & essentiam, ac essentialia attributa producere & produci.

XI. Textus quartus & quintus desumuntur ex qu. 20. ubi quæritur: *Utrùm in Deo sit numerus?* Ad cujus solutionem præmittit Lullus, num. 1. duo esse prærequisita: *primum* est probare pluralitatem in Deo; & *secundum* est cognoscere differentiam inter numerum, qui est in Deo, & numerum qui est in Creaturis; hic enim est cum compositione, & cum quantitate, ac cæteris accidentibus, qualis numerus non potest esse in Deo. Ut autem probet in Deo esse pluralitatem, sic num. 2. discurrit: *In Deo est infinita Potestas, cùm omne id, quod est in Deo essentialiter, sit infinitum: non potest esse infinita, si de infinita bonitate non posset producere infinitum bonificatum, & de infinita magnitudine infinitum magnum, & de æternitate æternificatum, & de se ipsa possificatum, & de sapientia intellectum, & de voluntate amatum, & sic de aliis attributis; & hoc est, quia nullum ens potest esse infinitum, nisi sit infinitum existendo, & habeat posse ad agendum aliquid de infinito; sed potestas Dei est infinita; ergo de prædictis potest, cùm divina bonitas sit infinita, & sic de magnitudine, &c. Unde, cùm divina potestas sit purus actus infinitus, producit infinitum de infinito; & quia producens, & productus non possunt esse sine distinctione, cùm relativè se habeant, convenit de necessitate, quòd in Deo sit pluralitas, cùm distinctio non possit esse sine pluribus: ergo sequitur, quòd in Deo sit numerus binarius, scilicet unus producens, & alius unus productus: & isti duo in Deo sunt principium numeri; & quia principium numeri non potest esse, nisi ex ipso sequatur aliquid, scilicet*

Textus 4. Textus 5.

tertium, convenit, quòd in Deo sit numerus ternarius, scilicèt unum, duo, tria, ut numerus in ipso sit perfectus à parte principii & à parte finis, &c. ut ibi prosequitur.

XII. Ex hoc Textu, qui in editione Panormitana aliquibus scatet mendis, desumpti sunt relati Textus; at, cùm constet mentem Lulli esse, quòd divinæ perfectiones tantùm sunt ratio agendi, & producendi, dum ipsis attribuitur agere, & producere, non debet intelligi absolutè, & uti attribuitur concreto, vel Personæ, sed tantùm, quatenus sunt ratio agendi, & principium *quo* producendi, prout innuitur etiam in eodem Textu, in quo distinctio & relatio, quæ consequitur ad productionem, dicitur esse inter producentem & productum, non autem inter potestatem, & potestatem. Deindè in hoc eodem libro qu. 6. Posse Bonificare, Magnificare, &c. seu posse producere de infinita bonitate, magnitudine, &c. attribuitur Deo, qui sic potest ratione suæ naturæ & dignitatum: Idem habetur qu. 7. & signanter qu. 8. num. 1. de potestate generandi dicitur, quòd sit illa potentia, *per quam Filius potest generari à Patre.* Tandem non est ratio calumniandi in Lullo, quòd divina potestas possit producere, generare, creare, & similia, cùm hoc sit labium commune, sicut dicitur de divino intellectu, quòd concipit Verbum, & de voluntate quod spirat Spiritum Sanctum, ut §. 2. exponam.

XIII. Ex qu. 23. *Utrùm Pater, ideò sit Pater, quia generat, vel ideò generet, quia Pater?* Desumptus est sextus Textus; & quidem ad hujus quæstionis solutionem præmittit Lullus, num. 1. quòd, ut evitetur in Deo causa & effectus, recurrit ad principia suæ Artis, considerans in attributis Dei æqualitatem, & æquiparantiam secundùm quod se habent ad generationem: juxtà quod num. 2. sic dis-

Textus 6. currit: *Natura Divina est Pater, & est Filius* (in sensu videlicèt reali) *& sic de essentia & attributis* (quæ etiam eodem sensu sunt Pater, & Filius) *& natura exigit naturare, cùm de conditione naturæ sit agere, ratione cujus sequitur agens, agibile, & agere naturaliter, & per consequens generare, quod est idem cum agere, & naturare, & quia Pater & Filius, essentia & attributa sunt idem cum divina natura, de necessitate sequitur, quòd Pater ideò sit Pater, quia generat, & ideò generet quia Pater, cùm natura ita requirat, &c.* At in hoc Textu idem dicit Lullus, quod in antecedentibus, videlicèt, quòd natura est principium *quo*, & ut ratio *agendi* requirit agere, & naturare, quod est idem ac generare, ut in eodem exprimit, quia *de conditione naturæ est agere*, ut ratio videlicèt agendi, quoniam propter hujus

naturæ conditionem & requisitionem est in ipsa *agens*, quod ratione ipsius agit, est *agibile* & est *agere* agenti correspondentia, ratione requisitionis ipsius naturæ.

XIV. Septimus Textus desumitur ex qu. 24. *Utrùm Verbum in Divinis dicatur essentialiter, vel personaliter?* Quam diverso valde sensu tractat Lullus, ac in Schola communi; nam in ista inquiritur, an de essentia vel aliquo essentiali prædicato verificetur esse Verbum; an verò tantùm verificetur de Persona; Lullus verò eam investigat sub hoc sensu, an videlicèt Verbum identificetur cum essentia Divina, & sit ipsa essentia, & substantia, ac proindè concretum substantiale includens ipsam essentiam; vel sit Persona; & num. 1. ac 2. proposita difficultate circa utrumque, resolvit, quòd Verbum dicitur essentialiter, quia est de essentia Patris, & non est accidens, sed substantia divina; & quòd etiam dicitur personaliter, quia est Persona à Patre distincta, eadem tamen cum ipsa Patris essentia. Postea, num. 3. sic objicit Eremita: « Pater intelligendo Verbum » intelligit quòd ipsemet sit Pater, & non quòd sit essentia, cùm » essentia absolutè conveniat omnibus tribus Personis; & ratio, quare » non intelligit, quòd sit essentia in generando, est, ut non gene- » ret ipsam, quam sic generaret, intelligendo essentiam, sicut ge- » nerat Filium intelligendo quòd sit Pater; & quia essentia est in- » generabilis, cùm sit absoluta, sequitur, quòd Filius non dicatur » essentialiter Verbum, sed simpliciter personaliter.

XV. Huic objectioni duplicem adhibet Lullus responsionem; & quidem num. 4. ait, quòd Pater, « *licèt intelligat quòd sit essentia,* » *sicut intelligit, quòd sit Pater*, non sequitur, quòd absolutè gene- » ret essentiam; *quia sic intelligit, quòd de sua essentia generat Fi-* » *lium, sicut intelligit, quòd sit Pater, in generando Filium de sua essen-* » *tia*. Et num. 5. subjungit: *Item si verum esset hoc quod tu dicis,* Textus 7. » *Verbum non esset simpliciter productum à Patre, sed secundùm quid* » *scilicèt secundùm Personam, non secundùm essentiam*, (id est secun- » dùm, quod est concretum habens essentiam) *& sic Filius non esset* » *simpliciter totus Filius, nec Pater simpliciter totus Pater; quod est im-* » *possibile, ut in Personis non sit quantitas: & sic tua ratio non obstat* » *& est demonstratum quod Filius essentialiter* (id est quoad suum esse » essentiale) *sit productus de essentia, sicut personaliter* (ut Persona) » *de Persona* (quæ est Pater): *per quam demonstrationem significatum* » *est, quòd essentia Filii relata ad Personam*, (id est essentia ut Per- » sona) *sic sit genita, sicut essentia Patris relata ad Personam Patris*

„ (ut est Persona Patris) *est ingenita*, *cùm Pater sit ingenitus*.

XVI. At in his verbis, ex quibus est desumptus relatus Textus, apertè constat, ut expresè asserit Lullus n. 4. quòd Pater *absolutè non generat essentiam*; ac proinde, dum num. 5. dicit: *Quòd essentia Filii relata ad Personam, sic sit gentia, sicut essentia Patris, relata ad Personam Patris est ingenita*, ex obvio sensu non intelligitur, quòd essentia absolutè, & in abstracto sumpta, sit genita; sed tantùm essentia sumpta in concreto, quod est idem ac essentia relata ad Personam, seu concretum essentiale, quòd est Deus, qui est concretum Deitatis, est genita; quod patet ex resolutione quæstionis, in qua resolvit, quòd Verbum dicitur essentialiter, id est quòd Verbum, verè est concretum essentiæ, quæ est eadem in Patre & Filio; vel intelligitur, *essentia relata ad Personam*, idem ac essentia, ut est Persona; & hoc modo rectè dicitur, quòd essentia divina ut Pater generet; & essentia divina, ut Filius gignitur: ac proinde laudatus Censor immeritò attribuit Lullo sentire, quòd essentia, & natura divina absolutè producit, & producitur.

§. II.

Modum loquendi in relatis Textibus non esse erroneum, sed comformem Patrum & Doctorum usui loquendi ostenditur.

XVII. In Censura relata num. 1. subjungit laudatus Censor quòd, quamvis existimet Lullum voluisse dicere in prædictis, Personam unam alteri communicare naturam, essentiam, & attributa, *tamen modus loquendi erroneus est*, *& non ferendus*; at hoc etiam immeritò censet, nam ipse modus loquendi nihil præ se fert errorem sapiens, utpotè usitatissimus apud PP. & DD. ut de omnibus distinctè ostendam; & quidem, *primò* Lullus in text. 2, 3. & 6. utitur hoc modo loquendi, scilicet quòd divina natura, & sic de bonitate, magnitudine, &c. *requirit & exigit agere*, hoc est producere, quia natura ex sua ratione *requirit actum*, *& de conditione naturæ est agere*. Certum est autem, quòd, saltem in Aristotelicorum sensu, est principium certum & constans quòd de conditione naturæ est agere, & quod ipsa ex sua ratione requirit & exigit agere: non quòd ipsa propriè & absolutè agat & operetur, sed quòd suppositum agat ratione ipsius, & ex ejus exigentia: Undè communiter natura intelligitur esse vis insita rebus ex similibus similia procreans, & hoc innuit definitio Aristotelis:

principium motus & quietis &c. non enim esset hujusmodi principium, nisi requireret operationem.

XVIII. Præterea Divus Thomas 1. part. q. 27. art. 1. in corpore ait: *Manifestum est enim, quòd unumquodque, secundùm quod est actu & perfectum, secundùm hoc, est principium activum alicujus:* Ex quo deducit potentiam in Deo. Idem qu. 36. art. 2. ad 6. ait: „Dicendum „quòd per hoc quod Spiritus Sanctus perfectè procedit à Patre, non „solùm non superfluum est dicere, quòd Spiritus Sanctus procedat „à Filio sed omnino necessarium, quia una virtus est Patris, & Filii: „Hoc autem non esset, nisi hæc una virtus requireret actum spirandi. Ibidem qu. 39. art. 2. ad 3. dicit: *Natura designat principium actûs, essentia verò ab essendo dicitur*: Et qu. 41. art. 4. probat in Patre potentiam generandi, *cùm potentia nihil aliud significet, quàm principium alicujus actûs.* Et art. 5. in Cor. scribit; *Illud propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit; omne autem producens aliquid, per suam actionem producit sibi simile;* & ex hoc concludit, *quòd naturo divina in Patre est potentia generandi in ipso.* Tandem qu. 42. art. 2. in Cor. manifestat Filium Patri co-æternum, quia Pater Filium generat naturâ, *& quia natura Patris ab æterno perfecta fuit;* & art. 6. in Cor. scribit: *Potentia enim agendi consequitur perfectionem naturæ; videmus enim in Creaturis, quòd quantò aliquis habet perfectiorem naturam, tantò est majoris virtutis in agendo.* Similiter Divus Bonaventuro in Compendio Theologicæ veritatis, lib. 1. cap. 4. ita discurrit; *Æternum Patrem esse per hoc ostenditur, quòd, cùm Deus sit potentissimus, sapientissimus, & optimus, potest, scit, & vult se summè communicare; Hoc autem est alteri majestatis suæ plenitudinem dare: Ergo Deus Pater ab æterno Filium sibi æqualem genuit, cui divinitatis suæ essentiam communicavit.* Hic sanè discursus non subsisteret, nisi potestas, sapientia, & bonitas Dei exigerent actum talis communicationis; quod idem denotat, dum in fine ait: *Quòd Pater virtute essentiæ existentis in se generat;* & cap. 5. dum dicit; *Cùm igitur copiosissimo fonti bonitatis competat emanatio perfectissima, constat, quòd Persona, quæ Pater est, qui est fons totius bonitatis, generat filium sibi æqualem.*

XIX. Hoc ipsum, nempè, naturam divinam, requirere & exigere actum producendi, dicunt quoad substantiam omnes Scholastici, dum asserunt, divinam naturam esse principium *quo* divinarum processionum; nam illudest principium *quo*, quod est ratio, & virtus producendi, & determinat suppositum ad producendum: atque ita exigit, & requirit ut suppositum producat; & dictum principium

quo dicitur principium generandi, & principium inclinatum ad generationem: unde subtilis Scotus in 1. Dist. 13. qu. unica, §. *Ad quæstionem respondeo*, num. 20. vers. *Ad argumenta*, ait: » Illa habi- » tudo inter producens & productum est naturalis; & naturalitas » hujus habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis, quia » producit principio naturaliter inclinato, ad agendum »: Et vers. *Alio modo dicitur*, scribit: « Ibi communiter concurrit ex parte » agentis inclinatio naturalis, seu forma naturalis, quæ est princi- » cipium generandi, & hoc modo videtur esse generatio in Divinis; » Et propterea juxta omnes principium *quo* dicitur principium producendi, sicut intellectus, principium intelligendi & intellectionis, & voluntas principium volendi & volitionis; quæ omnia æquivalenter sunt idem, ac id quod dicit Lullus.

XX. Eundem loquendi modum habent Patres, qui ex fœcunditate & perfectione divinæ naturæ ostendunt productionem in Deo: qui apud Petavium, Theologic. Dogmat. tom. 2. Trac. de Trinit. lib. 5. cap. 6. num. 8. plures sunt, *& Divinitatem ipsam, hoc est naturam & essentiam Dei, non sterilem & infæcundam esse statuunt, sed genitali vi præditam, & communicabilem*: Undè Divus Athanasius Orat. 2. Hæreticos arguens, qui Patrem nihil aliud nisi Opificem & Conditorem esse dicebant, neque genitabilis fœcundæque substantiæ, sic apud ipsum eosdem impugnat: *Quòd si non fæcunda est sed sterilis Divina substantia, ut illi volunt, sit tamquam lux non illuminans, aut Fons siccus; quomodo non eos pudet, cùm procreatricem efficientiam illi tribuunt; ac detracto eo, quod secundùm naturam est, non erubescunt id præ se ferre, quod ex voluntate pendet.* Et Divus Cyrillus Alexan. 5. Thesauri. pag. 37. *Quare, qui Deum negat Patrem esse, is fæcunditatem auferre à divina natura, ut jam perfecta non sit, quæ generandi virtute careat: Notio ergo perfectionis fæcunditas est:* Et 6. Thesau. pag. 47. *Nam, si stultum est arbitrari, nihil ab humano intellectu prodire, quia & Dominus hoc asserit, & res ipsa clamat: Quomodo non erit absurdum, supremum intellectum, qui Deus est, quique omnem intellectum excedit, infæcundum opinari, aut generationem ipsius corporum legibus subjicere; præsertim, cùm ipse noster intellectus non corporum more generet?* Et idem 5. Thesauri, pag. 42. apud Petav. ibidem cap. 9. num. 8. *Quid igitur obstat, quominùs substantia Patris, perfecta cùm esset, id gigneret quod ex ipsa natum est, tamquam ipsi coæternum? Non enim dici illud potest, Patris substantiam in tempore adeptam esse.* Et num. 7. explicat Petav. Cyrillum, Dial. 2. de Trinit. pag. 456. dicere,

dicere, *Patrem habere naturam genitalem, hoc est, quæ possit gignere.* Et Divus Dionysius, lib. de Divin. Nomin. cap. 2. ait: *Bonitas, & ad benefaciendum suapte sponte proclivis amor, qui in eo, quod excellenter bonum est, ante extitit, non sivit ipsum infæcundum in sese ac sterilem manere, sed eum movit, ut ad omnium productionem genitali quâdam vi summè esset actuosum & efficax*; quæ verba, ut ait Petavius, Theol. Dogm. tom. 1. de Deo, lib. 2. cap. 8. num. 16. intelliguntur *de interiori propagatione Divinitatis*. Hæc omnia & plura alia, quæ sunt adducta tom. 2. cap. 2. non possunt intelligi, nisi intelligatur naturam, essentiam, bonitatem, &c. Dei, exigere & requirere actum producendi.

XXI. Alius loquendi modus, quo utitur Lullus in textu primo relato, num. 1. est, quòd natura divina *se habet ad producendum*, hoc est, ad naturificandum, Deitas ad Deificandum, sicut creatæ naturæ; at hæc expressio quoad rem in omnium ore versatur, qui tenent divinam naturam esse principium *quo* Divinarum processionum, nam principium *quo* est ipsa virtus & potentia agendi; hæc autem virtus & potentia se habet ad actum, ut intellectus ad intelligendum, & voluntas ad volendum; imò suppositum agens non nisi ratione naturæ, seu principii *quo*, se habet ad producendum: nihil etiam apud omnes magis in ore, quàm quòd potentia generandi se habet ad generandum; & potentia spirandi ad spirandum; & subtilis Scotus in Dist. 7. qu. unic. num. 9. §. & vers. *loquendo tunc*, scribit; " Non distinguntur autem in Divinis productiones per modum naturæ & voluntatis, nisi quia principium *quo* producens producit aliter, & aliter se habet ad productionem, & productum "; & ex dictis supra agnoscit in natura inclinationem & habitudinem ad productionem. Et ex Divo Thoma supra num. 18. adducto, sicut essentia se habet ad esse, ita natura se habet ad operationem.

XXII. Quantùm ad comparationem, quam in citato Textu instituit Lullus, videlicèt, quòd sicut sensitiva se habet ad sentiendum, &c. ita divina natura ad naturificandum seu producendum: notandum est hujusmodi comparationes esse frequentissimas apud Patres, ut constat cit. cap. 2. Tom. 2. & exempli gratiâ audiatur Divus Cyrillus Alex. in Joan. pag. 99. litt. C, dicens: *Nam, cùm omnia quæ generant, similia sibi æqualiaque ratione substantiæ producant, sola divina natura minùs se ipsâ generabit; sed natura Patris nullius vitii est susceptiva, bona verò, quæ in nobis sunt, multò perfectiùs in eo, ut in*

primitivo, à quo ad nos defluunt, quàm in nobis sunt: non ergo minorem se Filium generabit, sed æqualem ac consubstantialem.

XXIII. Divus Augustinus in collatione cum Maximino Ariano Episc. sive lib. 1. contra ipsum, num. 14. ait: « Quare verus Deus? » Quia verus Dei Filius. Si enim animalibus dedit, ut non gene- » rent nisi quod sunt: homo hominem generat, canis canem, & » Deus Deum non generat? » Et eadem iterum tractans Augustinus lib. 2. vel potiùs, ut in editione nova, in lib. 1. contra Maximin. cap. 6. ait: « Sexto loco, ut ejusdem naturæ, cujus & Pater » est, ostenderem Filium, etiam mortalium fœtus animalium im- » manitati vestri erroris objeci, increpans cor vestrum, qui ejus- » dem naturæ, cujus est Pater, negatis esse Deum Filium, quam- » vis verè esse Filium non negatis; cùm Deus ipse dederit anima- » libus hoc generare, quod ipsa sunt: ubi non solùm hominis ho- » minem, verùm etiam canis canem filium nominavi: non ad si- » militudinem Dei, sed ad confusionem detrahentium Filio Dei; » qui, cùm videant corruptibiles mortalesque naturas habere tamen » naturæ de suis parentibus unitatem, Filio Dei verò nolunt con- » cedere communionem naturæ unius habere de Patre; cùm sit in- » separabilis à Patre, & incorruptibilis, æternusque cum Patre..... » Hîc tu, ut appareret quàm magnâ veritatis mole premereris, om- » ninò ad rem non respondisti: sed, tanquam deficienti flatu anhe- » lares, reprehendendum me putasti, dicens, quòd tam fœda com- » paratio, de Filio scilicèt hominis, sivè canis, in illam tantam im- » mensitatem produci non debuit. Hoc respondere est, an potiùs » inopiam responsionis ostendere? Quasi ego, propterea terrenarum » naturarum ista exempla produxerim, ut incorruptioni corruptio- » nem, immortalitati mortalitatem, invisibilibus visibilia, æternis » temporalia, coæquarem: ac non potiùs, ut vos in magnis & sum- » mis rebus errantes de rebus parvulis infimisque convincerem; qui » non videtis bonum, quòd Creator summè bonus dedit etiam ex- » tremis vilibusque creaturis, ut, cùm longè aliud sint, quàm est » ipse, hoc tamen generant quod sunt ipsæ. Nec attenditis, quid » mali dicatis, ut, cùm homines & canes & cætera hujusmodi ha- » beant filios veros, quos illis gignentibus creat veritas, non sit ve- » rus Dei Filius ipsa veritas ». Et lib. 2. cap. 6. ad hoc idem ait: » Quandoquidem creaturam corruptibilem cernitis, hoc quod ipsa » est gignere fœtum suum, & Deum Patrem omnipotentem credi-

» tis non potuisse, nisi ejus degenerante natura, gignere unicum » suum.

XXIV. Quod tertio loco dicit Lullus in Text. 4. & 5. relatis, num. 1. est, quòd *infinita Potestas Dei potest producere infinitum.* At hic loquendi modus est frequentissimus apud omnes, nedùm quoad productionem ad extra, sed etiam quoad productionem ad intra; cùm enim Potestas ex usu & modo loquendi non intelligatur tanquam quid per se subsistens, sed semper intelligatur esse potestas alicujus, quod per ipsam potestatem est potens, licèt ex modo loquendi attribuatur posse potestati, intelligitur tamen propriè attribui potenti, & potestati tamquam rationi & virtuti, quâ potens potest; quod frequentius animadvertitur, dum loquimur de omnipotentia Dei erga creaturas, cui attribuitur posse creare, conservare, &c. in productione verò ad intra, eo modo potestati attribuitur posse, sicut intellectui intelligere, & voluntati velle, cùm tamen ita sit, quòd juxta omnes, illi actus attribuuntur divino intellectui & voluntati, sicut aliis divinis perfectionibus actus proportionati, quamvis hoc non ita frequenter contingat: Unde Divus Augustinus lib. 13. de Civitate Dei, cap. 13. sic Deum alloquitur: *Essentia tua scit & vult incommutabiliter, & scientia tua est & vult incommutabiliter, & voluntas tua scit, & vult incommutabiliter.* Divus Cyrillus Alexand. lib. 1. Thesau. cap. 7. ait: *Essentia est virtus generativa Dei.* Divus Bonaventura in 1. Dist. 2. q. 3. respondens ad objectionem ait: » Ad illud, » quod objicitur, quòd infinita virtus infinitate emanans producit in- » finita, dicendum, quòd divinæ virtuti non convenit productio » nisi perfecti; & ideò non convenit ei productio alicujus infinitatis » nisi illius, quæ stat cum summa perfectione.... Ad ultimum, quòd » objicitur, quòd potentiæ est se multiplicare, dicendum, quòd non » omni modo multiplicare se est potentiæ, sed perfectè multiplicare » se potentiæ est, & convenit Deo.

XXV. Tandem in septimo Textu dicit Lullus, quòd *essentia Filii relata ad personam Filii sic est genita, sicut est ingenita relata ad personam Patris;* non autem, quòd absolutè essentia sit genita & gignens, prout notare videtur laudatus Censor relatus num. 1. quia hoc expressè negat Lullus in eodem Textu, prout notavimus num. 15. & 16. dicens: Quòd *Pater absolutè non generat essentiam*: quòd autem essentia relata ad Personam, quòd idem est ac dicere *essentia ut Persona*, benè dicatur *genita* & *gignens*, videtur esse communis loquendi modus; & de hoc Petavius Theolog. Dogm. tom. 2. lib.

6. cap. 10. à num. 1. ſic ſcribit : « Ad ea, quæ de ſapientia, vo- » luptate, cæteriſque, quæ perſonis communia ſunt tribus, expoſui » in antecedentibus duobus capitibus multùm conducet præſentis » diſputatio, in qua ſenſus eorum inquiritur, quæ ab Antiquis benè » multis uſurpata ſcimus : *Nata ſapientia*, *vel genita*, *tum nata ſa-* » *pientia de ſapientia*, aut ſimpliciter : *Sapientia de ſapientia*, *lumen* » *de lumine*, *vel eſſentia de eſſentia*. Sic enim Martyr Ignatius Epiſt. » 3. *Eſſentiam ſive ſubſtantiam genitam natamve* dixit ; & Gregorius » Nyſſenus *generationem eſſentiæ probavit* : Hilarius, *naturæ ex na-* » *tura gignentis nativitatem*, nec non *eſſentiæ de eſſentia* ; *nativitatem* » *& naturam unigenitam*, *ex innaſcibili genitam eſſentia* : Item : *Vita* » (inquit in libro de Synodis ad Anathematiſmum 4.) *in Unigeni-* » *to*, *quæ ex Patre generata eſt*, *eſſentia intellecta*, *ita ſimilitudinem* » *eſſentiæ ad eſſentiam ſignificari connectitur. Tali confeſſione originis* » *ſuæ indiſcretæ naturæ perfecta Nativitas eſt* ; *quod enim in utroque* » *vita eſt*, *id in utroque ſignificatur eſſentia* : *& vita*, *quæ generatur* » *ex vita*, *id eſt eſſentia*, *quæ de eſſentià naſcitur* ; *dum non diſſimilis* » *naſcitur*, *ſcilicèt*, *quia vita*, *ex vita eſt*, *&c.* Sic Auguſtinus *eſſen-* » *tiam de eſſentia dixit*, & *divinitatem Filii de natura Patris eſſe na-* » *tam*. Et alibi ; *de ſe ipſo genuiſſe Patrem id quod eſt*. Fulgentius, » *ſubſtantiam de ſubſtantia*, item *Filium eſſentialiter natum eſſe de* » *Patre*, *& naturam genitam*. Idatius Præfatione lib. contra Variman- » dum, *naturam de ſe Filium generare*. Anſelmus Monologii cap. 43. » *Natam eſſentiam de Patris eſſentia*. Athanaſius quoque Oratione 5. » *Eſſentiam eſſentiæ* Patrem dixit.

XXVI. Proſequitur Petavius num. 2. ſic : « Quibus in loquendi » generibus, illud in primis tenendum : cùm dicitur, *nata ſapien-* » *tia de ſapientia*, vel *lumen de lumine*, vel *eſſentia de eſſentia*, falli » quoſdam, qui iſta vocabula ſignificare perſonas exiſtimant, quaſi » ille ſit ſenſus, perſona illa, quæ *nata ſapientia*, *id eſt Verbum*, » *propriè dicitur*, *nata*, *vel genita eſt de ea Perſona*, *quæ eſt ingenita* » *ſapientia* : Quod verum non puto, ſed utrobiquè id quod eſt eſſen- » tia, & abſolutè & ad ſe dicitur, exprimi. Id enim ex Auguſtino » colligitur, qui eam Quæſtionem cæteris accuratiùs ac ſubtiliùs inſ- » tituit, cujus loca illa, quæ adduximus, præſertim è ſeptimo libro » de Trinitate, non obſcurè ſignificant ſapientiam, quæ Filio pro- » priè tribuitur, & nata dicitur ab eſſentia, nihil differre, nec mi- » nùs Patri convenire, quàm Filio, utriuſque ſalvâ proprietate, » quam genitæ vel natæ, & innatæ atque ingenitæ vocabula demonſ-

» trant. Eſt enim nata & innata ſapientia una prorsùs eademque ſa-
» pientia, hoc eſt eſſentia, quia tam eſſentia de eſſentia, quàm ſa-
» pientia de ſapientia ab Auguſtino dicitur. Proindè ſapientia non
» hîc precisè Verbum eſt, ſivè expreſſa ſapientia, niſi cùm *natæ* vox
» additur; ſed perinde ſe habet, ac cùm Deus de Deo, æternus
» ex æterno, bonus ex bono, lumen de lumine, & hujus generis
» cæteræ dicuntur; quorum notionibus ſubeſt abſolutum quippiam,
» etſi perſonales proprietates ex obliquo ſignificentur.

XXVII. Poſtea refert Petavius ex Concilio Toletano XV. illam propoſitionem: *Voluntas genuit voluntatem, ſicut ſapientia ſapientiam*, quam notavit Benedictus Papa, ejuſque Apologiam à Juliano Toletano exaratam; & concludit Petavius: » Quamobrem in iſtis locu-
» tionibus: *Sapientia de ſapientia, voluntas de voluntate*, utrobique
» ſecundùm eſſentiam, non ſecundùm proprietatem, nomina ſu-
» muntur ». Adducit ſubinde plura ex parente Anſelmo in Monolog. cap. 43. quæ in idem recidunt, & ſubjungit: » In his omnibus liquet,
» ſapientiam, & eſſentiam ac reliqua, ſecundùm naturam accipi, nec
» aliud eſſe, vel eſſentiam de eſſentia, vel ſapientiam de ſapientia,
» quàm eamdem eſſentiam & ſapientiam, quæ eſt in Patre, com-
» municari Filio, & ejus fieri propriam, uti eſt Patris, non alienam ». Similia repetit Petavius num 6. nempè per illas locutiones, *non propriè, & ut dixi, directè perſonas indicari, ſed ipſam potiùs eſſentiam, & naturam, ita tamen ut in Perſona aliqua ſubſiſtens intelligatur*; & poſteà ſubjungit: » Neque verò, qui hæc dicunt, aut iſta, quæ initio
» capitis attuli, *naturam natura gignit, aut eſſentia de eſſentia naſci-*
» *tur*, ſic intelligendi ſunt, tanquam propriè gigni, produci-ve na-
» turam velint. . . . Quare ſic enuntiationes iſtæ declarandæ ſunt, ut
» hoc ſignificent, Patrem gignendo Filium ſuam ipſi comunicaſſe
» naturam; hoc enim eſt *gignere naturam*, derivare eam in Filium;
» & *natura genita* idem eſt, ac generatione transfuſa.

XXVIII. De eadem materia agens Petavius cap. 12. num. 2. diſtinguit terminum *adæquatum*, generationis, quem dicit eſſe illam rem, quæ gignitur, & hæc eſt perſona conſtans ex eſſentia & proprietate, quæ ſola verè & directè gigni dicitur; & terminum *formalem*, qui eſt natura genito communicata, & in ipſum derivata; & concludit: *proinde neque gigni, neque gignere eſſentiam, ſic, ut exiſtere generatione ipſâ fingatur; verùm eatenus ut exiſtens communicetur Filio, vel exiſtat in Filio*; & agens à num. 3. de diſſidio, qui videtur eſſe inter Richardum de Sancto Victore, aſſerentem *ſubſtantiam gig-*

nere substantiam; & Magistrum Sententiarum, concludit Concilium Lateranense in determinatione contra Doctrinam Joachimi Abbatis non præjudicasse adversus Richardi Doctrinam: pro quo num. 4. scribit: » Non enim ... absolutèque essentiam de essentia, vel potiùs » substantiam de substantia gigni, (quod habet Richardus) negat illa » Synodus, itave loquentem condemnat, neque absolutè itidem fi» dei decretum est, *quòd essentia seu Divinitas non generat aut gene*» *ratur*, ut plures ex Synodi Sanctione, ac Joachimi damnatione » colligunt, præsertim Suarez, Vasquez, Canariensis, & ante hos » Argentina. Verùm essentiam divinam absolutè ac per sese, & ut » à Personis tribus abstracta præcisaquè spectatur, Lateranensis Sy» nodus intellexit; non autem, ut in quaque Persona consideratur, » & est peculiari affecta proprietate ». Hoc ostendit ex sensu Lombardi, & Joachimi, ac Concilii determinatione, & concludit: » Ità substantiam vel essentiam Joachimus eo modo consideravit, quo » communis est, neque uni Personæ affixa, vel certâ proprietate » devincta; quâ sanè ratione neque generat neque generatur. At » eadem, si, ut est in Patre, consideretur, generat: si, ut in Filio » est, gignitur, hoc est gignendo communicatur.

XXIX. Ex hucusque relatis apertè constat, quàm frequens sit apud Patres locutio illa, quâ essentiam, naturam, deitatem, sapientiam, &c. gignere, & gigni dicitur: quæ locutio, si per *gignere* intelligatur communicare essentiam, & ipsam derivari, de ipsa intelligitur essentia communi; si per *gigni* intelligatur produci, ita ut ex vi generationis res habeat esse, non absolutè verificatur de essentia ac Deitate, sed tantùm de ipsa ut affecta personalitate ipsique devincta: unde, cùm Lullus in textu notato, & ubicumque de hoc agat, numquam adeò generaliter dixerit divinam essentiam, naturam, deitatem &c. *gigni*, *nasci*, *&c.* prout relati Patres explicant; nec dicat absolutè essentiam gigni, imò hoc expressè neget in textu notato & diffusè relato, num. 15. videlicet quòd Pater *absolutè non generat essentiam*; sed tantùm contractè & limitatè dicat, *quòd essentia Filii relata ad Personam sic sit genita, sicut essentia Patris relata ad Personam Patris est ingenita, cùm Pater sit ingenitus*: nullatenus est calumniandus iste loquendi modus; cùm idem sit *essentia relata ad Personam*, ac essentia ut devincta affixa & determinata ad Personam, vel brèviùs, *essentia ut Persona*; & de essentia in hoc sensu, & sub dicta limitatione ab omnibus dicitur gignere & gigni: Atquè ita, dum Lullus in textu adducto num. 15. dicit, *Quòd Filius, essentialiter sit*

productus de essentia, quòd est dicere, Filius ut est concretum essentiale seu habens essentiam est productus de essentia: idem docet, ac Fulgentius, dum lib. *de Fide ad Petrum* cap. 1. & 13. dixit: *Filium essentialiter natum esse de Patre*; & D. Bonaventura *Compend. Thes. Verit.* lib. 1. cap. 6. *Propter primum dicitur verbum Filius Patris.... Istud est Verbum essentialiter, & æternaliter genitum.*

DISSERTATIO III.

De concursu Divinæ Voluntatis in Filii Dei generatione, ad Textum notatum ex qu. 6. Sententiarum.

§. I.

Quid senserint Patres circa Quæstionem, an Pater scilicet voluntâte genuerit Filium?

I. DIONYSIUS Petavius Theolog. Dogm. tom. 2. lib. 6. de Trin. cap. 8. à num. 1. hanc pertractat difficultatem; & quidem supponit, omnes Patres contra Arium convenire in hoc, quòd non ex Decreto quodam liberæ voluntatis Pater Filium produxerit, ut prætendebat Arius; nihilominùs aliqua voluntate Filium genuisse testantur aliqui, ut ibi num. 2. Marius Victorinus in primo adversus Arium dicens: *Est autem lumini, & spiritui imago, non à necessitate naturæ, sed à voluntate magnitudinis Patris... sic igitur voluntate Patris voluntas apparuit ipse logos, Filius.* D. Hilarius lib. de Synodis: *Sed hæc passionum non est in Deo Patre conditio; cùm inenarrabili & perfecta nativitate Filii nec voluntas sola genuit Filium, nec demutata aut coacta imperiò naturalis legis essentia est, &c. sed ante tempora omnia Pater ex naturæ suæ essentia impassibiliter volens Filio dedit naturalis nativitatem essentiæ.* Idem in 3. de Trinit. ait: *sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter ante omne tempus & sæcula unigenitum ex his, quæ ingenita in se erant, procreavit: omne quod Deus est per charitatem atque virtutem nativitati ejus impartiens. Et mox, productum sic esse Filium docet, ut voluit qui potuit, ut scit qui genuit.*

II. Ipsemet Hilarius ex omnipotentia Patris Filium productum cum aliis exponit ibidem; nam lib. 6. de Trinit. alloquens æternum Pa-

trem, ait: *Omnipotentem te ſcio, nec conſciæ tibi tantùm atque ipſi unigenito tuo nativitatis inenarrandæ expecto rationem. Impoſſibile enim tibi nihil eſt, & genitum à te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim jam omnipotentem te negabo. Bonum te etiam ex nativitate mea te didici: atque ob id non invidum te bonorum tuorum in unigeniti tui nativitate eſſe confido.* Petrus Chryſol. Sermon. 61. explicans Symbolum dicit: *Omnipotens poteſt omnia; & ſi omnia poteſt, quòd in ſe, ex ſe, & ſemper habeat Filium, quis negabit?* D. Ambroſius lib. 4. de Fide cap. 4. concludit, *non fore omnipotentem Patrem ſi Filium generare non potuit ſed creavit.* Idem lib. 5. cap. 7. *Si minorem generavit Deus Filium, minus contulit: ſi minus contulit; aut minus voluit, aut minus potuit. Sed nec infirmus nec invidus Pater, quia nec voluntas ante Filium, nec poteſtas.* Maximus Taurinenſis Homil. de expoſit. Symb. ſcribit: *Eſt namque per ingenitam Deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater.* D. Auguſtinus lib. 3. con. Maximin. cap. 8. etiam docet ita: *Prorſus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater æqualem ſibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit: ſi non potuit, infirmus; ſi noluit, invidus invenitur; Sed utrumque falſum eſt: Patri ergo Deo verus Filius æqualis eſt;* & cap. 23. *Tantum enim quantus eſt ipſe, & tale qualis eſt ipſe, ſi non potuit gignere, quomodo Deus eſt? Si noluit quomodo bonus eſt?* D. Baſilius adv. Eunom. lib. 2. ſcribit: *Si honeſtum & decorum eſt Dei beatitudini Patrem eſſe, quomodo ergo à principio, quod decebat, ipſi non aderat? Aut enim melioris ignorationi, aut impotentiæ hunc defectum imputabunt: Ignorationi quidem, ſi poſtea quod eſt melius adinvenit; impotentiæ verò, ſi ſciens atque intelligens quod optimum eſt, aſſequi non poterat.*

III. Hæc de Omnipotentia, ex qua citati Patres deducunt Filii generationem, adducta ſunt, tum quia regulariter accipitur omnipotentia, ita ut ex voluntate exerceatur; tum etiam, ut videatur horum Patrum veſtigia preſſiſſe Lullum, dum ex omnipotentia Dei, bonitate abſque invidia, ſimilibuſque perfectionibus argumentatur, ad productionem oſtendendam in Deo; ex qua quidem *potentia*, *bonitate*, *voluntate*, aliiſque ſimilibus perfectionibus argumentantur alii Patres à Petavio uſque ad n. 10. adducti. Verum eſt tamen ipſum Petavium num. 9. dicere, quòd pleraque veterum loca nihil ſic accipi prohibet, ita ut ex ſenſu opinioneque ſua non loquantur, ſed eo utantur, quod dant Adverſarii, atque ex ipſorum eos oratione convincant: Verùm, ut ait num. 11. *Extra controverſiam ac per ſeſe ita*

ita quidam ex illis arbitrati sunt, non necessitate, sed voluntate genitum à Patre esse Filium; & ad hoc pertinere, ait, loca Hilarii & Ambrosii adducta. Et præter relata ex D. August. adjungit ipsum lib. de 23. quæst. ubi qu. 50. ait: *Deus, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit (nihil enim Deo meliùs) generare debuit æqualem; si enim voluit & non potuit, infirmus est; si potuit & non voluit, invidus est; ex quo conficitur æqualem genuisse Filium.* Ipse Serm. 40. de tempore, cap. 6. probat Filium potestate & prudentiâ esse æqualem Patri; quippè *injustus est Deus, si minori prudentiæ potestatem dedit æqualem. Si prudentiâ æquales sunt, sed minor est Filius potestate, invidus est Deus, quia æquali prudentiæ potestatem dedit minorem.* Et lib. de natura boni, cap. 1. *Quia justus est, ait, ei quod de se genuit, ea, quæ de nihilo fecit, non æquavit.*

IV. Ad idem adducit Petavius D. Gregor. Nyssen. lib. 7. contra Eunom. pag. 206. cujus anteà alia verba adduxerat, ubi ait: *Quippè intimam illam, nullo interposito, Filii cum Patre copulationem non excludere paternæ voluntatis actionem; tanquam naturæ quâdam necessitate ac citra voluntatem Filium habuerit: neque voluntatis actionem dirimere à Patre Filium, quasi intervallum quoddam inter ambos intercedens.* D. Basil. in calce, Homil. 29. ait: *Deus, qui concurrentem habet cum voluntate potestatem, dignum seipso genuit; ac cujusmodi volebat genuit.* Cyril. Alexan. lib. 9. Thesau. pag. 68. Cùm Ariani genitum à Patre Filium cum Catholicis sentiant, ex eo illos arguit, quia consubstantialem negant, dicens: « Aut enim, quia non aliter » potuit, talem ipsum genuit, aut quia voluit: si non potuisse dicant, pudeat illos tantam substantiæ Patris inferre contumeliam, » dum imbecillitatis eam arguunt. Sin alterum malunt, ut noluisse » potiùs affirment consubstantialem sibi generare Filium, alia ratione contumeliosi sunt, pravam ac turpissimam rem illi tribuentes, in melioribus faciendis negligentiam. Nam, si melius erat » consubstantiale, quàm quod non est ejusmodi, nonne blasphemiam omnem superat dicere, substantiam divinam circa illa, quæ » sunt præstantiora & congruentiora, pigrari; ac non potiùs id voluisse, quod melius est, quàm quod ita sese non habet? Atqui potest omnia facere Pater; & id mavult quod melius est; nihil, ergo » prohibet consubstantialem esse Filium.

V. In idem collimant alii Patres dicentes, Patrem amore & charitate produxisse Filium, ut maximus Martyr. in cap. 2. de divin. Nomin. dicens: *Patrem enim ex charitate progressum ad distinctionem*

Hypostaseon. Cæsarius: *charitatem Patris appellat Filium*: Alii, *voluntatem Patris*, ut Faustinus; Augustinus lib. 9. de Trin. cap. 10. *Notitiam cum amore*, vel *amatam notitiam*. Gregorius Nazian. dubitat, *an generatio sit ipsa generandi voluntas*; & Cyrillus in multis locis, dicit, Verbum esse *voluntatem Patris viventem ac subsistentem*. Richardus denique Victorinus, ait ibi Petavius num. 13. plenissimè ita sentit, & explicat duas divinas Personas (à prima) voluntate, & quadam omnipotentiâ, ac charitatis largitate productas; &, præter alia toto operè de Trinitate exarata, lib. 5. c. 7. reperit, hinc oriri personarum pluralitatem, quòd plenitudo bonitatis & charitatis, quæ inest plenitudini divinitatis, exigit ut condignum habeat, *ut sit, quem possit & meritò debeat ut se ipsum diligere. Si igitur primordialem personam veraciter constat esse summè bonam, nolle omninò non poterit, quod summa charitas exigit: Et si veraciter constat eam omnipotentem esse, quidquid esse voluerit, non poterit non esse. Exigente itaque charitate condignum habere volet, & exhibente potestate habebit quem habere placet.*

VI. Planè in his omnibus Patrum adductis testimoniis mira apparet B. Lulli cum ipsis consensio, cùm eisdem omninò rationibus discurrat de divina productione; & licèt plures Patres, ut à num. 14. eos citat Petavius, Filium voluntate Patris productum negent, ut qui naturaliter extiterit; at, ut ait ipse Petavius, num. 22. « Facile esse dicimus antiquos illos omnes inter se conciliare, qui aut » Filium asserunt à Patre naturaliter ac sine voluntate genitum esse, » aut non necessariò, sed voluntate. Nam utrique voluntatem illam » rejiciunt à generatione Filii, quæ libera sit, & cum deliberatione » atque utriuslibet potestate conjuncta, qualem ad producendas crea» tas res habuisse Deum intelligimus quomodo possumus. Sed eam » admittunt, quæ necessaria sit, neque naturalem oriundi modum » excludat. Naturale id voco, non solùm, quod naturæ consenta» neum est, aut ex naturali principio oritur: ita enim & liberæ ho» minum electiones naturaliter fieri dicuntur, quia naturâ insitum » est homini, ut liberè agat eligatque quod ei placitum fuerit. Ve» rùm hujusmodi hoc appello, quod uni affixum, ac determinatum » est, ut integrum non sit amplecti alterum. » Et in subsequentibus docet hanc necessitatem, neque ex indigentia esse, neque cum coactione; neque esse illam, ut ait num. 25. « Quæ adjunctam non » habet ejus, quod geritur, notitiam ac voluntatem: ut sunt natu» rales propagationes ab inanimis rebus, aut inanimatorum similî

» modo factæ : quales in Deo fuisse negant, qui, cùm essentiâ suâ » simplissimus sit intelligendi actus & volendi, hoc ipsum quod gig- » nebat intellexit ac voluit.

VII. D. Thomas 1. p. q. 41. art. 2. *Utrùm actus notionales sint voluntarii ?* In Cor. ita scribit : « Respondeo dicendum quòd, cùm » dicitur aliquid esse, vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi : » uno modo, ut ablativus designet concomitantiam tantùm, sicut » possum dicere quòd ego sum homo meâ voluntate, quia scilicet » volo me esse hominem, & hoc modo potest dici, quòd Pater, » genuit Filium voluntate, sicut & est voluntate Deus, quia vult » se esse Deum, & vult se generare Filium. Alio modo sic, quòd » ablativus importet habitudinem principii, sicut dicitur quòd Ar- » tifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis, & » secundùm hunc modum dicendum est, quòd Deus Pater non ge- » nuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam ». Et juxtà hanc D. Thomæ Doctrinam communiter ejus discipuli, licèt in generatione Filii negent voluntatem antecedentem, admittunt voluntatem concomitantem ; D. tamen Bonaventura in 1. dis. 6. q. 2. in resolutione ait, quòd voluntas potest dupliciter considerari, aut in ratione approbantis & diligentis, aut in ratione producentis : *Et hoc modo, ait, dupliciter, aut prout est principium distinctum contra naturam. . . . . aut prout est conjunctum. . . . Alio modo, prout voluntas consideratur, ut principium conjunctum naturæ, potest esse dupliciter, quia tunc natura & voluntas sunt principium : aut igitur natura est producens principaliter voluntate communicante, aut è converso ; utrumque enim principaliter esse non potest. Si voluntas est principium cum communicante natura, sic est processio Spiritûs Sancti, qui procedit per modum amoris, tamen similis in natura. Si verò natura est principium cum communicante voluntate, sic est generatio Filii, qui producitur, ut omninò similis, & per modum naturæ, nihilominùs ut dilectus, & ideò dicitur, quòd in eo sibi complacet Pater. Et 2. Petri 1. dicitur Filius dilectionis.* Ex quo patet, quòd D. Bonaventura tribuit voluntati aliquam rationem principii in generatione Filii.

VIII. Petavius quoque loc. cit. num. 20. ita scribit : « Porrò cur » nostri voluntatem illam, quâ Pater generare vult Filium, con- » comitantem vocent equidem non video. Nam quomodo eam ex- » plicant, consequens potiùs videtur, quippè priùs est ratione Deum » esse, quàm ipsum velle esse se : priùs item bonus est, & justus, » & sapiens, quàm se talem esse velit ; priùs inquam non natura,

» sed ratione, quemadmodum prius est Pater, quàm Filius, neque » eo sensu concomitanter existere cum Patre dicetur Filius, id » enim esset origine, ac ratione esse simul. Multò minùs exempla » de nobis vel Angelis petita congruunt, quæ & ab illis afferri so- » lent. Neque enim concomitante voluntate vult homo esse Socrates, » sed planè consequente; ut & Angeli, qui naturâ saltem prius » sunt, quàm se esse intelligant ac velint. Quod ad Deum verò per- » tinet, etsi naturæ, nedùm temporis, ordo sit nullus, quo prius » esse dicatur Pater Filio, vel priùs voluisse gignere, quàm gigne- » ret: nihil tamen prohibet quin prior origine ac ratione sit in Pa- » tre voluntas gignendi Filium, quàm Filius, quemadmodum prior » est *intellectio*, quâ seipsum cognoscit Pater producitque Verbum, » quàm ipsummet Verbum: priùs item origine & ratione Pater est » Deus, & Divinitas est in Patre, quàm communicetur Filio. Ita » & voluntas gignendi Filii priùs in Patre sit, quàm gignatur Fi- » lius. Siquidem Dei essentia actus est simplex, ut intelligendi, sic » volendi; & quidquid vult, actu vult secundùm essentiam citrà no- » tiones ac proprietates, quæ secundùm essentiam minimè dicun- » tur. Proindè, sicut Deus Pater, quoniam secundùm essentiam ac- » tus est intelligendi & intellectio, totum id quod est.... compre- » hendens, ideò priùs ratione & se & Verbum cognoscit, quàm sit » ipsum Verbum: ita, cùm sit essentiâ suâ.... Sivè actus volen- » di, totum id amplectens, quod est, & cujus autor est, necessè » est priùs origine & ratione velit Filium ejusque productionem, » quàm actu ipso sit Filius. Quocirca antecedente voluntate Pater » vult Filium ejusque productionem, non comitante, solâ-ve, uti » dicunt, complacentiâ, sicut antecedente intellectione seipsum om- » niaque sua intelligit, quoniam utrumque essentia ejus est ». Hoc confirmat Petavius autoritate D. Augustini, & aliorum. Et apud Suarez lib. 6. de Trin. cap. 3. num. 3. Scotus & Cajetanus dicunt, Patrem priùs ratione velle generare, quàm generet, quamvis illud velle non sit principium generandi.

§. II.

Doctrina Lulli in qu. 6. Sentent. notata est omninò conformis relatis Patrum documentis.

IX. Laudatus Censor tertiam hanc propositionem notat ex qu. 6. Sentent. scilicet: *Pater tribus modis diligit: unus modus est communis*

scilicet tribus Personis; alius est proprius secundum generationem; alius proprius secundùm spirationem. Primus modus est, &c. Secundus modus consistit in hoc, quòd Pater diligit Filium naturaliter generare, quia si non ita esset, ipsum generaret contra suum velle, & tale diligere est proprium Patris.

Censura : *Secundo modo intelligit Filium in divinis generari per amorem.*

X. At quantum aliena sit Lulli Doctrina ab hujusmodi aliâ-ve Censurâ patet ex ipsomet integro textu. Itaque qu. 6. *Utrum Pater genuerit Filium de necessitate naturæ ?* Ita ad ejus solutionem discurrit » Lullus : » Eremita, Deus habet naturam, per quam naturaliter » intelligit & diligit seipsum, aliàs si non haberet naturam, suum » intelligere & diligere esset accidentale, & artificiale, quod esset » malum contra bonum, & parvum contra magnum, & in tempore » contra æternum, & sic de similibus, quod est impossibile : Ergo » Deus de necessitate habet naturam, &c. ». Posteà secundùm di- » vinas dignitates ita discurrit, ut inferat in Deo debere esse distinctionem, & num. 2. ait : « Veruntamen adhuc fuit admiratus & » consideravit de quibus esset, & quæ esset illa distinctio, & sic » Raymundus invenit, quòd Deus in quantum intelligit semetip- » sum, naturaliter intelligat quòd naturaliter possit de se bonificare, » magnificare, &c. sicut intelligere : & sic producit de se bonifica- » tum, infinitum, æternum, &c. quia ipsum non potest producere » de alia essentia, cùm nulla alia essentia nisi sua sit infinita, & » æterna, & sic producens permanet imbonificabilis, &c. & in- » nascibilis, & totus se bonificat, magnificat, &c. in producto, » producendo ipsum de tota sua bonitate, magnitudine, &c.

XI. « Et tunc Raymundus (subjungit num. 3.) percepit, quòd » in divino intellectu, quem ante consideravit communem, esset » unus, proprius, intellectivus, personalis, existens ille idem produ- » cens, quem priùs consideravit, ut ipse sit bonificativus, magni- » ficativus, &c. & sic Raymundus habuit hoc quod desiderabat de » distinctione, quæ est inter Patrem & Filium de necessitate natu- » ræ, ut probatum est, cujus perplexitas evanuit, & Producentem » appellavit Patrem, quia de se producebat, cùm conveniat quòd » omne producens aliquid de sua essentia & natura de necessitate sit » Pater, & de hoc experientiam habemus in plantis & in animali- » bus : & tunc de necessitate apprehendit Deum Patrem, *qui intelligendo seipsum, naturaliter concipit & generat Verbum* : quod

„ Verbum appellamus Filium, cum Pater & Filius relativè se ha-
„ beant; & ad cujus Filii generationem naturaliter concurrunt om-
„ nes actus rationum Dei, ut Filius naturaliter sit bonus, magnus,
„ sicut est sapiens, & sic de Patre: Unde, cùm Raymundus hæc
„ omnia vidit de necessitate rationis, tenuit affirmativam de supra-
„ dicta quæstione, ut supradictæ perfectiones sint in Deo, in quo
„ essent in privatione, si negativa hujus quæstionis secundùm veri-
„ tatem esset tenenda.

XII. Ex toto hoc discursu patet assertio Lulli, quæ est resolutio præpositæ quæstionis, scilicet quòd Pater genuit Filium de necessitate naturæ; & quòd Pater naturaliter ipsum producit, & *quòd intelligendo seipsum naturaliter concipit & generat Verbum*, quod est Filius. Hoc probat Lullus ex eo quòd Deus, cùm omnes suæ perfectiones sint æquales, debet habere intrinsecè naturale bonificare magnificare, &c. sicut habet intrinsecè naturale intelligere & amare; & quia Deus non potest seipsum bonificare, magnificare, &c. sicut se intelligere & amare, necessariò sequitur, quòd Deus de seipso bonificet bonificatum, & sic in Deo est producens & productus, scilicet bonificans & bonificatus; & quia producens de sua essentia & natura producit productum, ideò producens est Pater, & productus est Filius; & Pater est intellectivus, & Filius est ejus Verbum, quatenùs intelligendo seipsum naturaliter ipsum concipit & generat; & quia Pater est bonus, magnus, &c. & Filius per generationem producitur etiam bonus, magnus, &c. ideò ad Filii generationem naturaliter concurrunt omnes actus perfectionum Dei, quia Pater generando, ipsum bonificat, magnificat, &c. & hoc de necessitate naturæ.

XIII. Contra prædictam resolutionem ejusque rationem sic num. 4. arguit Eremita: « Raymunde, secundùm te sequitur quòd Sanc-
„ tus Spiritus sit Filius, cùm in prædicta generatione Dei ita na-
„ turaliter sit amare sicut intelligere; & intellectivus, quem appel-
„ las Patrem, est amativus, volens generare Filium, quia si nollet
„ ipsum generare, non generaret: Et quia Sanctus Spiritus est per
„ amorem & est intellectus per Patrem, sic Sanctus Spiritus est ge-
„ nitus sicut Filius; & quia hoc est contra fidem, scilicet quòd
„ Sanctus Spiritus sit Filius, & cùm Fides Catholica sit de rebus
„ veris, concluditur quòd tua ratio sit falsa & nulla, & quòd nega-
„ tiva quæstionis sit tenenda.

XIV. At num. 5: « Respondit Raymundus dicens, quòd amor

» Patris sit infinitus in magnitudine Bonitatis, Æternitatis, Potes- Textus prop. 3.
» tatis, &c. Unde sequitur ratione talis Magnitudinis, quòd Pater
» diligat tribus modis, sine quibus suus amor non esset in prædicta
» Magnitudine: unus modus est communis, alius est proprius se-
» cundùm generationem, alius proprius secundùm spirationem.
» *Primus* modus est, sicut Pater, qui communiter se diligit per
» essentiam & naturam & per suam bonitatem, magnitudinem, &c.
» & sic de sua unitate, & talem modum communem habent Filius
» & Spiritus Sanctus, sicut omnes tres habent unam communem
» essentiam & naturam, & sic de una communi Bonitate, Magni-
» tudine, &c. *Secundus* modus consistit in hoc quod Pater natura-
» liter diligat generare Filium, quia si non ita esset, generaret ip-
» sum contra suum velle, & tale diligere est proprium Patri ratione
» cujus propriè & simpliciter diligit generare Filium de se ipso &
» de toto hoc quod habet, & sic consistit suus appetitus naturalis ge-
» nerandi, in quo sibi naturaliter respondent omnes actus divinarum
» rationum; sicut Bonitas, quæ requirit naturale bonificare, &
» magnitudo naturale magnificare, &c. sic de aliis: unde sequitur
» quòd prædictus appetitus sit diffusus per omnes rationes, ut sic
» per ipsum habeant appetitum ad generationem Filii, sicut habent
» instinctum (ut ita loquar) per intellectum ad eandem generatio-
» nem, & sic magnitudo sufficit de se ipsa & de bonitate, æternitate
» &c. ipsius appetitûs actu existentis æterni & infiniti. *Tertius* mo-
» dus, quem Pater habet in diligendo, est per reflexionem amandi,
» diligendo Filium ratione bonitatis, magnitudinis, &c. Filii & sui
» ipsius, in quantum est bonus, magnus, &c. per generationem,
» & in hoc tertio modo participat Filius cum Patre diligendo Pa-
» trem & se ipsum cum toto hoc quod habet à Patre, & sic sufficit
» prædicta magnitudo, & sequitur alia ut sequatur spiratio per amo-
» rem, non per naturam, & talis amor est contemplatio & debita
» ratio, secundùm quod in bonis moralibus significatum est per jus-
» titiam, & charitatem; & per talem modum amoris tua ratio vel
» quæstio est soluta, aliàs divina Magnitudo non esset sufficiens di-
» vino amori de se nec de aliis rationibus.

XV. Propter verba Lulli, quibus explicat secundum modum, quo Pater diligit, notavit hic Censor hanc quæstionem; at immeritò, quia nullum est Verbum in tota hac solutione, quod indicet aliam Doctrinam, quàm quæ habetur ab omnibus, & præcipuè in relatis Patrum autoritatibus; & quidem *primò* ille primus modus di-

ligendi, quem habet Pater; ſcilicet communis per eſſentiam & naturam, ab omnibus admittitur, cùm communis eſſentia Dei ſit ipſamet voluntas infinita, ac proinde actus infinitus volendi & diligendi. *Secundò* quòd *Pater naturaliter diligat generare Filium*, eſt aſſertio, quam adſtruunt omnes relati Patres à num. 1. & per ly *naturaliter* evitatur difficultas, ob quam multi Patres nolebant concedere Filium voluntate genitum, nè deliberationem aliquam in Filii generatione admitterent, & hoc ipſum dicit D. Bonaventura adductus num. 7. ratio autem, quam aſſignat Lullus, ſcilicet *quia ſi non ita eſſet, generaret ipſum contra ſuum velle*, eſt eadem, quâ citati Patres adducti ſunt, ad dicendum quòd Pater voluntate genuerit Filium: Neque, *quòd Pater naturaliter diligat generare Filium* opponitur D. Thomæ adducto num. 7. qui admittit voluntate comitante Patrem genuiſſe Filium, cùm in dicta Doctrina Lulli nihil ſonet huic voluntati oppoſitum.

XVI. Haud aliud inſinuatur per ſubſequentia verba, quibus dicitur: *& tale diligere eſt proprium Patri, ratione cujus propriè, & ſimpliciter diligit generare Filium de ſeipſo, & de toto hoc quod habet;* quia ſolus Pater diligit generare Filium de toto ſeipſo, ac proinde tale diligere eſt proprium Patri, ut etiam innuunt Textus Patrum ſupra relati; ut autem cognoſcatur, quòd tale diligere, quo Pater diligit generare Filium, non eſt cum deliberatione, nedùm dicitur, quòd naturaliter diligit, ſed etiam quòd in hoc diligere conſiſtit appetitus naturalis generandi: Unde, ſi benè perpendatur hic Textus, nullam anterioritatem, nec rationis, concedit illi diligere ad generationem, quia nihil hujuſmodi explicat; & ad ſummum poſſet dici quòd ſaltem ex hoc Textu videtur deduci, quòd Pater ſaltem priùs ratione diligit generare Filium, quàm ipſum generet; in hoc autem coincidit cum citatis Patribus, ex quibus Petavius num. 8. deducit hanc rationis prioritatem, quam etiam admittunt Scotus & Cajetanus citati ibidem.

XVII. Præter hunc modum voluntatis, quo Pater diligit generare Filium, alium actum, vel potiùs eundem alio modo explicatum, tacitè admittit Lullus, nempè illum, quo Pater volens volificat, ut ita dicamus, ſeu producit Filium volentem; quia cùm, ut diſcurrit in verbis adductis num. 10. omnes dignitates concurrant ad generationem Filii, quod etiam repetit in ſolutione argumenti relata, num. 14. & hic concurſus ſtet in hoc quod Pater bonus, magnus, &c. producat Filium bonum, magnum, &c. & ita Pater bonificet, magnificet,

magnificet, &c. Filium, quatenus illum producit bonum, magnum, &c. cùm etiam Pater, qui est volens, producat Filium volentem, sicut Pater, qui est sapiens, producit Filium sapientem; ideò ipsa generatio Filii, sicut est bonificatio, magnificatio, &c. Filii, id est productio Filii boni, magni, &c. ita est volificatio (utor hâc voce, ut clariùs intelligatur proportionatus actus) seu productio Filii volentis, & sapientificatio seu productio Filii sapientis; quia eodem modo Pater, producit Filium volentem & sapientem ac producit ipsum bonum, magnum, &c. & sicut in Patre bonitas est ratio cur producat Filium bonum, & magnitudo cur producat illum magnum, &c. ita voluntas in Patre est ratio cur producat Filium volentem, & sapientia est ratio cur producat illum sapientem; & sicut generare Patris est bonificare correspondens bonitati ipsius, & est magnificare correspondens magnitudini ipsius; ita ipsum generare est volificare correspondens ipsius voluntati, & est sapientificare correspondens ipsius sapientiæ.

XVIII. Unde hic actus, qui in generatione correspondet voluntati Patris, seu generatio prout est actus, quo Pater volens generat Filium volentem, est purus actus naturalis productionis, sicut actus correspondens bonitati, quo Pater bonus producit Filium bonum, est purus actus naturalis productionis; & ad hunc actum se habet voluntas ut natura, quâ producens se habet ad producendum sibi similem in natura, & propterea hoc actu Pater volens producit Filium volentem, sicut eodem actu, prout est actus naturalis correspondens bonitati, Pater bonus producit Filium bonum: atque ita non confunditur dictus actus cum actu voluntatis, quo Pater & Filius se mutuò amando spirant Spiritum Sanctum. Dictus autem actus correspondens voluntati, quo Pater volens producit Filium volentem, reverà non debet considerari ut actus distinctus ab illo *diligere*, quo Pater diligit generare Filium, sed ut idem actus diversimodè explicatus; nam, dum dicitur, quòd *Pater naturaliter diligit generare Filium*, non explicatur quòd per diligere illum, producat illum volentem; at quia illud diligere, quo Pater naturaliter diligit generare Filium, non est, ut ita dicam, purè speculativum & inefficax, ideò illud-met diligere est ipsa productio, seu ipse-met actus, quo Pater volens producit Filium volentem, sicut illud intelligere, quo Pater intelligit se esse de toto seipso generativum Filii, est ipsamet productio, quâ Pater generat Filium, & quâ Pater intelligens producit Filium intelligentem.

XIX. Benè consideratâ hujusmodi productione, puto nemini posse esse dubium, quòd in generatione Filii sit hujusmodi actus correspondens voluntati; & sola difficultas est in modo explicandi illum per aliquod Verbum, ad quod pro nunc utor verbo *volificare*, quod de se significat producere volentem, sicut *sanctificare* (Joan. 10. 15. ut explicuimus tom. 2. cap. 2. à num. 14.) est producere Sanctum, *bonificare*, producere bonum, &c. Non inquam potest esse dubium, quòd detur hic actus correspondens voluntati Patris, quia non est dubium, quòd generatio est actus, quo Pater, qui est volens, producit Filium volentem, sicut est actus, quo Pater Sanctus producit Filium Sanctum, & quo Pater bonus producit Filium bonum; & consequenter, sicut generatio est actus suo modo correspondens reliquis Dei perfectionibus, ita suo modo est correspondens divinæ voluntati & intellectui; quia Pater generans Filium, cùm ipsi communicet essentiam, & omnes divinas perfectiones, sicut producit illum ratione Sanctitatis Sanctum, ratione bonitatis bonum, &c. ita ratione voluntatis producit volentem, & ratione sapientiæ illum producit sapientem.

XX. Hunc actum voluntatis in generatione Filii videtur exprimere Apostolus Coloss. 1. 13. dicens: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*, vel *charitatis suæ*, ut legit Augustinus; qui lib. 15. de Trinit. cap. 19. postquam ostendit, quòd charitas appropriatur Spiritui Sancto, sicut sapientia Verbo, subjungit, quòd nihilominùs Pater etiam est charitas: « Alioquin, si in illa Trinitate solus Spiritus Sanctus est charitas, profectò & Filius non solius Patris, verùm etiam Spiritûs Sancti Filius invenitur. Ita enim locis innumerabilibus dicitur & legitur Filius unigenitus Dei Patris, ut tamen & illud verum sit, quòd Apostolus ait de Deo Patre: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii charitatis suæ*. Non dixit Filii sui, quod si diceret, verissimè diceret, quemadmodùm, quia sæpè dixit, verissimè dixit; sed ait Filii charitatis suæ. Filius ergo est etiam Spiritûs Sancti, si non est in illa Trinitate charitas Dei, nisi Spiritus Sanctus. Quod, si absurdissimum est, restat ut non solùm ibi sit charitas Spiritus Sanctus, sed propter illa, de quibus satis disserui, sic vocatur. Quod autem dictum est: *Filii charitatis suæ*, nihil aliud intelligatur quàm Filii sui dilecti, quàm Filii postremò substantiæ suæ. Charitas quippè Patris, quæ in natura ejus est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quàm ejus ipsa natura atque

„ ſubſtantia, ut ſæpè jam diximus, ac ſæpè iterare non piget; ac „ per hoc Filius charitatis ejus nullus eſt alius, quàm qui de ſubſtan- „ tia ejus eſt genitus.

XXI. In hoc diſcurſu, ex eo Filius Patris dicitur Filius charitatis ſuæ, quia eſt Filius ſubſtantiæ & naturæ ſuæ, cùm charitas ſit ipſamet ſubſtantia & natura, ac proinde, ſicut Pater ratione ſuæ ſubſtantiæ producit Filium, ita ratione ſuæ charitatis; & ſicut ipſa productio eſt actus correſpondens naturæ ac ſubſtantiæ, ita eſt actus correſpondens charitati, ut amplius patet ex cap. 20. ubi ſic ſcribit D. Auguſt. „ Quocircà ridenda eſt dialectica Eunomii, „ à quo Eunomiani hæretici exorti ſunt, qui, cùm non potuiſſet „ intelligere, nec credere voluiſſet, unigenitum Dei Verbum, „ per quod facta ſunt omnia, Filium Dei eſſe naturâ, hoc eſt de „ ſubſtantia Patris genitum: non naturæ vel ſubſtantiæ ſuæ ſive „ eſſentiæ dixit eſſe Filium, ſed Filium voluntatis Dei: acciden- „ tem ſcilicet Deo volens aſſerere voluntatem, quâ gigneret „ Filium, videlicet ideo quia nos aliquid aliquando volumus, quod „ antea non volebamus, quaſi non propter iſta, mutabilis intelliga- „ tur noſtra natura, quod abſit, ut in Deo eſſe credamus. Neque „ enim ob aliud ſcriptum: *Multæ cogitationes in corde viri, conſilium* „ *autem Domini manet in æternum;* niſi ut intelligamus ſive creda- „ mus, ſicut æternum Deum, ita æternum ejus eſſe conſilium, ac „ per hoc immutabile, ſicut ipſe eſt. Quod autem de cogitationibus, „ hoc etiam de voluntatibus veriſſimè dici poteſt: multæ voluntates „ in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum. Qui- „ dam, ne Filium conſilii vel voluntatis Dei dicerent Unigenitum „ Verbum, ipſum conſilium ſeu voluntatem Patris idem Verbum „ eſſe dixerunt. Sed meliùs, quantùm exiſtimo, dicitur conſilium „ de conſilio, & voluntas de voluntate; ſicut ſubſtantia de ſubſtan- „ tia, ſapientia de ſapientia, ne abſurditate illâ, quam jam refelli- „ mus, Filius dicatur Patrem facere ſapientem vel volentem, ſi non „ habet Pater in ſubſtantia ſua conſilium vel voluntatem „. Idem S. P. eodem lib. 15. cap. 7. oſtendens, qualiter unaquæque Perſona eſt memoria, intelligentia, & dilectio, ait de Filio: *Sua enim eſt & ipſe memoria, ſua intelligentia, ſua dilectio; ſed ita ſe habere, de Patre illi eſt, de quo natus eſt.*

XXII. Cùm itaque juxta Auguſt. Filius ſit voluntas de voluntate, ſicut eſt ſubſtantia de ſubſtantia, & ſapientia de ſapientia, profectò Pater aliquo actu correſpondente voluntati ipſum producit volentem

ſeu ipſam voluntatem, ſicut actu correſpondente ſapientiæ ipſum producit ſapientem ſeu ipſam ſapientiam. Prætereà ex dictis cit. cap. 2. tom. 2. juxta multos Patres, Pater generando deificat & ſubſtantiat Filium, quia ipſum producit Deum & ſubſtantiam: proinde etiam ipſum volificat (vel dicatur alio termino) quatenus ipſum producit volentem. Ad hoc idem tendunt PP. Concilii Tolet. XIV. dum de Deo loquentes dicunt: *Voluntas genuit voluntatem, ſicut & ſapientia ſapientiam;* quod explicantes in Conc. Tolet. XV. dicunt, *Nos autem ſecundùm eſſentiam diximus; voluntas ex voluntate ſicut & ſapientia ex ſapientia; hoc enim eſt Deo eſſe quod velle; hoc velle quod ſapere: quod tamen de homine dici non poteſt, aliud quippe eſt in homine, id quod eſt ſine velle, & aliud velle etiam ſine ſapere. In Deo autem non eſt ita, quia ſimplex ita natura eſt, & ideo hoc eſt illi eſſe, quod velle, quod ſapere.*

XXIII. Hoc idem indicat Magiſter Sententiarum lib. 1. diſt. 6. dicens: *Nec voluntate præcedente vel antecedenti* (Deus Pater) *genuit Filium, nec priùs volens quàm generans genuit Filium, nec priùs generans quàm volens genuit Filium; volens tamen genuit, ſicut potens genuit, & bonus genuit Filium, & ſapiens genuit & hujuſmodi. Si enim Pater ſapiens & bonus dicitur genuiſſe Filium, cur non & volens? Cùm ita ſit Deo idem eſſe volentem quod eſt eſſe Deum, ſicut idem eſt eſſe ſapientem quod eſt eſſe Deum. Dicamus ergo quia Pater, ſicut ſapiens, ita volens, genuit Filium, ſed non voluntate præcedenti vel antecedenti.* Profectò ratio Magiſtri videtur demonſtrativa, quia idem eſt Deo eſſe bonus, ſapiens, ac volens: unde ſi Pater bonus genuit bonificando ſeu producendo Filium bonum, volens genuit volificando, ſeu producendo ipſum volentem, ſicut & ſapientem; negat autem voluntatem antecedentem, quia non ex deliberatione genuit; dicit autem quòd volens genuit, quia ipſummet velle ſeu actus voluntatis producens volentem eſt ipſa generatio. Etiam Michael de Palacios in hanc Magiſtri diſt. 6. eodem modo fatetur Patrem volendo generare Filium.

XXIV. Itaque ipſa generatio Filii, cùm ſit actus, quo Pater Filio communicat totam ſuam eſſentiam, naturam, omneſque perfectiones, eſt actus, quo Pater communicat Filio ſuam voluntatem, ſicut ei communicat ſuam bonitatem & ſapientiam; & quia ipſa generatio eſt actus producendi, quo Pater producit Filium ſub eadem eſſentia omnibuſque perfectionibus, id eſt quo Pater eſ-

ſens (*), bonus, magnus, &c. Producit Filium *eſſentem*, bonum magnum, &c. ideo eſt actus, quo Pater volens producit Filium volentem; & ſicut hæc productio eſt actus eſſentiæ, bonitatis, magnitudinis, &c. quatenus Pater ratione eſſentiæ, bonitatis, magnitudinis, &c. producit Filium eſſentem, bonum, magnum, &c. ita quatenus Pater ratione voluntatis producit Filium volentem, hæc productio, eſt actus voluntatis Patris, ſive hic actus dicatur *velle*, *diligere*, *amare*, vel *voliſicare* (id eſt actus quo Pater volens producit Filium volentem,) & hoc eſt quod prætendit Divus Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 6. ubi explicans, quomodo in libris antecedentibus inquiſierat Trinitatem, dicit, quod dum in lib. 8. mentem extulit ad contemplandam immutabilem ſummamque naturam, in charitate eluxit Trinitas, & ita ſcribit: *ſed ubi ventum eſt ad Charitatem, quæ in Sancta Scriptura Deus dicta eſt, eluxit paululùm Trinitas, id eſt amans, & quod amatur, & amor*; hîc enim per *amantem* intelligit Patrem, per *quod amatur* Filium, & per *amorem* Spiritum Sanctum: unde cùm *amatus* ſit Filius, & Pater *amans*, & amatus habeat eſſe ab amante, aliquo actu amandi Pater amans producit Filium amatum.

§. III.

Immeritò dicitur *in relatâ Cenſurâ ſuper notatum Textum*, Lullum intellexiſſe, Filium per Amorem generari.

XXV. Laudatus Cenſor deducit hanc Cenſuram ex illis verbis Textûs adducti, num. 14. ubi dicitur: *Secundus modus conſiſtit in hoc, quòd Pater naturaliter diligat generare Filium, quia ſi non ita eſſet, generaret ipſum contra ſuum velle, & tale diligere eſt proprium Patri.* Hîc notandum eſt, quòd in editione, quam vidit ipſe Cenſor, dicitur, *quòd Pater diligit naturaliter generare Filium*: quâ lectione ambiguum videtur, an *ly naturaliter* afficiat Verbum generare, an verò Verbum diligere; in editione verò Moguntina dicitur: *quod Pater naturaliter diligat generare Filium*, & *ly naturaliter* determinatè

(*) *Eſſens*, *eſſentem*. Hæ loquutiones propriæ ſunt, ad faciliùs breviùſque uno verbo, explicandum, quidquid, eſſentialiter, realiterque *eſt*, aut exiſtit: ſive ſit cauſa, aut principium eſſentialiter producens, &c. Sive effectus eſſentialiter realiterque productus: ſicut & *poſſificare* & *poſſificatum*; utpotè *poſſificare* ſit virtus Poteſtatis, & ejus operatio ſive actio ut cauſæ, rem facientis *poſſibilem*, ſive exiſtentem: & *poſſificatum*, ſit effectus jam exiſtens, in ſua naturali eſſentialique poteſtate operandi. Et ſimilia, &c.

afficit Verbum *diligere*, & quidem conformius ad contextum, ubi hoc diligere explicatur esse appetitus naturalis generandi; & proptereà intelligitur illud diligere esse actum naturalem voluntatis, seu esse actum voluntatis ut natura est; ac proinde ex illo non potest deduci, quòd Filius generetur per amorem.

XXVI. Deinde omnes quotquot §. 1. citati sunt, dicunt idipsum quod Lullus, scilicet quòd Pater diligit generare Filium, immò aliqui apertè innuunt Patrem voluntate antecedenti velle generare Filium, & tamen non sequitur ipsos tenere, Filium generari per amorem: nec dissentit D. Thomas adductus, num. 7. quia dum dicit, quòd Pater voluntate concomitante genuit Filium, intelligit quod eâ voluntate Pater diligit generare Filium, quin tamen dici possit ipsum docere, quod Filius generetur per amorem. Nec obstat quòd Lullus dicat, quòd *tale diligere est proprium Patri*, quia omnes, illud qualecumque diligere, quod admittunt in generatione Filii, sive antecedens, sive concomitans, adstruunt esse proprium Patris; quia nulla alia Persona diligit, vel potest diligere generare Filium, nisi solus Pater; ac proinde hoc qualecumque diligere generare Filium, quod omnes admittunt in generatione, sive antecedens, sive concomitans, sive subsequens, est proprium Patri, quin tamen per hoc eis possit attribui, quòd intelligunt Filium generari per amorem.

XXVII. Ampliùs fit evidens hunc non esse Lulli sensum ex contextu ejusdem Paragraphi; nam immediatè post verba notata subdit Lullus: *Et sic consistit suus appetitus naturalis generandi:* Unde, sicut in quolibet generante consideratur appetitus naturalis generandi, ita in divino Patre; & quia illud *naturaliter diligere generare Filium* est suus appetitus naturalis generandi, non potest dici, quòd per amorem generet; sicut etiam patet ex consequentibus, ubi dicitur, quòd sub hoc appetitu, bonitas *requirit naturale bonificare;* id est naturale producere boni, & *magnitudo naturale magnificare*, &c. quæ omnia purum appetitum naturalem designant, non amorem. Deinde in eodem paragrapho contra-distinguitur processio Spiritûs Sancti, quæ est per amorem, à processione Filii; quia Spiritus Sanctus procedit, non per qualecumque diligere, sed per illud, *quod est per reflexionem amandi;* hoc autem modo non procedit Filius: dicitur etiam quòd spiratio est *per amorem, non per naturam;* toto autem Textu adstruitur Filii generatiò *per naturam*, & quòd ratione hujuscemodi amoris distinguitur una productio ab alia; & quia pro-

duci per amorem, ex Theologorum sensu, intelligitur de amore, per quem procedere est proprium Spiritui Sancto, numquam concipi potest ex verbis Lulli, ipsum intelligere *Filium in divinis generari per amorem.*

XXVIII. Hoc apertè constat esse de mente Lulli in eodem libro Sententiarum, in quo sæpè explicat proprium procedendi modum Filii contra distinctum esse à proprio procedendi modo Spiritûs Sancti; nam in qu. 4. ubi quærit *utrùm ratio differentiæ divinorum attributorum sit in Deo, vel in intellectu creato.* Clarè explicat qualiter omnes divinæ perfectiones se habeant ad productionem in Deo, ita ut omnes sint ratio producendi, & communicentur Personæ productæ, & quod tamen realiter non distinguantur, sic num. 3. ait: « sicut » Pater, qui ratione sapientiæ naturaliter *concipit Verbum*, & ad » hoc concurrunt omnes aliæ rationes (perfectiones) essentiâ, cùm » Filius sit ita bonus per bonitatem, magnus per magnitudinem, » sicut sapiens per sapientiam; & hoc idem est de Sancto Spiritu » secundùm, *processum amoris* ». Ex hoc autem patet, quòd productio Filii est, quatenùs Pater ratione sapientiæ naturaliter concipit Verbum; productio verò Spiritûs Sancti est per *processum amoris*, seu quia procedit per amorem: ita quòd utraque productio est actus omnium divinarum dignitatum, quia omnes sunt ratio producendi in utraque, & omnes æqualiter communicantur; cum hac tamen differentia, quòd ad generationem Filii omnes concurrunt sub ratione sapientiæ, quatenùs Pater *naturaliter concipit Verbum;* ad spirationem verò Spiritûs Sancti omnes concurrunt secundùm *processum amoris.*

XXIX. Hæc distinctio utriusque processionis clariùs ibi elucescit ex objectione Eremitæ, ejusque solutione; nam num. 4. sic objicit Eremita: « Raymunde, tu implicas contradictionem, in quantùm » dicis, quòd in rationibus Dei non sit realis distinctio, & dicis quòd » Filius naturaliter sit genitus per *sapientiam*, & Sanctus Spiritus non, » sed quòd sit *spiratus per amorem*; & quia est distinctio inter generationem & spirationem, & generatio est per sapientiam, & spiratio » per amorem, de necessitate sequitur, quòd sit differentia inter sapientiam, & voluntatem, & per consequens inter alias rationes, » quæ cum ipsis sunt idem in essentia, & natura; & quia talis contradictio non potest stare, tua ratio est inanis & nulla ». At num. 5. ita solvitur hæc objectio: « Respondit Raymundus: in divinis » primus motivus (ut ita loquar) incipit per naturam agendi, Deo

» considerante cum intellectu suam potestatem, suam bonitatem, » suam magnitudinem, &c. & sic divino intellectu repræsentante » Deo suas rationes & perfectiones, Deus intelligit se Patrem, pro- » sequens illam repræsentationem, & est occasionatus ab omnibus » suis rationibus, quòd suus intellectus illi repræsentet & excitet » naturam (ut ita loquar) ut natura & suæ rationes in se non sint » otiosæ, sed ut prosequantur finem, in quo fine intellectus habet » suum officium, scilicet intelligere, & voluntas suum, scilicet di- » ligere, & quælibet est realis ratio quoad agere (hoc est quælibet » in Deo est realis ratio agendi) & remanent idem numero per es- » sentiam & naturam, & distinctio officiorum est per distinctionem » generationis & spirationis, cùm generatio sit per *influxum intellec-* » *tûs*, & non per refluxum; spiratio autem *per influxum, & re-* » *fluxum amoris*, & ad hoc communiter concurrunt omnes digni- » tates, ut possit esse distinctio inter generationem, & spirationem » sicut æternitas, quæ essentialiter & naturaliter conservat identita- » tem numeri intellectûs & voluntatis, & infinita potestas ponit dis- » tinctionem inter officium intellectûs & voluntatis sustentatum in » Divinis Personis; quæ distinctio est bona & magna, &c. quia cum » illa distinctione rationes Dei sunt entia realia, & habent suos ac- » tus in agendo intrinsecè, & sic de divina natura: Unde, cùm » hoc ita sit; non sequitur quòd in Deo sit contradictio, cùm in » ipso non sit distinctio secundùm suam essentialem existentiam, sed » secundùm suam agentiam intrinsecam Personarum ». Eadem do- cet qu. 7. n. 1. q. 12. num. 3. & tota q. 13.

XXX. Eodem titulo utramque processionem distinguit Lullus ubi- que de eisdem agit; fastidio tamen parcens, aliqua solùm adducam: Itaque in disput. Fidei, & intellectûs (tom. 4.) part. 2. num. 7. ad objectionem, quòd Sanctus Spiritus etiam debet esse Filius, res- pondet; *Non valet, quia Sanctus Spiritus est natura per essentiam amo- ris, & est spiratus à Patre & Filio per amorem.* In lib. Proverbiorum (tom. 6.) part. 1. cap. 6. *de Patre* num. 1. ait: *Quia Deus intelli- git quòd possit tantùm de se ipso, quantus ipse est, ideò Deus Pater est Pater sui Filii.* cap. 8. num. 3. *Ita convenit quòd sequatur Persona per amare, sicut per generare*; & num. 18. *Quia Pater & Filius per amo- rem se habent ad unum finem, ille finis est Sanctus Spiritus.* Cap. 33. num. 13. *Pater in quantùm intelligit se Patrem, producit Filium, & Filius in quantùm se intelligit Filium, non producit Personam*; num. 15. *Si Pater intelligendo se Patrem, produceret Sanctum Spiritum, Sanc- tus*

tus Spiritus esset Filius Patris ; num. 16. *Si Filius intelligendo Patrem produceret Sanctum Spiritum, esset Pater Sancti Spiritûs ;* & num. 17. *Quia Pater & Filius se contemplantur per amorem, & non per paternitatem, nec per filiationem, producunt Sanctum Spiritum qui non est Pater nec Filius.* Videatur etiam Lullus in Arb. Scient. in Arbor. Divinali, titulo de generatione & spiratione per totum.

XXXI. Planè, nedùm distinguit Lullus generationem à Spiratione, sed eo etiam titulo, quòd generatio est per intellectum, per sapientiam, per intelligere, per concipere Verbum, &c. spiratio autem est per reflexionem amoris, per amorem, per mutuam habitudinem Patris, & Filii in amore, &c. ex quibus omnibus, cùm constet juxtà ejus mentem esse proprium Spiritui Sancto procedere per amorem, sicut est proprium Filio procedere per intelligentiam, ideò nunquam potest ipsi attribui quòd intelligat *Filium generari per amorem* ex eo quod dicat, quòd *Pater naturaliter diligit generare Filium*, & quòd *tale diligere est proprium Patri ;* tum quia juxtà ipsum Pater non diligit generare Filium per amorem sed per intelligentiam ; tum etiam quia productio per amorem, saltem ex communi Theologorum sensu, significat modum proprium processionis Spiritûs sancti, qui semper à Lullo ponitur distinctus à modo processionis Filii ; tum etiam, quia illud non significant hæc verba : *Pater naturaliter diligit generare Filium* ; tum quoque quia licèt dilectio, quâ Pater diligit generare Filium, concurrat ad Filii generationem juxtà omnes, & sit Actus quo Pater volens producit Filium volentem, illa dilectio vel actus non concurrit nisi ut actus naturalis producendi similem in natura, & sub intellectu tamquam principio *quo* proximo, non autem concurrit per modum amoris, & quatenùs est principium *quo*, vel proprius actus notionalis, quo producitur Spiritus Sanctus, qualis amor significatur, dum absolutè dicitur productio *per amorem*.



DISSERTATIO IV.

De propositionibus 4. 5. & 6. notatis in quæst. 7. 11. & 13. ejusdem Libri Sententiarum.

§. I.

In propositione 4. ex quæst. 7. *Lullus unicè docet, quòd potentia, seu potestas divina, est potentia generandi, & potentia spirandi; & ita eadem potentia, quæ aliunde est potentia generandi, quatenùs est potentia spirandi, est una communis potentia spirativa.*

I. TExtus notatus ad quartam propositionem laudati Censoris est iste: *Potentia generandi in divinis absolutè se habet, in quantùm constituit unam communem proprietatem spirativam inter Patrem & Filium.* Quæst. 7. Sentent. num. 4.

Censura: *Proprietas communis Patri & Filio spirativa videtur appellari potentia generandi.*

II. In hac quæstione 7. inquirit Lullus: *Utrùm potentia generandi in divinis dicat quid, vel ad aliquid?* Et licèt in terminis sit eadem, ac illa, quam proponunt Doctores super Magistrum, longè tamen alio sensu eam tractat Lullus, ac Scholastici; nam isti per dictam quæstionem inquirunt, an potentia, virtus, vel principium *quo* generandi consistat in absoluto, nempè in divina essentia, vel in relatione Paternitatis, vel in utroque, secundùm varias sententias; at Lullus per dictam quæstionem inquirit, an potestas divina tantùm sit potestas generandi, vel an præter generare se habeat ad aliquid aliud? Et resolvit quòd etiam se habet ad aliquid aliud, nempè ad spirare; & propttereà ibi num. 1. dicit; « Si Potentia diceret *quid*, » esset absoluta simpliciter per generationem (id est, positâ generatione, non esset potestas ad aliud) & non haberet se *ad aliquid* » quoad Filium: & hoc ideò quia Filius se non posset bonificare, » nec magnificare in diligendo Patrem, & sic Filio deficeret magnitudo bonitatis, æternitatis, potestatis, &c. in hoc, quod non » haberet proprium actum agendi in diligendo Patrem & seipsum, » nec suam bonitatem, magnitudinem, &c. & sic in Filio omnes

» divinæ dignitates amitterent suos actus, & essent otiosæ, in quantùm Filius non ageret cum ipsis; quod est impossibile, cùm conveniat, quòd Filius sit ita bonus, magnus, &c. in agendo de bonitate, magnitudine, &c. sicut Pater, ut illi non deficiat infinita » magnitudo bonitatis.

III. Ex hac doctrina deducit, quòd Filius simul cum Patre, amando se invicem, spirat Spiritum-Sanctum, & ita subjungit: « Et » convenit, quòd ista tertia Persona sit in divinis inter Patrem & » Filium de necessitate, ut ipsorum amor non sit accidens, sed » substantia nec Filius otiosus, nec Pater injustus ergà Filium, nec » è conversò: ergo sequitur quòd *ita benè & perfectè conveniat divinæ* » *potestati, quòd se habeat ad spirationem*, sicut se habet ad generationem, & sic, Eremita. Respondeo ad quæstionem, quòd potentia generandi dicat *ad aliquid*, & non *quid* ». Ex his verbis apparet sensus Lulli in hac quæstione, videlicet quòd agit de potestate Dei, quæ est potestas generandi & spirandi; & quia hæc potestas non purè se habet ad generare, hoc est, non tantùm est potestas generandi, sed etiam spirandi, ideò hæc potestas, quæ est potentia generandi, dicit *ad aliquid*, quia se habet ad spirandum, & non *quid*, quia non purè & unicè se habet ad generare.

IV. Objectio Eremitæ sic num. 2. proponitur: « Quidquid est in » Deo, vel est proprium, vel commune: proprium, sicut *Paternitas*, *Filiatio*, *& passiva Spiratio*; commune, sicut *Essentia*, *Natura*, *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Potestas*, *&c.*; & quia tu » dicis, quòd potentia generandi non dicat *quid*, sed *ad aliquid*, » implicas contradictionem; scilicèt, quòd potentia generandi, quæ » est absoluta, cum sit infinita, sicut divina bonitas, magnitudo, &c. » est absoluta, se habeat absolutè ad generationem, sicut divinus intellectus, qui est idem cum ipsa: sed in quantum dicis quòd se » habeat ad spirationem, sicut ad generationem, dicis quòd non sit » absoluta, cum sit unus respectus in potestate generandi, & alius » in potestate spirandi, cùm sit distinctio inter generare, & spirare; » & quia contradictio non potest stare, tua ratio nihil valet ». Et num. 3. Ita Lullus respondet: « Eremita, concedo tibi, quòd quidquid est in Deo, sit proprium, vel commune; tamen distinguendum est inter proprium & proprium, & commune & commune: » inter proprium & proprium, sicut inter Paternitatem & Filiationem, & spirativam proprietatem, quæ est propria Patri & Filio; inter commune & commune, sicut inter proprietatem spira-

„ tivam, quæ eſt communis Patri & Filio, & eſſentiam, bonitatem, „ magnitudinem, &c., quæ eſt communis omnibus tribus Perſonis.„

Textus prop. 4. V. Immediatè autem ſubjungit: « Undè, cùm hoc ita ſit, potentia generandi ſe habet abſolutè, in quantum conſtituit unam communem proprietatem ſpirativam inter Patrem & Filium; & propriè, in quantum communis illa ſpiratio convenit ſoli Patri & Filio; & in hoc ſtat potentia communis & reſpectiva in prædicta generatione, in quantum per unum modum potentia eſt proprietas paternalis, & per alium filialis, & ipſa remanet una communis indiviſa, cùm Pater ſit ipſa, & generando Filium de toto ſe ipſo, eſt Filius genitus de tota potentia, & idem ſequitur ſuo modo de paſſiva ſpiratione, quam appellamus Sanctum Spiritum, qui eſt de Patre & Filio: ad quam potentiam ſe habet ita propriè, & communiter ſecundùm modum paſſivæ ſpirationis, ſicut ſe habet ad activam ſpirationem ſuo modo: ergo potentia eſt in beatiſſima Trinitate ſecundùm *quid* & ſecundùm *ad aliquid*, ut probatum eſt. „

VI. Ex hoc toto integro textu patet, Lullum loqui de potentia ſive poteſtate Dei, quæ eſt unum ex communibus Dei attributis, & ſecundùm diverſos modos ſortitur varias appropriationes; & ſic eadem poteſtas eſt poteſtas generandi, & poteſtas ſpirandi, & quia nedùm eſt potentia generandi, ſed etiam ſpirandi, ideo præter hoc quod eſt potentia generandi, dicit *ad aliquid*, quia etiam eſt poteſtas ſpirandi, & ſe habet ad ſpirare; & quia hæc poteſtas ſpirandi, ſeu potentia ſpirativa, eſt communis Patri & Filio, & eſt ipſis propria, ideo dicit Lullus in textu notato, & diffusè adducto num. 5. quòd *potentia generandi*, non quidem reduplicativè *quâ* generandi, ſed ſpecificativè, id eſt potentia, quæ aliundè eſt potentia generandi, *ſe habet abſolutè, in quantum conſtituit unam communem proprietatem ſpirativam inter Patrem & Filium*; quia ratione divinæ Poteſtatis eſt, in Patre & Filio una communis virtus ſpirativa, quæ ſicut eſt ipſis communis, ita eſt eiſdem propria; & ſic eadem, quatenus communis ambobus ſe habet abſolutè, & quatenus per ipſam ſe habet ad ſpirare eſt reſpectiva, ſeu ſe habet *ad aliquid*. Hoc videtur ſimile communi ſententiæ, quâ dicitur, quòd potentia generandi eſt eadem ac potentia creandi, ita tamen quòd potentia quâ generandi eſt propria Patri; quâ creandi eſt communis tribus Perſonis: & ita eadem potentia generandi, non reduplicativè, ſed ſpecificativè ſumpta, conſtituit vel eſt una communis potentia creandi.

VII. Deinde juxta prædicta potest in alio sensu intelligi prædicta notata Lulli propositio; cùm enim prætendat Lullus in hac quæstione, potentiam divinam non esse absolutam per generationem, sed etiam se habere ad spirationem, quæ spiratio non est nisi præsuppositâ generatione, potest dici, quòd *potentia generandi*, quâ priùs origine sunt Pater & Filius, Patre scilicet generante & Filio genito, constituit, non quidem formaliter & intrinsecè, sed tantùm originativè, & per resultantiam, *unam communem proprietatem spirativam inter Patrem & Filium*; quia hæc communis virtus spirativa in Patre & Filio, resultat ex generatione, quatenus Pater per generationem dat Filio virtutem spirativam, & spirare Spiritum Sanctum necessariò præsupponit generationem: atque ita potentia generandi, quâ Pater gignit, & Filius gignitur, suo modo statuit & ponit, atque ita constituit in Patre & Filio unam communem proprietatem spirativam; & quia potentia generandi ad hanc spirationem quodammodo ordinatur, & ad ipsam necessariò consequitur ipsa communis virtus spirativa, propter hoc dicitur esse *ad aliquid*, & ipsam communem proprietatem spirativam constituere, hoc est, statuere in ambabus Personis, nam in Phrasi Lulli *constituere* non semper indicat constitutionem intrinsecam, sed etiam efficere, & activè influere, ut aliquid sit constitutum, ut infrà explicabimus dissert. 6. ad prop. 12.

VIII. Hoc videtur exprimere Manuel Calecas Græcus, disputans contra suam Nationem pro processione Spiritûs Sancti à Filio, apud Petavium Theolog. Dogm. Lib. 7. de Trinit. cap. 11, num. 11, ubi ait: *Unde, quia secundùm id quod gignit, Patris Persona subsistit, per hoc ipsum quod gignit, emissor erit etiam Pater; ex quo jure dictus est emissor per verbum;* subjungit autem hæc Petavius: « In quibus » observandum hoc maximè est quod ait; Patrem per generationem, » quam *generandi operationem* appellat, primò consistere, ac subsistere: » tum per hanc primigeniam operationem cæteras producere, inprimisque *emissionem vel spirationem*. Quod non sic intelligendum est, » ut ipsamet actio generandi per se ac *formaliter*, ut aiunt, sit spiratio, aut illius terminus, qua generatio est, sit Spiritus Sanctus; » sed quod *prima forma vel actus Patris*, hypostasim cum essentia » componens, est generatio sive relatio, ac Paternitas, quæ Personam ac substantiam Patris constituit, efficitque ut sit hic Deus.... sic » in admirabili, & Sacro-Sancta Divinitate, quia Personæ primæ » forma constituens est generatio, sive Paternitas, per quam illa » subsistit, & est genitor, aut Pater; ab ea deinceps, & per eam

„ procedere dicitur, quidquid consequenter agit, quod etsi *forma* „ *vel notione* distinguitur; ab illa tamen primaria, ceu radice pullu- „ lat & oritur; quatenus ab illâ, quæ per eam subsistit, persona „ proximè immediatèque producitur. »

IX. Posteà idem Petavius num. 12. hæc adjicit: « Itaque nemo „ dixerit, Patrem per spirationem generare Filium, aut genera- „ tionem ab spiratione proficisci: quemadmodum per generationem „ spirare, hoc est spirationem, proferre dicitur Pater, ut docet „ Calecas, quia spiratio neque propria est & formalis processio „ Filii, neque personam Patris constituit, à qua, ut hæc Persona „ est, Filius existit. At generatio, etsi non est propria Spiritûs „ Sancti, & formalis productio, forma tamen est Personam Patris „ constituens, à qua jam per illam completa formataque communis „ cum Filio spirandi manat actio, ejusque terminus Spiritus Sanctus. „ At, cum, ut ante disputavimus, tam *mediatè* quàm *immediatè* Spi- „ ritus Sanctus à Patre procedat, utrobique generatio, sive Pater- „ nitas, ad illius productionem conferre, ex superioribus intelligi- „ tur: Etenim mediatè Pater Spiritum edit, quatenus Filius, qui „ ab illo substantiam, & spirationem accepit, communiter cum eo „ Spiritum producit; hoc verò modo per generationem spirat Pater, „ quia per Filium id facit, cui generatio nativitatem dedit. Imme- „ diata verò productio, quæ fit eoquòd Pater ex se, & per suam „ Personam productionem attingit Spiritûs Sancti, per genera- „ tionem nihilominùs existit, ut paulò ante declaratum est; quoniam „ per illam, ut formam, Patris persona subsistit. » Planè videtur in his quæ exponit Petavius, eundem contineri sensum, quem denotata Lulli propositione explicuimus.

§. II.

Lullus in quinta Propositione ex qu. 11. sentit, Deum non esse in genere reali, sed tantùm in genere purè intentionali, substantiæ; quæ ratio substantiæ sic concepta, non est Deus.

X. In quinta Propositione sic exponitur textus notatus: *Deus non est in genere quoad suam substantiam, quæ non est genus, sed est in genere, quoad substantiam, quæ est genus, quæ quidem substantia Deus non est*, qu. 11. Sentent.

XI. Cùm hujus textûs non inveniam censuram à laudato Censore

prolatam, sed tantùm illum notasse, non video, quid erroris Theologici in ipso obsecerit; nam, Deum non esse in genere dicunt plurimi Patres, ut notat Petavius Theolog. Dogm. tom. 1. lib. 2. de Deo, cap. 5. at D. Damascenus Deum asserit contineri sub genere. D. Thomas par. 1. qu. 3. art. 5. negat Deum esse in genere; aliqui tamen Scotistæ, genus, & differentiam aliquo modo in Deo agnoscunt, eique distinctionem formalem attribuunt: unde sive quoad primam partem, quâ negatur Deum esse in genere quoad suam substantiam, sive in secunda, quâ dicitur esse in genere, sive dum dicitur quòd substantia, quæ est genus, Deus non est; nullum est erroris vestigium: quare solùm videtur hic textus notari, propter contradictionem, quæ in ipso, sic à contextu avulso, apparet, quæ tamen in contextu nulla est, cùm distinguatur substantia, quæ Deus est realiter, à substantia, quam intellectus ex sua imbecillitate concipit, ubi communem Deo & Creaturæ tanquam genus, & sub ipsa Deum concipit, quin Deus sit illa substantia concepta ut genus.

XII. Itaque Lullus qu. 11. Sentent. inquirit: *utrùm Deus sit in genere?* Et ad ejus solutionem num. 1. dicit differentiam, quæ est inter Deum & Creaturam, non esse aliquid realiter commune Deo & creaturæ, sed in Deo esse distinctionem realem, & in creatura esse quoque distinctionem realem, & quia in unoquoque extremo est realis differentia, quæ dicitur communis, quia realiter est in utroque sua differentia: concipit intellectus, unam ideam, similitudinem, vel speciem differentiæ, & sub ipsa, tanquam generali differentia, concipit esse Deum. Simili modo, cùm Deus sit sua substantia, & creatura sit substantia, concipit intellectus unam speciem, ideam, & similitudinem substantiæ, sub qua Deum apprehendit, & immediatè subjungit: „ Sed sicut „ differentia (id est distinctio) divinarum Personarum est differens „ ab illa, quæ est creata per se, & è converso, sicut ignis, qui per „ suam calidiatem est contra aquam, & sicut aqua quæ per suam „ frigiditatem est contra ignem; sic Deus, per hoc quod est substantia, est differens ab illa substantia, in qua intellectus ponit „ Deum, in quantum dicit vel intelligit, quòd Deus sit substantia „ (illa videlicet, quam uti genus apprehendit) & sic sunt duæ substantiæ, una est illa, quæ est Deus, alia est illa, quæ est genus: „ unde, cùm hoc ita sit per prædicta est declarata solutio quæstionis, „ scilicet *quòd Deus non sit in genere quoad suam substantiam, quæ non* „ *est genus, sed sit in genere quoad substantiam* (illam scilicet quæ est „ species, & similitudo in anima) *quæ est genus, quæ substantia non*

» *est Deus, cùm omne genus sit supra aliud, vel sub alio;* sicut genus, » quod est supra species, & sicut substantia creata, quæ est sub ac» cidentibus; & sic per unum modum negativa quæstionis est tenen» da, & per alium, non.

XIII. Ex hoc textu apparet, quòd quia substantia Dei est per se primò distincta à substantia creata, substantia in Deo non est in genere realiter; & etiam quia genus est supra aliud, ut supra species, vel sub alio, ut est substantia creata sub accidentibus: quæ omnia repugnant substantiæ divinæ; & quia illa substantia generica, quam concipit intellectus ut genus, concipitur ut existens supra species, & distinguibilis per differentias; quæ omnia repugnant reali substantiæ Dei: ideò illa substantia generica non est Deus. Atque ita sensus Lulli est, quòd Deus non est in genere reali substantiæ quoad suam substantiam, quia ratio generis suæ substantiæ repugnat; est autem in genere intentionali substantiæ, quod concipit intellectus, & hæc intentionalis substantia, quæ concipitur ut genus, non est Deus; quia, dum concipitur ut genus, concipitur sub modis, & & proprietatibus Deo repugnantibus.

XIV. Hæc ampliùs patent ex solutione argumentorum: nam n. 2. objicit Eremita: « Omne illud, quod non est substantia nec ac» cidens, nihil est, & sic secundùm te, Deus non est aliquid. Præ» tereà, si Deus non est in genere, non est in illa generali diffe» rentia, quam tu dicis, cùm differentia sit genus, & sit posita » in veritate secundùm te, sicut creatio: unde sequitur, quòd Deus » non differat à creatura, postquam non in genere differentiæ; » quod est impossibile. Item, si Deus non est in genere, non est in » relatione, nec de genere actionis, & passionis, nec in isto nunc, » in quo sumus, nec in isto loco, vel in alio, & sic de similibus: » unde, remotâ relatione à Deo, non esset in Deo distinctio Per» sonarum, & idem de remotione actionis & passionis, ratione cu» jus in Deo non esset generatio, & spiratio; & sic de nunc, & » ubi, sine quibus Deus nobis non posset esse præsens, nec sua es» sentia posset nobiscum esse in eodem loco.

XV. Respondet Lullus num. 3. sic: « Ad hoc quod dicis, quòd » omne, quod non est substantia nec accidens, non sit aliquid, ve» rum dicis, sed propter hoc non sequitur, quòd Deus non sit ali» quid, licèt non sit ista substantia, quæ est genus (scilicet inten» tionale) & hoc, quia Deus est alia substantia, quàm genus, exis» tens extrà genus, & non existens sub aliquo accidente; & Deus

est

„ est substantia in hoc quod est per se existens : & sicut ipse, qui „ per suam coessentialem substantiam, quæ est eadem cum sua co- „ essentiali differentia, differt à substantia creata, sic cum sua co- „ essentiali relatione, productione, infinitate, æternitate, differt „ à creata relatione, actione & passione, loco, & tempore; sed „ intellectus conjunctus ponit Deum in genere, ut per aliqua me- „ dia possit contemplari & attingere veritates, quas Deus habet in „ se, dicens quòd Deus sit in genere substantiæ, cùm substantia sit „ per se stans, & dicit quòd sit in genere relationis, ut in ipso pos- „ sit attingere pluralitatem Personarum, & dicit quòd sit in genere „ actionis & passionis, ut in Deo intelligat suam operationem & „ productionem intrinsecam, & sic per consequens de tempore & „ loco, ut intelligat quòd Deus sit in isto instanti, in quo sumus, „ per præsentiam, & extrà per æternitatem, & sic in loco, in quo „ sumus, per essentiam, & extrà locum per infinitatem.

XVI. Patet itaque sensum Lulli esse, Deum realiter non esse in illo genere substantiæ, nec aliorum prædicamentorum, quod in intentione vel specie intelligibili effingit intellectus, tanquam quid commune Deo & creaturæ; & quia realis substantia Dei non sortitur illas conditiones, quæ apprehenduntur in illa substantia, quæ concipitur ut genus, ideò substantia Dei non est illa substantia, quæ secundùm intentionem vel speciem intellectûs est genus : atque ita Deus non est in genere reali, sed in genere purè intentionali, quod sibi format intellectus, conjunctus ex sua imbecillitate, ut per aliqua media possit Dei veritates attingere; idipsum videtur dicere D. Anselm. in Monolog. cap. 26. dicens : « Sed si ratum est, quod de hu- „ jus naturæ simplicitate perspectum est : quomodò substantia est ? „ Nam, cùm omnis substantia admixtionis differentiarum, vel mu- „ tationis accidentium sit susceptibilis hujus immutabilis sinceritas „ omnimodæ admixtionis, sive mutationis, est inaccessibilis : quo- „ modo ergo obtinebitur, eam esse quamlibet substantiam, nisi di- „ catur substantia pro essentia, & sic sit extrà, sicut est supra, om- „ nem substantiam ? Nam quantùm illud esse, quod per se est quid- „ quid est, & de nihilo facit omne aliud esse, diversum est ab eo „ esse, quod per aliud fit de nihilo quidquid est : tantùm omninò „ distat summa substantia ab his, quæ non sunt idem quod ipsa. Cùm- „ que ipsa sola omnium naturarum habeat à se, sine alterius naturæ „ auxilio, esse quidquid est : quomodo non est singulariter absque „ suæ creaturæ consortio, quidquid ipsa est ? Unde, si quando illi

„ est cum aliis, nominis alicujus communio : valde proculdubiò intelligenda est diversa significatio „. Et cap. 27. „ Constat igitur, „ quia illa substantia nullo communi tractatu substantiarum includitur, à cujus essentiali communione omnis natura excluditur.

§. III.

Lullus in propositione 6. ex quæst. 13. unicè docet, distinctionem inter Filium & Sanctum Spiritum esse adeò perfectè bonam, æternam, &c. sicut est distinctio inter Patrem & Filium; non autem quòd in ipsis sit distincta bonitas, æternitas, &c.

XVII. Textus in 6. prop. notatus ita se habet : *Inter Filium & Spiritum Sanctum distinctio esse non potest, nisi inter ipsos esset perfecta, & in ita magna bonitate, æternitate, & potestate, sicut est inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Spiritum Sanctum, inter quos est proprietas distinctiva & constitutiva in subjecto personali.* Quæst. 13. sentent.

Censura : *Videtur dicere, esse distinctionem inter Filium & Spiritum Sanctum in bonitate, æternitate, & potestate.*

XVIII. Ob relatum textum attribuitur Lullo in hac Censura, sensisse in Filio & Spiritu Sancto esse distinctam bonitatem, potestatem, &c. quia dicitur distinctio esse in bonitate, æternitate, & potestate. Ante omnia tamen notandum est, adeò repetere Lullum in suis Libris, in omnibus tribus Personis eamdem esse essentiam, bonitatem, potestatem, & sic de omnibus perfectionibus, quòd plures magni possent tomi confici ex hujusmodi autoritatibus ; quia tamen ad intentum sufficit hoc ostendere ex hoc eodem Libro Sententiarum, & ibi passim habetur hæc doctrina, solùm adverto, quòd quæst. 4. num. 3. ait de divinis perfectionibus : *& relucent per distinctionem divinarum Personarum, cum qua ita sunt idem numero sicut cum essentia & natura, & quælibet ipsarum cum alia.* Qu. 6. num. 2 & 3. *asserit, quòd in Deo producens producit productum de tota sua bonitate, magnitudine, &c.* & num. 5. *sicut omnes tres (Personæ) habent unam communem essentiam & naturam, & sic de una communi bonitate, magnitudine, &c.* qu. 7. num. 3. *Distinguendum est. . . . . inter commune, & commune, sicut inter proprietatem spirativam, quæ est communis Patri & Filio, & essentiam, bonitatem, magnitudinem, &c. quæ est communis omnibus tribus Personis.* Qu. 14. num. 5. *Pater & Filius sunt ita uniformiter idem numero per spirativitatem, sicut sunt uniformiter*

idem numero per essentiam, naturam, bonitatem, &c. Et suprà dixerat, Patrem & Filium de hac eadem essentia spirare Sanctum Spiritum.

XIX. Prætereà, q. 15. num. 1. docet, quòd producens in Deo *producat bonum, magnum, infinitum, de infinita bonitate, & magnitudine :* quod repetit in aliis numeris. Qu. 20. num. 3. ait : *Item in humana specie sunt plures homines, quàm tres, & differunt per essentiam & naturam, per ubi, per tempus, & sic de aliis, & sic de cæteris entibus creatis; sed de numero Dei non est sic, quia Pater, Filius & Spiritus Sanctus faciunt numerum, qui cum ipso numero, qui est Deus, convertuntur, & Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus ; & sic Deus, quoad Personas est tres, & quoad essentiam & naturam est unus Deus, & non plures ; & hoc est quia Personæ non multiplicant tertium, sicut Pater, qui est Deus, & sic de Filio & Sancto Spiritu ; & ratio est, quia non differunt in essentia, nec in natura, nec in attributis, & hoc est, quia Pater de toto seipso, & de omni eo, quod habet, producit Filium, & sic Filius est productus de tota essentia & natura Patris, & etiam de tota sua bonitate, magnitudine, &c. & sic de Spiritu Sancto producto à Patre & Filio.* Qu. 21. num. 2. *sed absolutè omnes tres sunt unus Deus, una essentia & una natura, una bonitas, una magnitudo, &c.* Tandem qu. 32. num. 2. scribit : *Deus Pater est infinitus, & sic Deus Filius est infinitus, & sic de Sancto Spiritu ; & licèt unus non sit alius, non sequitur quod sint tres infinitates, sicut non sunt tres Deitates, nec tres dii, tres bonitates, nec tres magnitudines, &c. & hoc est, quia Filius est de toto Patre, & Sanctus Spiritus de toto Patre & Filio.* Eandem veritatem supponit Lullus in aliis quæstionibus, ubi agit de Deo.

XX. Cùm itaque adeò clara sit mens Lulli in hoc eodem Libro de identitate essentiæ, naturæ, bonitatis, magnitudinis, &c. in omnibus tribus Personis, postulat æquitas, ut non statim in malam partem accipiatur, si aliquid contrarium asserere videatur ; attamen de ipso contextu qu. 13. ex qua desumptus est textus notatus, apparet longè alium sensum deberi illi textui, ac scribit laudatus Censor ; nam ibi quærit Lullus : *Utrùm Sanctus Spiritus realiter distingueretur à Filio, si non procederet ab eo ?* Et ita num. 1. discurrit : *Inter Filium & Sanctum Spiritum non posset esse distinctio, nisi ipsa inter illos esset perfecta, & in tam magna bonitate, æternitate, potestate, &c. sicut est inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Sanctum Spiritum, inter quas est proprietas distinctiva & constitutiva in subjecto personali : ratione cujus proprietatis attributa possunt habere naturales actus, sicut* Textus prop. 6.

bonitas bonificare, magnitudo magnificare, &c. & quia distinctio non posset habere prædictam proprietatem inter Filium & Sanctum Spiritum, si Filius non spiraret Sanctum Spiritum, sic deficiente proprietate distinctiva & constitutiva, deficeret distinctio inter Filium & Sanctum Spiritum, ratione cujus negatio quæstionis est tenenda.

XXI. Sanè in toto hoc contextu nullum est indicium, quòd illa verba de distinctione perfecta, & *in tam magna bonitate, æternitate, potestate, &c.* debeant intelligi ita, ut distincta bonitas, magnitudo, & potestas sit in Filio ac in Spiritu Sancto *: primò*, quia distinctio inter Filium & Spiritum Sanctum debet esse in tam magna bonitate, æternitate, & potestate, sicut est inter *Patrem & Filium, & inter Patrem & Sanctum Spiritum*, constat autem ex toto libro, & signanter ex adductis num. 18. & 19. quòd distinctio inter Patrem & Filium, & Patrem & Sanctum Spiritum sit talis, quòd, non obstante distinctione, in Patre & Filio, & Spiritu Sancto sit eadem Essentia, Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. Atque ita verba Lulli directè excludunt distinctionem bonitatis, æternitatis, & potestatis inter Filium & Spiritum Sanctum. *Secundò*, in eodem contextu explicatur qualiter distinctio inter Filium & Spiritum Sanctum debeat esse perfecta, & in tam magna bonitate, æternitate, potestate, &c. sicut est inter Patrem & Filium, videlicet quia inter Patrem & Filium, & Patrem & Spiritum Sanctum, est proprietas distinctiva & constitutiva, ratione cujus proprietatis attributa possunt habere naturales actus, sicut bonitas bonificare, magnitudo magnificare, &c. Atque ita distinctio inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Spiritum Sanctum est perfecta, & in bonitate, æternitate, &c. quia Pater ratione proprietatis distinctivæ, quâ scilicet producendo potest alium à se distinguere, potest bonificare, magnificare, &c. Filium & Spiritum Sanctum, eos à se distinguendo, & hoc modo attributa habent suos naturales actus, ut bonitas bonificare, magnitudo magnificare, &c. quatenus Pater ratione bonitatis bonificat, ratione magnitudinis magnificat, &c. Unde, cùm dicit Lullus, quòd distinctio inter Filium & Spiritum Sanctum debet esse perfecta, & in tam magna bonitate, æternitate, &c. sicut est inter Patrem & Filium, ex ipso contextu intelligitur, quòd in ipsa distinctione Filii à Spiritu Sancto bonitas, æternitas, potestas, &c. debent habere suos actus, ita ut, sicut Pater distinguit Filium à se, producendo ipsum bonum ratione bonitatis, & æternum ratione æternitatis, ita Filius distinguit à se Spiritum Sanctum, producendo ipsum bonum ratione bonitatis, æternum

ratione æternitatis, &c. & quia hoc non poſſet eſſe, niſi Spiritus Sanctus ab ipſo procederet, ideò non eſſet diſtinctus, niſi procederet.

XXII. Proindè planum eſt, ſenſum Lulli eſſe, quòd illa diſtinctio debet eſſe perfecta, & in tam magna bonitate, &c. id eſt adeò bona, æterna, & potens, ſicut diſtinctio inter Patrem & Filium; & quia hæc talis eſt, quòd ad diſtinctionem Patris & Filii, Pater Filium producit bonum, æternum, potentem, &c. ita, ut diſtinctio Filii à Spiritu Sancto ſit æquè perfecta, & æquè in bonitate, æternitate, &c. Filius debet ipſum producere bonum, æternum, &c. & hæc eſt diſtinctio perfecta in bonitate, æternitate, &c. Hoc præterquam quòd ex ipſo patet contextu, ampliùs manifeſtatur ex ſimili modo loquendi in eodem libro in variis quæſtionibus, ubi ſemper ſupponit, hanc diſtinctionem Perſonarum debere eſſe cum bonitate, magnitudine, &c. ita ut divinæ dignitates habeant ſuum actum, ut habeatur talis diſtinctio, & ideò quæſt. 14. ut probet quòd Pater & Filius debent dici unus ſpirator, & non duo, ita num. 2. diſcurrit: *Adhuc dico tibi quòd inter Patrem & Filium ſit proprietas diſtinctiva, ratione cujus unus diſtinguit alium unum à ſe, ſicut Pater, qui generando Filium, ipſum diſtinguit à ſe ipſo, & ſicut inter Patrem & Filium eſt diſtinctio cum infinitate bonitatis, æternitatis poteſtatis, &c. ſic per conſequens inter ipſos eſt concordantia, quæ eſt æqualis diſtinctioni per infinitam bonitatem, æternitatem, poteſtatem, &c.* Ubi diſtinctio & concordantia dicuntur eſſe cum infinita bonitate, &c. & per infinitam bonitatem, &c. quod idem eſt ac dicere quòd ſunt infinitè bonæ, æternæ, &c. Atque adeò diſtinctio dicitur eſſe in magna bonitate, æternitate, &c. quia eſt bona, æterna, &c. quod autem eſt bonum, in bonitate & cum bonitate eſt bonum.



DISSERTATIO V.

De Propositionibus 7, 8, 9 & 10, notatis in Quæst. 16, 17 & 18, ejusdem Libri Sententiarum.

§. I.

Immeritò attribuitur Lullo in Prop. 7. ex qu. 16. quòd non agnoscit amorem Dei naturalem.

I. AD septimam, quam notat laudatus Censor, propositionem, sic textum adducit: *Nisi humana voluntas haberet habitum charitatis, non haberet naturaliter libertatem ad diligendum summam charitatem, imò esset pura passio mota, sicut instrumentum, ad diligendum Spiritum Sanctum, & hoc simpliciter sine merito.* Qu. 16. Sentent.

Censura: *Non videtur in nobis agnoscere ullum amorem Dei naturalem, qualis potest esse in peccatore attrito, sed solùm omnem ex charitate.*

II. In hac qu. 16. occasione Litteræ Magistri, quærit Lullus: *Utrùm charitas sit aliquid creatum in anima?* Quemadmodum inquirunt communiter expositores; & quia tractatur de charitate, & amore supernaturali, regulariter non fit mentio de amore naturali, sed tantùm supernaturali: unde conformiter ad quæstionem Lullus ibi num.
Textus prop. 7. 1. sic discurrit: » Cùm divina charitas sit amabilis cum magnitudine, » creavit in homine magnam voluntatem, ut haberet magnam amativitatem ad diligendum supremam charitatem, & sic suprema » charitas creavit & posuit in humana voluntate in potentia habitum » charitatis, ut, illo habitu deducto de potentia in actum per voluntatem & summam charitatem, summa charitas esset multùm » dilecta ab humana voluntate, aliàs summa charitas non satisfaceret » suæ magnæ amabilitati de creata voluntate; *quia, nisi humana voluntas haberet habitum charitatis, non haberet naturaliter libertatem* » *ad diligendum summam charitatem, imò esset pura passio mota, sicut* » *instrumentum, ad amandum Sanctum Spiritum, & hoc simpliciter* » *sine merito;* sicut martellus, qui est instrumentum simpliciter motum ad percutiendum clavum; & sic Sanctus Spiritus esset contra

„ ſuam magnam amabilitatem, & per conſequens contra ſuam magnam bonitatem, virtutem, &c. quod eſt falſum, & impoſſibile, „ nec ullo modo eſt intelligibile : ergo concluditur, quòd charitas „ in anima ſit aliquid creatum.

III. Planè in hoc textu non agitur niſi de amore ſupernaturali, quo amatur Deus ſecundùm ſuam ſupremam amabilitatem, quoad ſuam ſupremam bonitatem, virtutem, &c. ſecundùm quam requiritur in voluntate magna amativitas, ſeu virtus proportionata ad amandum; hæc autem virtus, quâ voluntas redditur amativa, eſt charitas habitûs, quæ prepterea creatur in voluntate, in potentia, hoc eſt in diſpoſitione, ut reducatur ad actum per voluntatem, & per Deum ipſum : quare illa verba : *Niſi humana voluntas haberet habitum charitatis, non haberet naturaliter libertatem ad diligendum ſummam charitatem*, intelliguntur de dilectione ſuperna; quia, niſi in voluntate eſſet habitus charitatis, ipſa non haberet virtutem completam diligendi ſupernaturaliter Deum, quia deficeret ipſi ſupernaturalis virtus ad hanc dilectionem; & ideò, ſi diligeret ſupernaturaliter ſine dicta charitate, eſſet pura paſſio mota, & moveretur ſicut martellus, qui eſt inſtrumentum ſimpliciter motum abſque eo quòd habeat virtutem in ſe ad illum motum; quod autem ibi dicitur : *non haberet naturaliter libertatem ad diligendam ſummam charitatem*, non intelligitur de actu naturali dilectionis, ita ut ſine habitu charitatis voluntas nullatenus poſſit diligere, atque adeo nec actum naturalem dilectionis habere, ſed, cùm ly *naturaliter* ſumatur pro eodem ac connaturaliter, id eſt conformiter, & ſecundùm naturam illius ſuperioris ordinis, quo ordinatur voluntas ad ſupremum amorem Dei : tantùm ibi intelligitur, quòd voluntas non haberet libertatem connaturalem, eidem correſpondentem, ad dilectionem ſupernaturalem, ſed purè eſſet mota, ſicut inſtrumentum, abſque virtute correſpondenti, quâ eſſet amativa in illo ordine. Similiter in toto contextu ex num. 2 & 3. apparet, in hac quæſtione tantùm eſſe ſermonem de amore ſuperno, juxta quæſtionem propoſitam; atque ita non eſt mirum ibi non loqui Lullum de amore naturali.

IV. Profectò eadem Cenſura, quæ contra Lullum, poſſet objici contra D. Angelic. 22. quæſt. 23. art. 2. *Utrùm charitas ſit aliquid creatum in anima?* Ubi ſic diſcurrit : *Reſpondeo dicendum, quòd Magiſter perſcrutatur hanc quæſtionem in diſt. 17. lib. Sent. & ponit quòd charitas non eſt aliquid creatum in anima, ſed eſt ipſe Spiritus Sanctus*

mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quòd iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus Sanctus, sed quòd iste motus dilectionis est à Spiritu Sancto, non mediante aliquo habitu, sicut à Spiritu Sancto sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta Fidei, aut spei, aut alicujus alterius virtutis, & hoc dicebat propter excellentiam charitatis; sed, si quis rectè consideret, hoc magis redundat in charitatis detrimentum; non enim motus charitatis ita procedit à Spiritu Sancto movente humanam mentem, quòd humana mens sit mota tantùm, & nullo modo sit principium hujus motûs, sicut, cùm aliquod corpus movetur ab aliquo exteriori movente: hoc enim est contra rationem voluntarii, cujus oportet principium in ipso esse, sicut supradictum est. Unde sequeretur, quòd diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem, cùm amor de suî ratione importet quòd sit actus voluntatis. Similiter etiam non potest dici quòd sic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum: quod etsi sit principium actûs, non tamen est in ipso agere vel non agere. Sic enim tolleretur ratio voluntarii, & excluderetur ratio meriti; cùm tamen supra habitum sit, quòd dilectio charitatis est radix merendi, sed oportet, quòd sic voluntas moveatur à Spiritu Sancto ad diligendum, quòd etiam ipsa sit efficiens hunc actum; nullus autem actus perfectè producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam, quæ sit principium actionis: Unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas, per quas inclinantur ad fines sibi præstitutos à Deo, & secundùm hoc disponit omnia suaviter, ut dicitur Sap. 8. Manifestum est autem, quòd actus charitatis excedit naturam potentiæ voluntatis: nisi ergo aliqua forma superadderetur naturali potentiæ, per quam inclinaretur ad dilectionis actum, esset actus iste imperfectior actibus naturalibus, & actibus aliarum virtutum, nec esset facilis, & delectabilis.

V. Si conferatur hic Textus D. Thomæ cum Textu allato Lulli, & iis quæ dicit num. 3. in eadem quæstione, videbitur Lullum ex Divo Thoma scripsisse hujus quæstionis resolutionem; quoniam utrobique eadem, quoad substantiam, est sententia, & eisdem fundamentis resolvit uterque dubium; & sicut Lullus nullum facit Verbum de amore naturali, ita neque D. Thomas; & ubi Lullus dicit: *Nisi humana voluntas haberet habitum charitatis, non haberet naturaliter libertatem ad diligendum summam charitatem*, D. Thomas scribit: *Nullus autem actus perfectè producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam quæ sit principium actionis:*

ex

ex quo deducit, requiri in voluntate habitum charitatis, ut ei sit connaturalis & liber actus dilectionis Dei, & non sit sicut purum instrumentum motum ad aliquam actionem; ac proindè immeritò notatur à laudato Censore relatus Lulli Textus. Cui consetire videtur D. Augustinus Trac. 87. in Joan. num. 1. dicens: *Hâc* (charitate) *diligimus invicem, hâc diligimus Deum, neque enim vera dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum; diligit enim unusquisque proximum tamquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit Deum, non diligit seipsum.*

VI. Quod autem Lullus alibi, ubi se offert occasio, agnoscat amorem Dei naturalem, patet ex hoc eodem libro; nam quæst. 5. in anima rationali ex vi creationis ipsius agnoscit potentiam recolendi, intelligendi, & diligendi Deum, dicens num. 1. *Anima est substantia, quæ est creata ut recolat, intelligat, & diligat Deum;* & de hujusmodi naturali dilectione, sicut & de naturali recolitione & intellectione ejusdem agit in tota quæstione, quâ ostendit, memoriam, intellectum, & voluntatem esse potentias substantiales, & non accidentia animæ. Quod autem ante infusionem habitûs charitatis agnoscat aliquam dilectionem Dei in peccatore attrito, patet quæst. 49. num. 2. ubi ait, *quòd peccator habeat libertatem intelligendi suum peccatum, & diligendi pœnitentiam, & divinam misericordiam ..... ita quòd, si multiplicat suum intelligere in objectando Deum & sua attributa & vilitatem peccati, culpam, & pœnam infernalem, & cælestem gloriam, & multùm diligit agere pœnitentiam de commissis, tunc se disponit ad habendam contritionem & pœnitentiam.* Unde agnoscit amorem aliqualem Dei sine charitate habituali, quæ ex quæst. 17. nequit in peccatore conjungi cum peccato in illis actibus præviis ad perfectam contritionem, quia sine aliquali amore esse non possunt. Quæst. 65. resolvit, *quòd Angelus naturali dilectione plùs possit diligere Deum, quàm seipsum.* Quæst. 114. num. 1. supponit de quodam Milite Christiano, qui vivebat in peccato luxuriæ, *quòd rogabat Deum, ut ipsum liberaret ab illo peccato*, & bellando cum Saracenis intendebat *honorare, & exaltare Fidem Christi*; & tandem captus à Saracenis decapitari magis elegit *ad honorandam Christianam Fidem, quàm vivere & esse Saracenus, & vituperare fidem;* illi autem actus, saltem prævii ad Martyrium, non potuerunt esse sine aliquo amore. Quæst. 119. num. 2. docet, virtutes acquisitas, quæ possunt ex ipso esse sine charitate, acquiri *recolendo, intelligendo, diligendo Deum.*

VII. Frequentissimè etiam in aliis libris docet, possibilem amo-

rem Dei naturalem, & omissis aliis in lib. de contemp. cap. 226. hunc ponit titulum: *Quomodo termini animositatis & fervoris hominis Christiani possint esse majores & meliores in amando Deum, quàm termini cujuscumque non Christiani*; de hoc autem toto tractat capite, & saltem in non Christiano supponit possibilem amorem Dei naturalem. Prætereà totâ dist. 39. agit *de amore*, & multa interserit de amore naturali Dei, signanter autem illum agnoscit cap. 284. sub hoc titulo: *Quomodo homines mundani habeant majorem amorem erga res mundanas, quàm erga nostrum Dominum Deum*; & cap. 289. *Quomodo homo amet in hoc mundo, & in alio*; & cap. 294. *Quomodo homo amet amore sensuali; & amore intellectuali.*

§. II.

Solùm tenet Lullus in 8. propositione ex quæst. 17. damnatum habere propter antiqua merita minorem pœnam accidentalem, id est magis remissam.

VIII. Ad propositionem 8. hic adducitur Textus & Censura.

TEXT. *Verumtamen propter antiquam charitatem homo mortuus in peccato sic minorem habet pœnam in inferno, sicut homo, qui primò lapsus in peccatum mortale posteà decedit in charitate, puniri debet in Purgatorio, nisi in hac vita pœnitentiam egerit.* Quæst. 17. in fine.

CENS. *Propositio declaratione & limitatione indiget, scilicet quoad primam partem.*

IX. Pro intelligentia sensûs Lulli notandum est, ipsum in hac q. 17. inquirere: *Utrùm charitas augeatur per additionem novæ charitatis?* Et num. 1. resolvere, quòd essentia habitûs charitatis, qui est habitus à Spiritu Sancto creatus in voluntate, non augetur, sed tantùm augentur actus ipsius, dum voluntas cum gratia Dei majores elicit actus charitatis. At num. 2. objicit Eremita quòd charitas amittitur per peccatum mortale, quando autem homo conteritur, & ponitur in Dei gratia, recipit novam charitatem à Sancto Spiritu; & quia reviviscit meritum antiquæ illius charitatis, quàm amisit, recuperat homo essentiam illius antiquæ charitatis, & sic sequitur de necessitate quòd ex duabus essentiis fiat additio & multiplicatio, atque ita fit augmentum & additio charitatis quoad essentiam. Ad hoc respondet Lullus, quòd essentia primæ charitatis per peccatum mortale fuit redacta in nihilum, & noviter, quando homo ponitur in

gratia, non revertitur charitas amissa ad eundem numerum, sicut peccatum Luxuriæ, dum homo conteritur, reducitur in nihilum, & licèt homo iterùm redeat ad peccatum luxuriæ, non revertitur eadem luxuria, sed alia in numero sub eodem genere luxuriæ.

X. Posito dicto exemplo, scribit: « At simili de charitate (licèt » exemplum sit grossum) cùm charitas sit donum datum à Sancto » Spiritu, & luxuria sit habitus electus à voluntate: Unde, cùm hoc » ita sit, mea ratio stat, & tua nihil valet: *Verumtamen propter an-* » *tiquam charitatem* (illam scilicet, quâ meritum acquisivit ante pec- » catum) *homo mortuus in peccato sic habet minorem pœnam in in-* » *ferno, sicut homo, qui fuit in peccato mortali, & est mortuus in cha-* » *ritate, debet puniri in Purgatorio, nisi in hac vita fecerit pœniten-* » *tiam* ». Planè, attentâ quæstione ejusque resolutione, apertè videtur hæc verba relata, quæ notavit laudatus Censor, solùm esse dicta obiter & per excursionem ad alia, non autem ex professo, & ad intentum quæstionis, cùm non conducant ad propositam quæstionem, nec ad solutionem argumenti propositi; unde magis in ea cadit benigna interpretatio. Nec dubium est circa secundam partem, quòd scilicet homo mortuus in charitate, si anteà non satisfecit pro peccatis commissis, debet in Purgatorio puniri.

Textus prop. 8.

XI. Itaque quoad primam partem dicti Textûs, sensûs Lulli videtur esse, quòd qui aliquandò meruit per charitatem, & postea decedit cum peccato, propter illud prius meritum *habet minorem pœnam*, non quidem essentialem, sed accidentalem; neque minorem quoad extensionem durationis infinitæ, sed tantùm minorem quoad ejus intensionem: hoc enim videtur conforme misericordiæ, & justitiæ Dei, quibus etiam quoad damnatos utitur, cùm sit apud Theologos receptissimum, Deum punire infra condignum, & præmiare ultra condignum: Undè, cùm merita peccatum præcedentia sint mortificata per peccatum, nihil sanè deserviunt decedenti in peccato ad vitam æternam; quia tamen fuerunt Deo grata, & ab ipso acceptata, qui nihil in ejus obsequium factum relinquit absque aliqua possibili remuneratione, non videtur absurdum, quòd propter illa præcedentia merita aliquo modo mitiùs agatur cum damnato, quoad pœnam scilicet accidentalem & ejus intensionem. Hoc idem videtur sensisse Divus Anselmus lib. Meditat. Meditatione 6. §. *Cum itaque*, pag. 301. dicens: » Item alii, etsi multa mala fecerunt, multa etiam bona facere » non omiserunt: quibus, vel, ut ex toto ipsa mala dimitterentur » promeruerunt, vel ut tolerabiliorem ipsam pœnam gehennæ ha-

„ berent, sibi acquisierunt „. Et Christus apud Sanctam Birgittam lib. 2. Revel. cap. 14. ait: „ Tribus enim generibus hominum amici „ mei succurrere possunt; primò damnatis . . . . sed potes quærere, „ quomodo quis potest succurrere damnatis, cùm indigni sint gra- „ tiâ, & impossibile est eis redire ad gratiam? Ad quod ego volo „ respondere tibi. . . . quamvis enim & justitia mea, & malitia eo- „ rum indurata, præfinito tempore & præscito damnandi sunt, le- „ vius tamen supplicium fieret eis, si per aliquem à malis aliquibus „ refrenarentur, & incitarentur ad aliquod bonum. Ecce quàm mi- „ sericors sum, etiam in damnatos.

XII. Hæc eadem videtur fuisse Magistri Sententia in 4. dist. 15. ubi relato Augustini Textu: *Si quis non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem Spiritûs, & vinculum pacis, quo Ecclesia connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammas, vel bestias, vel ipsam Crucem timore gehemnæ, nullo modo ista culpanda sunt, imò & hæc laudanda est patientia: Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut, Christum negando, nihil horum pateretur, quæ passus est confitendo, sed æstimandum est fortasse tolerabilius esse futurum judicium, quàm si, Christum negando, nihil horum pateretur, ut illud, quod ait Apostolus;* si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: *nihil prodesse intelligatur ad regnum obtinendum, sed ad extremi judicii tolerabilius subeundum judicium:* subjungit hæc verba: « Ex his ostenditur bona, quæ sine charitate fiunt, „ prodesse quidem ad tolerabiliorem pœnam sentiendam, sed non „ ad vitam obtinendam. Illa etiam, quæ in charitate quis facit; si „ posteà prolapsus fuerit, nec exsurrexit, non esse in memoria, „ Dei, Ezechiel dicit: *Si averterit se justus à justitia, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerit, non recor- „ dabuntur: in peccato suo morietur; & non erunt in memoria justitiæ, „ quas fecit.* In cujus loci expositione Gregorius ait: *Hoc nobis ma- „ ximè considerandum est, quia, cùm mala committimus, sine causa „ ad memoriam transacta bona revocamus, quoniam in perpetratione „ malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum:* Intelligen- „ dum est hoc, ad vitam æternam percipiendam bona præterita non „ dare fiduciam; etsi ad mitiorem pœnam, alioquin præmissæ au- „ toritati Augustini obviaret: Bona ergo sine charitate facta, *& bona „ in charitate facta, quæ concomitatur mortalis culpa,* quam non de-

» let sequens pœnitentia, *ad sensum mitioris pœnæ proficiunt*, non ad
» vitæ fructum.

XIII. Præterea, opera bona mortua seu elicita ab homine existente in peccato, sunt multò minoris æstimationis, quàm merita per peccatum mortificata, & tamen juxta multorum sententiam, illa bona opera mortua deserviunt, ut mitiùs puniatur in inferno, juxta relatam à Magistro, Augustini Doctrinam; quantò ergo magis ad hoc deservient opera bona, viva & meritoria, quæ per peccatum fuerunt impedita, ne suum finem consequerentur? D. Bonav. in 4. dist. 15. art. 1. quæst. 6. *Utrùm bona opera extra charitatem facta valeant ad tolerabiliorem pœnam?* Respondet: « Dicendum, quòd hujusmodi
» opera bona extra charitatem facta, quando bonâ fiunt intentione,
» valent ad multa. Ad temporalium multiplicationem.... *ad tolera-*
» *biliorem pœnam æternam*, sicut dicit Augustinus, quòd valent, ut
» tolerabilior sit damnatio ». Subjungit Seraph. D. varios modos explicandi hanc Augustini sententiam, & ait: « Ideò tertiò dico quòd
» valent ad tolerabiliorem damnationem ex consequenti.... & ad
» vermem, quia minùs cruciabitur, & minorem habebit remorsum,
» quàm si opera illa non fecisset; non de illa culpa, quam commi-
» sit, sed de malis, quæ commisisset, & de bonis, quæ omisisset,
» si illa opera bona non fecisset.

XIV. D. Thomas 3. part. quæst. 89. art. 6. ubi quærit: *Utrùm per pœnitentiam etiam opera mortua vivificentur?* Cùm in argum. 3. sibi objecisset hanc D. Hyeronimi (in illud Aggei 1. *seminastis*, &c.) autoritatem: *Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemquam aliqua, quæ justa sunt, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum*: ita respondet: « Ad ter-
» tium dicendum, quòd Deus recordatur bonorum, quæ quis facit
» in statu peccati, non ut remuneret ea in vita æterna, quod de-
» betur solis operibus vivis, id est ex charitate factis, sed remune-
» rat ea temporali remuneratione.... vel etiam hoc potest referri
» ad hoc quòd patietur tolerabilius judicium: unde dicit Augusti-
» nus in lib. de Patientia (cap. 26.) non possumus dicere schisma-
» tico meliùs fuisset, ut, Christum negando, nihil eorum patere-
» tur, quæ passus est confitendo, sed existimandum est tolerabilius
» ei futurum judicium, quàm si, Christum negando, nihil eorum
» pateretur, ut illud, quod ait Apostolus: si tradidero corpus meum,
» ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:

» intelligat, ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi sup-
» plicii judicium tolerabilius subeundum.

XV. Similiter Bonacina, Tract. de pœnitent. disp. 5. quæst. 6. sect. 4. Punc. 1. num. 2. post resolutionem, quòd opera mortua non reviviscunt per subsequentem pœnitentiam, sibi objicit quòd, si ita esset, opera bona facta à peccatore nihil prodessent: ad quod ait: « Respondeo hujusmodi opera bona nihil prodesse ad vitam » æternam promerendam, multùm verò prodesse ad alios fines.... » Tertiò ad vitanda majora tormenta in inferno, quatenus per hujus- » modi bona opera adimplentur divina præcepta, quorum violatione » majora tormenta subeunda essent in inferno, quæ omnia his » duobus versibus comprehendit Glossa cap. *Quod quidam* de Pœnit. » & remiss.

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ.
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

» Idem sentit. Sotus, Dist. 19. Quæst. 1. Art. 5. Henriquez, » Coninch. Nugn. Zerola, & alii communiter. » Quare, si opera bona facta in peccato, quæ de se non sunt vitæ æternæ meritoria, prosunt damnatis ad mitigationem pœnæ, multò magis opera de se meritoria vitæ æternæ quia facta in charitate, proderunt ipsis, ut mitiùs patiantur, saltem quantùm ad remissionem pœnæ accidentalis.

XVI. Porrò, non est dubium, magis prodesse alicui opera in charitate ab ipso facta, quàm suffragia ab aliis oblata, atque ita potiùs illa, quàm ista, valere debent ad pœnæ æternæ mitigationem; & tamen ad hujusmodi pœnæ mitigationem aliquam in damnatis valere vivorum suffragia, innuere videtur Augustinus in Enchiridio, Cap. 110. dicens: « Cùm ergo sacrificia, sivè Altaris, sivè quarumcumque » Eleemosinarun pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro » valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valde malis, pro- » pitiationes sunt; pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta » mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus » autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio; aut » certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. » Ad hæc ultima verba sequentem notam adjungunt Benedictini San - Mauriani: « Dam- » nationem verò hîc pro punitione eorum, qui post Purgatorii » pœnas salvandi sunt, accipiendum docuit Albertus Magnus in 4. » Sent. Dist. 45. Art. 3. ad 1. eamque interpretationem probârunt

» Magiſtri deinceps in eundem Sententiarum locum; Attamen Petrus » Lombardus eo loci Diſt. 45. Cap. *Neque negandum eſt*, pro dam» natorum quorumdam, qui numquam liberandi ſint, punitione ac» cepit, quando ſubinde concludens dixit: *mediocriter malis ſuffra» gantur ad pœnæ mitigationem.* Nam ab iſtis *mediocriter malis* pror» ſus ſecernit eos, qui à pœnis Purgatorii, ſive celeriùs ſive tardiùs » abſolvuntur per Eccleſiæ preces, appellatque omnes hujus gene» ris *mediocriter bonos.* Res patet per lectis ibidem capitulis: *ſolet » moveri*, & *ſed iterum.* Hinc Gloſſa in 2. Quæſt. 13. Cap. *tempus*, » hæc appoſita eſt: *mediocriter malis proſunt ad hoc*, ut *minùs pu» niantur*, *nunquam tamen liberabuntur.* Pro hac ipſa opinione ab » Alberto Magno citatur Præpoſitivus. In Gellonenſi Codice perve» tuſto extat inſcripta: *Miſſa pro cujus anima dubitatur*, in qua iſthæc » legitur oratio: *Omnipotens & miſericors Deus, qui habes poteſtatem » mortificare, & iterum vivificare, deducere ad inferos, & iterum redu» cere, & vocas ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt; cujus po» teſtas eſt in Cœlo*, & in terra, & in mari, & *in inferis plena aſſiſtit: » Te humiles trementeſque deprecamur pro anima famuli tui, quam » traxiſti de præſenti ſæculo abſque pœnitentiæ ſpatio, ut, ſi forſitan ob » gravitatem criminum non meretur ſurgere ad gloriam, per hæc ſacra » oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipſa tormenta.* Adrevaldus, » Lib. de miraculis Sti. Benedicti c. 21. ſcribit, Floriacenſes pro ani» mabus prædonum in acie cæſorum præces ad Dominum fudiſſe, » *quatenus, etſi perpetuis non mererentur abſolvi cruciatibus, ſaltem mi» noribus mulctarentur à ſtricto judice pœnis.* » Idem docet D. Chriſoſt. Hom. 3. in Epiſt. ad Philip. ſcilicet, fidelium præces, quæ pro mortuis in Eccleſia fieri ſolent, exiguum aliquod damnatis afferre ſolatium, prout refert Petav. Theolog. Dogm. tom. 3. lib. 3. de Ang. cap. 8. num. 17. ubi, relata ſimili Sententia, D. Prudentii, ſubdit: « De hac damnatorum ſaltem hominum reſpiratione » nihil adhuc certi decretum eſt ab Eccleſia Catholica ut propterea » non temerè, tanquam abſurda, ſit explodenda Sanctiſſimorum » Patrum hæc opinio, quamvis à communi ſenſu Catholicorum hoc » tempore ſit aliena. » Ipſe etiam D. Auguſt. lib. 21. de Civitate Dei, cap. 24. num. 3. ſcribit: « Sed quibus placet iſtam Sententiam » (*numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſeri» cordias ſuas*) uſque ad illa impiorum tormenta protendere, ſal» temſic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ in æterno eſt » pronunciata ſupplicio, non contineat Deus in hac ira ſua miſera-

„ tiones suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt, pœnarum „ atrocitate cruciari, non ut eas pœnas vel nunquam subeant, vel „ aliquando finiant, sed ut eas mitiores, quàm merita sunt eorum, „ lenioresque patiantur; sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa „ ira sua miserationes suas non continebit. Quod quidem non ideo „ confirmo, quia non resisto. „

XVII. Quod autem mortuus in peccato recipiat pœnam in inferno secundùm malitiam sui peccati, diffusè explicat Lullus in *Arb. scient.* in *Arbor. æviternali* per totam, & in quæstionibus ejusdem. In hoc autem Libro Sent. quæst. 134. num. 3. supponit, Deum omnes animas, quæ cum peccato à corpore recesserunt, punire pœna damni, *in quantum ipsas evacuat de illo fine & beatitudine, ad quam fuerunt creatæ*; & alibi docet majorem pœnam damnatorum esse privationem visionis Dei, & in Lib. *de Doctrina puerili*, Cap. 67. *de damnatione*, & Cap. 98. *de inferno*, ad longum explicat utrasque pœnas, earum æternam durationem, & gravitatem; quid autem per se debeatur peccato, explicat lib. Prover. p. 3. cap. 81. *de peccato*, num. 2. dicens: *per peccatum perdit homo Deum, & æviternaliter habet pœnam*; & cap. 100. *de pœna* num. 10. *Nulla pœna est tam magna, sicut pœna inferni*; & num. 11. *Infernus est centrum omnium pœnarum*.

§. III.

Docet Lullus in Propos. 9. ex quæst. 18. naturalem Animæ capacitatem totaliter repleri gloriâ, quæ eidem confertur secundùm merita, non autem secundùm naturalia.

XVIII. Textus adductus ad 9. Propos. sic ab eodem scribitur Censore: *Animæ non sunt æquales secundùm existentiam, neque per consequens secundùm operationem, sicut anima B. Petri, quæ major est, quàm anima B. Guillelmi; quia, si æquales essent, plura inconvenientia sequerentur, cùm in Patria non sit dare vacuum, quod esset, si animæ essent æquales, sicut anima Beati Guillelmi, quæ tantum gloriæ non meretur, sicut anima B. Petri; & sic anima B. Guillelmi vacua gloriâ remaneret, ratione cujus vacuitatis plenàm gloriam non haberet: & sic illa quantitas substantiæ, per quam majorem gloriam recipere posset, esset à Deo creata superfluè, & impediret quòd anima perfectam gloriam non haberet.* Quæst. 18. in principio.

Censura:

Censura: Probat *animas esse inæquales secundùm essentiam, nam nomine existentiæ sæpè essentiam intelligit: & in ea probatione videtur supponere, gloriam homini dari secundùm naturalia, & ex naturalibus.*

XIX. Non videtur hîc Censor notare in æqualitatem animarum secundùm essentiam, quam probat Lullus, cùm à pluribus, Autorib. defendatur, & præter alios, Tosca. Instit. Philos. tom. 7. tract. 11. lib. 1. cap. 2. prop. 7. ait: *Assero 2. omnes animas rationales non esse in se ipsis æqualiter perfectas.* Contraria etiam assertio damnata videtur ab Episcopo Parisiensi, qui, referente Henrico Gandav. *Quodlib.* 3. quæst. 5. declaravit quòd *opinio illa, quæ dicit, quòd inconveniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis, error est; quia sic anima Christi non esset nobilior animâ Judæ.* Unde tota difficultas stat in hoc, quòd Lullus *videtur supponere*, ut notat laudatus Censor, *gloriam homini* dari *secundùm naturalia*, *& ex naturalibus;* at, pace tanti viri, immeritò hæc inuritur Lullo Censura, cùm in hoc eodem textu & ubilibet profiteatur, gloriam homini, adulto scilicet, dari propter & secundùm merita, quæ talia non sunt, nisi sub gratia & charitate supernaturali eliciantur: quod quidem, præter alios libros, in quibus hoc sæpè repetit, apertè docetur in hoc eodem lib. sentent. in pluribus locis.

XX. Nam in Prologo docet, quòd charitas omnibus est necessaria ad salutem. Quæst. 3. probans quòd frui est æqualiter actus intellectûs & voluntatis, in responsione ad argumentum Eremitæ supponit, intellectum & voluntatem in hac vita per suos actus acquirere beatitudinem. Quæst. 16. num. 1. probat habitum charitatis esse aliquid creatum in anima à suprema charitate, quia aliter humana voluntas amaret *simpliciter sine merito, sicut martellus, qui est instrumentum simpliciter motum ad percutiendum clavum*; & ideò num. 3. ait, quòd *Sanctus Spiritus* (creato habitu charitatis in anima) *posuit in voluntate naturam, cum qua posset producere, ipsa coadjuvante, de potentia in actum, actum charitatis*; & quæst. 17. num. 3. ait: *Homo est creatus ad beatitudinem, ad quam tendit quando habet charitatem, & quando est lapsus in peccatum, charitas, quam habuit, non habet subjectum, in quo sit sustentata, quia, si haberet, peccator, qui esset in mortali peccato, mediante charitate participaret cum Sancto Spiritu, quod est impossibile, cùm charitas sit suus effectus*; & ibidem tenet, charitatem esse *donum datum à Sancto Spiritu*, & approbat quod num. 2. objicitur in argumento, scilicet quod homo, *quando conteritur & satisfacit, & agit de virtutibus moralibus, recipit novam charitatem à Sancto*

Spiritu, & voluntas recuperat vestigia primæ charitatis, ut non amittat meritum de bono, quod fecit sub umbra antiquæ charitatis quod quidem approbat, ita ut non intelligatur reverti *ad eundem numerum* illa prima antiqua charitas, sed alia in numero, quæ sit *donum datum à Sancto Spiritu.*

XXI. Prætereà quæst. 33. num. 2 ait, quòd homo est *prædestinatus secundùm modum, per quem Deus agit in creatis mediatè; videlicet Deus prædestinavit B. Petrum sic cum bonis quæ fecit, & ratione meritorum illorum bonorum, sicut calefacit calefactum cum sole, & cum igne; & convenit quòd hoc ita sit ratione divinæ ordinationis, justitiæ, & sic de aliis suis attributis; etiam ratione liberi arbitrii B. Petri, & suæ justitiæ, prudentiæ, &c. aliàs, si Petrus immediatè* (id est sine meritis) *esset prædestinatus secundùm modum, per quem Deus* immediatè (id est sine aliquo alio juvamine extraneo, ut ait num. 1.) *agit in creatis, esset prædestinatus sine justitia, & ordinatione, & idem sequeretur suo modo de Juda, qui immediatè esset præscitus sine injuria sui & demerito suorum vitiorum; quod est falsum & impossibile secundùm divinam bonitatem, magnitudinem, &c.* Similiter quæst. 34. *Utrùm præscientia meritorum sit causa, vel ratio prædestinationis salvandorum, vel utrùm detur aliqua alia causa?* num. 1. ait: *sine qua* (gratia Dei) *nullus homo potest esse prædestinatus nec electus ad salvationem, cùm merita, quæ sunt finita, non sufficiant ad acquirendam æternam beatitudinem datam per gratia, & per justitiam ratione meritorum;* & num. 3. dicit: *Quæ* (merita) *non possent esse sine divina gratia, & auxilio.*

XXII. Deinde quæst. 49. num. 1. ait: *Undè, sicut homo non posset generare Filium, nec planta plantam, in absentia influentiæ corporum cælestium, sic & multò magis peccator non potest se facere justum cum suo infirmo intelligibili & amabili, nisi gratia Dei superveniat, & nisi Deus sit coadjutor, quia nemo potest facere bonum sine gratia Dei;* & num. 2. dicit, *quòd, dum peccator habet contritionem, & pænitentiam, tunc venit gratia Dei cum misericordia & justitia sanans hominem, & tunc peccatum, quod anteà erat dilectum, est oditum, & homo est curatus.* Etiam quæst. 81. supposito quod Deus Adamum & Evam creavit ad se memorandum, intelligendum, & amandum, num. 2. ait: *Et quia homo non potest habere bonum, magnum, &c. recolere, intelligere, & amare sine virtutibus, Deus dedit animæ hominis virtutem & potestatem supra corpus, ut ipsum posset refrenare & ordinare, ut scilicet corpori posset acquirere meritum, & cum ipso habere*

magnam gloriam. Pariter, quæst. 86. num. 1. dicit: *Virtus gratuita est fides, spes, charitas.... Item* (num. 2.) *prædictæ virtutes spectant ad meritum, quia ratione meriti* (id est ad acquirendum meritum) *sunt datæ, licèt gratìs sint datæ, & spectant ad meritum, quia, si non spectarent ad meritum, implicaretur contradictio, & ipsi credere sperare, & ipsi amare conveniret acquirere meritum, & non acquirere.* & quæst. 92. num. 3. ait, *quòd sine charitate nullus homo possit habere salvationem.* Etiam quæst. 103. num. 3. dicit, *quòd homines sint prædestinati secundùm eorum merita.*

XXIII. Ulteriùs quæst. 113. num. 4. dicit esse impossibile, *quòd homo peccator per fidem informatam* (hoc est informem) *sibi acquirat utilitatem, scilicet salvationem.* Quæst. 114. num. 1. quòd *per adventum gratiæ, de fide informata fuit mutatus* (peccator) *in fidem formatam,* & quòd *nisi ita esset, non acquisivisset meritum.* Quæst. 115. n. 1. *Spes est donum datum à Deo, ut homo supponat à Deo habere gratiam & misericordiam, & juvamen ad perficiendum bonum agere, & attingere suum finem;* & num. 3. *Et fortè Deus mutat illum hominem ad perficiendum aliud bonum ratione meriti, & spei, & similes vel nauta moriatur sperans in adjutorio Dei, Deus propter spem, quam hubuit mortuus* (simul cum charitate, ut supponitur) *dat ei gloriam.* Quæst. 132. num. 1. *Deus per gratiam disponit peccatorem, qui est ligatus, ut se moveat ad bonas cogitationes, & ad peregrinationes, & ad faciendum Eleemosinas, & sic de similibus, ut liberè sit contritus, & agat pænitentiam de commissis.* Quæst. 133. num. 3. dicit ex aliorum narratione, *quòd Sancta Sophia habebat plus meriti per ædificationem Ecclesiæ Constantinopolitanæ in dando quâlibet die denarium herbæ bobus, qui portabant lapides, quàm Imperator, qui ædificavit & perfecit totam Ecclesiam;* & num. 4. *Item dico tibi quòd sicut unus homo cum charitate æquali* (quoad essentiam) *charitati alterius hominis plus posset acquirere de præmio, quàm alius, supposito quod magis agat de ipsa, sic à simili, &c.* quæst. 136. num. 1. *Homo in via, mediante gratiâ Dei, acquisivit præmium & beatitudinem cum sua anima, & cum suo corpore;* & num. 5. *Imò necessariò convenit, quòd sit resurrectio, ut homo, qui acquisivit præmium, remuneretur, aliàs Deus non remuneraret illud idem in numero, quod acquisivit gloriam.* & quæst. 137. num. 5. *Et ideò, licèt essentiæ habituum* (Fidei, & charitatis) *non sint æquales, tamen intellectus potest acquirere tantùm præmii, credendo Articulos Fidei, & dirigendo voluntatem ad diligendum ipsos.... quantùm voluntas*

potest acquirere per diligere, & intellectum pungere ad credendum vel intelligendum.

XXIV. Ex dictis apertissimè constat mens Lulli, videlicet quòd gloria datur secundùm merita, & quòd homo in via acquirit meritum ejusdem gloriæ; hoc autem meritum unicè cum gratia Dei acquiritur, & mediantibus fide, spe, & charitate, quæ sunt dona à Deo data ad merendum; ita quòd non aliter prædestinatur homo ad gloriam, nisi ex meritis ejusdem prævisis: unde manifestum est, ejus mentem esse omninò alienam ab eo, quòd gloria, ut ipsi impingitur, homini detur secundùm naturalia & ex naturalibus; ac proinde, si quid dixerit, quod contrariari videatur, juxta rectè Critices regulas debet intelligi conformiter ad ejus mentem adeò patenter in hoc eodem libro expositam. At neque in hac quæstione notata, per se ipsam expensa, & præcisivè à contextu aliarum quæstionum, habetur sufficiens fundamentum impingendi Lullo præfatum errorem, ut manifestum fit ex ejus reflexione.

XXV. Itaque in citata quæstione 18. Sent. quærit. *Utrùm augmentum charitatis habeat finem?* Hoc autem inquirit consequenter ad q. 17. in qua resolvit, quòd charitas potest augeri, non quidem per additionem essentiæ habitûs charitatis ad essentiam habitûs charitatis, sed tantùm per actus charitatis potest fieri hæc augmentatio: unde nunc inquirit, an hæc augmentatio habeat finem; ad ejus autem resolutionem, ita num. 1. præmittit: *animæ non sunt æquales secundùm existentiam* (id est secundùm suum esse naturale) *nec per consequens secundùm operationem; sicut anima B. Petri, quæ est major quàm anima B. Guillelmi, quia si essent æquales, sequerentur plura inconvenientia, cùm in Patria non sit dare vacuum, quod esset, si animæ essent æquales, sicut anima Guillelmi, quæ non meretur tantùm gloriæ, quantùm anima B. Petri; & sic remaneret vacua gloriâ, ratione cujus vacuitatis non haberet plenam gloriam; & sic illa quantitas substantiæ, per quam posset recipere majorem gloriam, esset superfluè creata à Deo, & impediret quòd anima non haberet perfectam gloriam, quod est impossibile.* Et num. 2. scribit: « Et si dicis quòd Deus per gra- » tiam impleat animam Guillelmi gloriâ, ut sit æqualis animæ B. » Petri in plenitudine gratiæ & gloriæ, dicis quòd Deus faciat in- » juriam animæ B. Petri, in quantum illi dat plus gloriæ per gra- » tiam, *qui non meruit tantùm gloriæ, quàm illi, qui meruit plus;* » quod est impossibile: per quam inæqualitatem est demonstratum,

Textus prop. 9.

„ quòd animæ sint inæquales, ratione cujus inæqualitatis respondeo „ ad quæstionem, &c.

XXVI. Scopus Lulli in hoc Textu est ostendere inæqualitatem animarum secundùm esse naturale, quo dicunt capacitatem recipiendi gloriam; & ad hoc probandum supponit, quòd anima B. Guillelmi non habet tantam gloriam, quantam anima B. Petri; & hoc ideò, *quia non meretur tantùm gloriæ quantùm anima B. Petri*, quid verò clarius dici poterat, ad ostendendum, quòd gloria datur secundùm merita? Unde, cùm expressè asserat, quòd anima quæ non meretur tantùm gloriæ, quantùm alia, non habet tantùm gloriæ, quantùm illa, evidens est, non intendere quòd gloria detur secundùm naturalia & ex naturalibus, sed secundùm merita: quæ quidem ex Doctrina ejusdem in hoc eodem libro, ut constat ex dictis à num. 16. non habentur, nisi ex Dei gratia & dono Sancti Spiritùs. Similiter in verbis relatis ex num. 2. hujus quæstionis constat, gloriam dari à Deo ex meritis, & ita quòd Deus faceret injuriam, si daret plùs gloriæ per gratiam illi, *qui non meruit tantùm gloriæ*, *quàm illi qui meruit plus*: ergo evidens est, Lullum sentire, quòd ex justitia gloria datur secundùm merita; ita ut plus detur ex justitia illi, qui plus meruit; atque ita non datur secundùm naturalia, & ex naturalibus.

XXVII. Supponit quidem Lullus, totam capacitatem naturalem animæ beatæ esse plenam gloriæ, aliàs anima esset vacua, & non esset perfectè beata, & ei deficeret complementum gloriæ; at hæc gloria, quæ eam replet, non datur ipsi, nisi secundùm meritum, ita ut plus gloriæ detur illi, quæ plus meruit; & quia, ut supponit tanquam exemplum, plus gloriæ habet anima, B. Petri, quàm anima B. Guillelmi, infert quòd anima B. Guillelmi est inæqualis animæ B. Petri in natura, & quoad esse naturale, secundùm quod dicit capacitatem naturalem recipiendi gloriam; quia, cùm utraque quoad capacitatem naturalem sit plena gloriâ, ut sit perfectè beata, minorem capacitatem habet & minus esse naturale illa, quæ minorem gloriam recipit, cùm sit tota plena cum minori gloria, & alia non sit tota plena nisi cum majori gloria; & quia plenitudo majoris gloriæ est in majori anima, quæ plus meretur, & plenitudo minoris gloriæ est in minori anima, quæ minùs meretur, ideò gloria utrique datur secundùm merita, & non secundùm naturalia, & ex naturalibus.

XXVIII. At dices: juxta Lullum, animæ, quæ est major in ca-

pacitate naturali, datur in Patria tanta gloria, quanta requiritur, ut sit plena & non vaçua; atque ita datur major gloria, quàm animæ minori in capacitate naturali; & quia potest esse, quòd anima major non meruerit tantam gloriam, vel etiam quòd anima minor meruerit plus, vel æqualiter ac anima major, ideò tunc, cùm anima major non meruerit tantam gloriam, illa major gloria non erit ex meritis, sed ex capacite naturali, videlicet ut plena sit illa capacitas naturalis. Ad hanc tacitam in Textu citato objectionem Lullus in eadem quæstione, & quidem respondens ad aliam objectionem, prætendentem gratiam & charitatem in anima posse esse infinitam, satisfacit num. 5. dicens: *Et sic Sanctus Spiritus non limitat gratiam in anima quoad se, sed anima, quæ est finita, limitat ipsam in quantùm non potest plus recipere secundùm suam quantitatem naturalem, & virtutes acquisitas, & gloriam determinatam per justitiam Dei, & per suam providentiam, qui omnia creata sic mensurat, & comprehendit cum sua sapientia, sicut omnia quæ sunt in tempore, mensurat & comprehendit cum sua æternitate.*

XXIX. Hæc Lulli Doctrina alludit & coincidit cum illa plurium Theologorum, videlicet quod nedùm merita, sed etiam ipsa prædestinati substantia & natura, sunt effectus prædestinationis, ita ut naturam ipsam & merita conferat Deus conformiter ad gloriam, quam unicuique prædestinavit; atque ita sensus Lulli est, quòd ex divina providentia ita disponitur ordo rationalium creaturarum ad gloriam, quòd natura ipsa importans naturalem capacitatem evehitur ad correspondentes virtutes ac merita, ut per justitiam conferatur eidem determinata gloria: non quòd natura ipsa pura sit ad gloriam proportionata, vel ipsi aliquo modo debeatur, sed ita regitur per providentiam, ut consequatur per gratiam illa merita, propter quæ ipsi conferatur illâ gloria, quâ plena & completa sit tota naturalis capacitas animæ; atque ita, licèt anima major in natura, quamvis propter libertatem possit magis vel minùs mereri, imò minùs mereri, quàm anima minor in natura, ut dirigitur tamen & gubernatur sub infallibili Dei scientia & providentia, ita de facto meretur, omninò liberè & absque ulla constrictione, ut conferatur ipsi gloria secundùm merita, quâ plena, completa, & satisfacta sit ejus naturalis capacitas recipiendi gloriam; & hoc modo, licèt detur animæ tanta gloria, quanta est ejus naturalis capacitas, non datur ei secundùm naturalia, & ex naturalibus, sed secundùm merita per gratiam acquisita.

XXX. Hic modus discurrendi de hominibus videtur conformis modo discurrendi de Angelis, quem habet D. Angel. 1. part. quæst. 62. art. 6. ubi quæritur. *Utrum Angeli sint consecuti gratiam secundùm quantitatem suorum naturalium?* Et in corpore ita scribit: « Respondeo dicendum, quòd rationabile est, quòd secundùm gradum naturalium Angelis data sunt dona gratiarum, & perfectio beatitudinis: cujus quidem ratio ex duobus accipi potest; primò quidem ex parte ipsius Dei, qui per ordinem suæ sapientiæ diversos gradus in Angelica natura constituit, sicut autem natura Angelica facta est à Deo ad gratiam & beatitudinem consequendam, ita & gradus naturæ Angelicæ ad diversos gradus gratiæ & gloriæ ordinati videntur: utpotè, si ædificator lapides polit ad constituendum domum, ex hoc ipso quòd aliquos pulchriùs & decentiùs aptat, videtur eos ad ordinatiorem partem domûs ordinare: sic igitur videtur, quòd Deus Angelos, quos altioris naturæ fecit, ad majora gratiarum dona & ampliorem beatitudinem ordinavit. secundò apparet idem ex parte ipsius Angeli; non enim Angelus est compositus ex diversis naturis, ut inclinatio unius naturæ impetum alterius impediat aut retardet, sicut in homine accidit, in quo motus intellectivæ partis, aut retardatur, aut impeditur ex inclinatione partis sensitivæ; quando autem non est aliquid, quod retardet aut impediat, natura in id secundùm totam suam virtutem movetur; & ideò rationabile est, quòd Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortiùs & efficaciùs ad Deum sunt conversi, hoc etiam in hominibus contingit, quia secundùm intentionem conversionis in Deum datur major gratia & gloria, unde videtur, quòd Angeli, qui habuerunt meliorem naturam, habuerunt plus de gratia & gloria. »

XXXI. Resolvit itaque D. Thomas, quòd Angeli consecuti sunt gratiam & gloriam secundùm quantitatem naturalium, ita ut major in natura majorem habuerit gratiam & gloriam; non obstante quòd art. 4. resolvit, quòd Angeli meruerunt suam beatitudinem sub gratia, in qua fuerunt creati; atque ita etiam non repugnat, quòd homo habeat gloriam similiter proportionatam suæ naturæ, ita tamen ut eam priùs mereatur. Nam ratio D. Thomæ pro Angelis idem arguit in hominibus, cùm animæ humanæ etiam sint creatæ ad gloriam, & Deus eis indiderit naturalem appetitum suæ beatitudinis; & etiam quia ex D. Thoma 3. P. quæst. 9. art. 2. ad 3. visio beata est secundùm naturam hominis, *in quantum scilicet secun-*

dùm naturam est capax ejus; & 3. Part. quæst. 7. art. 9. ad 3. dicit, *quòd plenitudo gratiæ attribuitur animæ Christi secundùm capacitatem creaturæ* : & consequenter anima, quæ major est à Deo creata, ad majorem gloriam est ordinata, sicut lapis pulchriùs aptatus ordinatur ad decentiorem partem domûs; & hoc habet locum, tam si homines sint creati ad reparandas ruinas Angelorum, quàm si per se sint ad beatitudinem creati, sive ad utrumque; quia, sicut debent Angelis suo modo æquari in gloria, sic videntur æquandi & proportionandi diversitati naturæ eorum, ut perfecta sit eorum coordinatio. Non me latet Divum Thomam oppositum sentire de hominibus in hoc articulo; at eadem ratio, quæ probat de Angelis, concludit de hominibus; disparitas autem, quam assignat D. Thomas ex eo quòd homo est compositus ex diversis naturis; non autem Angelus, solùm probat, quòd homo non ita promptè, & secundùm totam activitatem naturæ rationalis potest ferri in Deum, sicut Angelus, & quòd non debuit beatificari statim post primum actum, sicut Angelus: At totum hoc non impedit, quin anima in majori perfectione creata, sit ordinata ad majorem gloriam, & quòd hæc eidem conferatur conformiter ad majora ejus merita, quæ acquirit major ejus natura.

XXXII. Imò videtur hoc conformari eidem Doctori Ang. in 1. Sent. dist. 17. quæst. 3. *Utrùm charitas detur secundùm capacitatem naturalium?* Nam in corpore ita scribit : *Respondeo dicendum quòd, cùm Deus habeat se æqualiter ad omnia, opportet quòd diversitas donorum receptorum ab ipso attendatur secundùm diversitatem recipientium; diversitas autem recipientium attenditur secundùm quòd aliquid est magis aptum & paratum ad recipiendum.* Posito autem quòd anima differenter se habet ad perfectiones acquisitas, ad quas se habet activè, & ad infusas, ad quas tantùm se habet passivè, concludit : *Unde operationes animæ se habent ad perfectiones infusas solùm sicut disponentes. Dicendum est igitur quòd mensura, secundùm quam datur charitas, est capacitas ipsius animæ, quæ est ex natura simul & dispositione, quæ est per conatum operum; & quia secundùm eundem conatum magis disponitur natura melior, ideò qui habet meliora naturalia, dummodo sit per conatus, magis recipiet de perfectionibus infusis, & qui pejora naturalia, quandoque magis recipiet, si adsit major conatus.*

XXXIII. Ex hac D. Thomæ Doctrina observare licet, *primò*, ipsum admittere in animabus gradus naturarum, ita ut una sit major quàm alia, quia una est alia melior & secundùm Phrasim Augustini

in

in ſpiritualibus, idem eſt melius ac majus; *Secundò* quòd menſura, ſecundùm quam datur charitas, eſt animæ capacitas, quæ eſt ex natura ſimul & conatu operum; *Tertiò* quòd natura melior pari conatu magis diſponitur; & *Quartò* quòd natura melior pari conatu magis recipit de perfectionibus infuſis, quàm natura inferior. Si ergo in diſtributione charitatis attenditur à Deo differentia naturæ, ita ut illam diſtribuat cum attentione ad ipſam, taliter quòd, quamvis ex parte ipſius naturæ requiratur conatus, ſub pari tamen conatu majorem recipit natura ſuperior, quàm inferior; eàdem ratione in diſtributione gloriæ attenditur natura, ita ut natura melior majorem gloriam conſequatur per majorem charitatem, quam habuit merendo ipſam gloriam, quin per hoc gloria detur ſecundùm naturalia, ſicut ſecundùm ipſam non datur gratia.

XXXIV. Hanc eamdem diſtributionem gratiæ ac meritorum atque gloriæ cum attentione ad diverſitatem graduum naturæ in animabus, quemadmodùm in Angelis, perſuadet ipſa Hyerarchia ſeu ordo beatarum animarum in Patriâ: ſive ipſæ evehantur ad Hyerarchias Angelorum, ſive conſtituant diſtinctam Hyerarchiam. Ratio eſt, quia hic ordo beatarum animarum eſt perfectus: unde, cùm natura ſe habeat tamquam fundamentum & materia, cui ſuperſtruitur donum gratiæ, tanquam quid perfectivum ejuſdem; diſtributio donorum gratiæ in illo ordine beatarum animarum videtur debere cadere ſuper ordine naturarum, ut perfectus ordo probetur. Hæc eſt eadem ratio, quâ de Angelis diſcurrit Div. Thom. in 2. Sent. diſt. 9. quæſt. 7. *Utrùm diſtinctio ordinum ſit à natura?* Nam in corpore ait: *Reſpondeo dicendum quòd donum gratiæ eſt perfectivum naturæ, & ideò diſtinctio ordinum eſt per diverſum donum gratuitum, ſicut per principium formale, & per diverſum donum naturale, ſicut per principium quaſi materiale & diſpoſitum: Unde definitio ordinis utrumque complectitur, comprehendens principia formalia & materialia: ſic ergo quodam modo à principio creationis fuit diſtinctio ordinum, non tamen ſecundùm ultimum complementum.* Adeòq; cùm ordo complectatur naturam tanquam quid materiale, & donum gratuitum tanquam quid formale, videtur ordinem beatarum animarum etiam eſſe ſecundùm ordinem, ſimilem ordini Angelorum; cùm ipſæ ſint ſpirituales, creatæ ad Deum videndum, & æquali objecto beatitudinis fruantur ac Angeli.

XXXV. Itaque, ſicut pro diverſitate & ordine naturæ Angelorum, Deus ex ſua ſapientiſſima ordinatione eiſdem diſtribuit dona gratiarum & merita, propter quæ eiſdem contulit gloriam correſ-

pondentem (& quodammodò proportionatam) eorum naturæ, meritis ornatæ, & sic evasit ordo eorum undique perfectus, & satiata fuit tota eorum capacitas consequendi Deum, quo fuerunt completè beati: sic similiter ex sapientissima Dei providentia actum est in animabus beatis (salva differentia in modo operandi, & consequendi merita, propter animarum unionem cum corpore) atque ita, ut esset perfectus ordo animarum sanctarum, & ipsæ plenè & perfectè essent beatæ, ita ut esset satiata tota earum capacitas; attenta earum naturæ majoritate & minoritate distribuit eis Deus majoritatem & minoritatem gloriæ, utque eam consequerentur, proportionata merita distribuit: non quod natura ipsarum de se sit proportionata & exigat gratiam vel gloriam, vel quòd ipsi debeatur, vel quòd per se debeat esse illarum mensura, vel ullatenùs in ipsas per se influat natura; sed quia pulchritudo ordinis earum ex sapientissima Dei providentia petit easdem ita distribui, ut majores ex Dei gratia majora consequantur merita cum omnimoda libertate, ita ut minora potuerint consequi, imò & nulla; ut sic majorem consequantur gloriam, quâ totaliter satietur tota earum capacitas.

XXXVI. Huc videtur conducere doctrina Eminentissimi Sfrondati in *Nodo prædestinat.* p. 1. §. 1. n. 19. vers. 3. *Tertiò deniquè*, pag. 93. ubi scribit: « Respondetur, Deum ad diversissimos gradus gloriæ, » & per diversissima quoque media, juxta infinitæ providentiæ suæ » sapientissimas regulas homines destinasse; nec enim minor in or» dine supernaturali, quàm naturali, varietas est. Inter tot stella» rum, gemmarum, florum, plantarum, brutorum, volucrum, ho» minumque millia nullum alteri simile; alia species, alius color, » alia figura, aliæ dotes, aliæ facies, alii mores . . . . sicut ergo in» finita Dei perfectio, causa est varietatis in bonis naturæ, ita quo» que in bonis gratiæ; & ideò alia gratia est quæ datur Petro, alia quæ » Paulo, alia quæ Judæ, sic tamen alia, ut omnibus ad benè operan» dum accomodatissima sit, non secus ac in magno exercitu, & à pe» ritissimo Duce, non omnibus eadem arma tribuuntur, sed aliis » gladius, aliis lancea, aliis tela, aliis faces; omnia tamen ad » pugnandum & vincendum aptissima: quod ergo militibus sunt alia » arma, hoc sunt Christianis aliæ gratiæ. » Sic planè ex ordinatissima sua providentia, quâ prædestinatos deducit Deus ad gloriam, & determinatum ejus gradum, in quo plenè & perfectè satietur eorum capacitas consequendi Deum, distribuit omnibus convenientes gratias, quibus merita comparent, & sic juxta merita præmientur.

XXXVII. Eandem distributionem gratiæ & gloriæ, attento diverso naturæ gradu, exponit Franciscus-Georgius Venetus Minorita. Lib. *de Harmonia mundi*, cant. 3. tom. 2. cap. 2. ubi contra Aristotelicos probat inæqualitatem animarum, quam confirmat ex condemnatione Episcopi Parisiensis relata num. 19. & ex illo Sapient. 8. 19. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*, meliorem videlicet, quàm multi alii, & post alia ait : « Observa precor Apostoli verba, *dedit*, inquit, *alios fieri Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* : si enim dedit aliquos fieri Apostolos, nonne distinguit Apostolicatûs donum à dispositione intrinseca quâ dedit eos convenienter assumi ad Apostolatum? Quod nisi dedisset, ad ipsum gradum minùs convenienter fuissent assumpti. Quàm optimè in hoc negotio loquitur Gregorius : conveniunt, inquit, Angeli similiter & homines in muneribus, sicut & in donis aut gradibus naturâ tributis. » Et tandem de gradibus in humana anima ait : « Quos gradus Hyeronimus vires nuncupat dicens, super illud de quinque talentis datis unicuique secundùm propriam virtutem : non pro largitate & parcitate alteri plus, & alteri minus, tribuit, sed pro accipientium viribus. » Ibid. cap. 3. probans, æquissimè Deum, tum dona naturalia, tum supernaturalia, distribuere, præter alia scribit : « His igitur naturâ differentibus assignata sunt dona varia, unicuique secundùm propriam virtutem & dispositionem, quibus etiam præmia redduntur secundùm opera ipsorum, proportione tamen geometrica, quæ non est penès numerum, sed penès proportionem proportionum : ut quæ sit proportio munerum ad munera & meritorum ad merita, eadem sit proportio præmiorum ad præmia. »

XXXVIII. Planè inæqualitatem visionis in Patria, licèt hæc ex communi Patrum assensu secundùm merita tribuatur, à paucis eorum explicari unde proveniat, fatetur Petavius, Theolog. Dogm. tom. 1. lib. 7. c. 10. num. 5. subjungit tamen : « Unum hoc paucos ex illis animadverti dicere, pro mentis, ac cognoscentis facultatis conditione visionis istius, & eorum, quæ unà percipiuntur, varietatem & inæqualem perfectionem existere; nam Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 6. ubi de Beata Dei contemplatione loquitur, postquam illa scripsit, quæ nos supra ex eo descripsimus, Angelos Deum intueri, *quatenus capere ipsi queunt*, ac solum unigenitum Filium cum Spiritu Sancto perfectè conspicere;

„ superioris autem ordinis Angelos, veluti Thronos & Dominatio-
„ nes, pleniùs videre quàm inferiores, ut sunt Angeli & Archan-
„ geli: deinceps disparis illius contemplationis causam hanc subjicit,
„ quòd *unicuique, quantùm capax est, revelatur à Filio & Spiritu*
„ *Sancto Deus. Tùm verò unicuique Angelorum, ait, pro modulo vi-*
„ *rium revelat cum Spiritu per Spiritum Sanctum unigenitus.*

XXXIX. Subdit immediatè Petavius: « Ita Gregorius Nazianze-
„ nus, Orat. 34. Angelos, *prout illorum est ordo, plùs minùsve Deum*
„ *cernere*, non sine dubitatione scribit: sic Dionysius in cap. 1. de
„ divinis Nominibus; *si quid sapientissimæ, ac verissimæ Theologiæ*
„ *Decreto Fidei est habendum, pro ratione uniuscujusque mentis, di-*
„ *vina revelari, & inspici, asserit; eò quòd divina illa & principalis*
„ *bonitas, præ modi, ac mensuræ servatrice justitia, immoderatum*
„ *omne, tamquam id, quod capi non potest, secernit.* Qui locus insig-
„ nis est, in quo, uti Maximus observat, de Angelis non minùs quàm
„ de hominibus loquitur, imò de illis præsertim, quoniam mentes
„ propriè vocantur Angeli. Igitur beatis mentibus, *pro cujusque mo-*
„ *dulo ac facultate perspicua Dei illuminatio tribuitur*, ait Maximus,
„ quod est justitiæ proprium; *hujus enim est, pro cujusque merito ac*
„ *dignitate partiri. Quocirca modum omnem superat quidem Dei cog-*
„ *nitio, Nos autem modo, ac mensurâ opus habemus. Nam si immo-*
„ *deratè nobis revelaretur, ab interitu servari non possemus: uti neque*
„ *corporis oculus si totum solem reciperet.* Idem etiam & in cap. 9.
„ de Cœlest. Hierarch. tradit Dionysius: *Pro intelligibilium oculo-*
„ *rum, visionumque dissimilitudine, divini splendoris ac radii communi-*
„ *cationem esse diversam.* Epiphanius denique in Hæresi Audianorum,
„ divinæ voluntati ac potentiæ diversos illos divinæ visionis gradus
„ assignat.

XL. Prætereà nota est Scotistarum sententia, ut videri potest apud Mastrium in 1. Sent. disp. 6. à quæst. 6. quòd videlicet, nedum intellectus creatus per potentiam naturalem, elevatam tamen, & ut causa principalis effectivè producit visionem beatificam, sed
„ etiam, ut ipse Mastrius resolvit quæst. 7. intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ producit perfectiorem & intensiorem visionem: ex quâ sententia nedum apparet inæqualitas animarum in perfectione naturali, vel inæqualitas capacitatis videndi Deum, sed etiam quòd intellectus præditus naturali majori capacitate, supposito lumine gloriæ, perfectiorem & intensiorem habet visionem; atque ita majorem formalem beatitudinem, quæ in hujusmodi visione consistit;

& hoc potiùs coheret cum sententia Lulli supra, num. 25. exposita, secundùm sensum, quem ibi Mastrius num. 196. ex Vulpe & Pontio refert, videlicet quòd *infimum lumen gloriæ sufficiens est ad elevandum intellectum quantumcumque perfectum secundùm omnem gradum activitatis suæ*; ac proinde quicumque intellectus humanus in Patria cum lumine sibi dato, sive aliis sit æquale, sive inæquale, secundùm omnem gradum activitatis suæ videt Deum: atque ita naturalem capacitatem complet visio Dei, supposito lumine gloriæ, quia, ut ait Mastrius ibid. *lumen requiritur, ut intellectus per ipsum constituatur in ordine agentis supernaturalis; quare semel eo informatus, cujuscumque sit gradûs, potest exire in actum cum tali vel tanta expressione:* Unde subinfert posteà; *licèt perfectio specifica actûs, quatenus est supernaturalis, commensuranda sit juxta perfectionem habitûs elevantis, tamen perfectio gradualis, de qua hîc est sermo, commensuranda potiùs videtur juxta virtutem, & activitatem intellectûs elevati, quàm juxta activitatem habitûs elevantis.*

XLI. Profectò videri potest ipse Mastrius ibi, num. 201. ubi probat repugnare, beatum pro sua majori activitate non elicere majorem Dei visionem; quod ostendit in duobus Beatis habentibus æqualia merita, sed inæquales potentias; quia non posset tunc fieri absque innaturalitate, violentiâ, ac miraculorum fictione, quòd habens perfectiorem potentiam, non eliceret perfectiorem visionem; impediretur enim, *nè Deum videat, ac diligat conatu suæ activitati proportionato;* & concludit; *satius est dicere, intellectum & voluntatem perfectiorem, etiam suppositâ meritorum ac luminis, & charitatis æqualitate, de facto perfectiorem quoque elicere visionem, & fruitionem, correspondentem perfectioni potentiæ; ita enim dicendo, salvatur tum ordo naturæ, qui postulat, ut unaquæque causa permittatur agere secundùm gradum activitatis suæ, tum ordo gratiæ & gloriæ, quæ non destruunt naturam, sed potiùs perficiunt.*

XLII. Tandem, num. 202. sic scribit Mastrius: « Sed urgent adversarii, unum absurdum ex hoc dicendi modo sequi majus omnibus illis, quia secundùm scripturas & Patres visio datur, ut merces meritis correspondens, & unicuique secundùm proprium laborem, 1. Corint. 3. quod confirmat Concilium Florentinum dicens: visionem esse perfectiorem pro ratione meritorum; sed juxtà hanc secundam assertionis partem aliquid visionis non datur, ut merces, nec ob merita, sed potiùs ob vim naturalem, quod Pelagianorum, & Beguardorum favet errori; quare Suarez pu-

» tat, hunc dicendi modum esse parùm tutum, & fidei principiis minùs
» conformem, cap. 21. cit. num. 5. Verùm, si ritè perpendamus,
» quo sensu visio dicatur merces meritis correspondens, & quo
» sensu dicamus in casu inæqualitatis potentiarum aliquid visionis
» correspondere perfectioni naturali potentiæ, quod non esset ex
» meritis, satis constabit, nullum ex nostra sententia sequi absur-
» dum, & præsertim in sensu, quo possit favere Pelagianis aut Be-
» guardis; & quidem argumentum, quatenus intendit inducere hoc
» absurdum, multa falsa continet, quæ à nobis non admittuntur;
» Primò enim falsum est, excessum illum perfectionis in visione ita
» à nobis adscribi naturæ, ut nullo modo fundetur in gratia, nam
» semper supponimus donum gratiæ, quo per lumen intellectus ele-
» vetur ad visionem, quo sensu non tribuitur naturæ nudæ & sim-
» pliciter sumptæ, ut asserebant præfati Hæretici, sed naturæ ele-
» vatæ per divinam gratiam donantem lumen. Secundò non ita as-
» signamus hunc excessum naturæ correspondentem, quasi intellec-
» tus per suam naturalem virtutem aliquem gradum visionis attin-
» gat, in quem non influat lumen, quia, ut constat ex superiùs dic-
» tis, intellectus cum lumine non sunt partiales causæ, partialitate
» effectûs, sed solùm partialitate causæ, ita ut nullus sit gradus in
» visione, in quem simul non influat intellectus & lumen, ex Scoto
» 1. d. 17. q. 9. G. & V: Unde intellectus majoris virtutis eodem
» prorsus lumine, quo deterior producit pauciores, producit plu-
» res, sic, ut in omnes & singulos influat lumen, modo explicato
» num. 196. quare, cùm dicimus excessum illum correspondere ac-
» tivitati intellectûs, non est in eo sensu intelligendum, quasi in
» eum non influat lumen, sed quatenus in omnes fortiùs influit in-
» tellectus, quàm lumen, qua præcisè de causa excessus ille dicitur
» correspondere activitati intellectûs, non luminis. Tertiò, cùm in
» sacris litteris visio dicitur merces & præmium, planè non ita de-
» bet intelligi, ut secundùm se totam in omnibus sit merces pro-
» prii laboris, etenim in Pueris baptizatis nullam rationem merce-
» dis proprii laboris habet, nec in adultis quoad illum gradum, qui
» correspondet gratiæ sacramentali; ex quo deducitur opus non esse
» ut tota visio respondeat solis meritis propriis ipsius Beati, sed vel
» propriis, vel Christi ex opere operato applicatis, ut Lusitanus ad-
» vertit quæst. 11. cit. à num. 35. ubi tandem concludit num. 48.
» excessum in visione correspondentem meliori virtuti respondere
» meritis Christi, quibus nobis meruit plures prædestinationis effec-

» tus inter quos à Theologis enumeratur præstantia & subtilitas in-
» genii, quoniam, sicut Deus suâ providentiâ eam prædestinavit,
» ut melius suæ vocationi occurreremus ad majorem gloriam, ita
» etiam ut per eam majorem haberemus visionem.

XLIII. Et num. 203. sic scribit idem Mastrius: « Itaque, cùm
» omnes prædestinationis effectus pendeant ex meritis Christi, ut est
» communis Theologorum Doctrina, quamvis visio sub hac ratione
» non habeat rationem mercedis, nihilominus habet rationem be-
» neficii nobis à Deo collati ex Christi meritis, ex quo fit, visio-
» nem huic naturæ præstantiæ correspondentem, non præcisè cor-
» respondere naturæ, ut natura est (videtur addendum, *sed ut est*)
» divinitùs ordinata, ut per eam supernaturaliter elevatam major
» conferatur visio; ex quo tandem constat quantum distet sententia
» nostra ab errore illorum Hæreticorum, gratiam negantium; non
» enim nos negamus gratiam, sed cum gratia salvamus naturam;
» neque enim gratia, aut gloria destruit naturam, sed potiùs per-
» ficit & extollit; constat etiam, quàm oscitanter dixerit Suarez
» nostram sententiam esse principiis Fidei parum consonam, etenim
» Scripturæ, Concilia, & Patres solùm docent unicuique dandam
» beatitudinem secundùm sua merita, adeò ut non detur tantùm
» propter merita, sed etiam cum proportione ad merita, & quò
» majora fuerint merita, majorem quoque futuram beatitudinem;
» quod planè totum concedit sententia nostra; non tamen docent
» ex solis meritis propriis habere quod sit major, quia talis majo-
» ritas attendi etiam potest ex meritis Christi, & ex ipsa natura, non
» quidem nudè sumpta, sed ut est divinitùs ordinata, ut per eam
» supernaturaliter elevatam major conferatur visio; itaque etiam in
» sententia nostrâ, beatitudo est merces correspondens meritis pro-
» priis in adultis, & datur major vel minor pro ratione meritorum;
» adeò ut non detur minor unquam quàm sit meritorum dispositio;
» non tamen semper opus est totam habere rationem mercedis &
» præmii proprii laboris, totamque correspondere meritis pro-
» priis; nam secundùm aliquem gradum potest etiam correspon-
» dere meritis Christi, etiam secundùm illum, qui dicitur corres-
» pondere majori activitati intellectûs, & sic semper verum erit di-
» cere in aliquo sensu, quòd beatitudo datur propter merita, &
» cum proportione ad merita, vel propria vel Christi nobis appro-
» priata; atque ex his patet, quo sensu intelligendæ sint major &

» minor in argumento assumptæ; quod adversarii adeo exaggerant, » quasi nostrum assertum sit contra Fidem.

XLIV. Hæc sanè evincunt quàm absque ulla erroris umbra dixerit Lullus in cit. quæst. sent. Animam majorem habere in Patria majorem gloriam, ut tota sua capacitas esset plena, & nullo modo vacua; non quidem ex naturæ exigentia & debito, sed secundùm merita, ita ut Deus ex sua sapientissima providentia, sapientia, & justitia, gloriam determinatam animæ destinaverit, attentâ naturali capacitate meritis ornatâ; atque ita distribuit dona, & gratias, ut merita consequatur, quibus ei talis gloria conferatur, quâ sit plena & satiata tota ejus capacitas Deum videndi & consequendi; nedùm enim, ut constat ex dictis de mente Lulli à num. 20. secundùm merita, quæ talia solùm sunt ex gratia, confertur determinatus gloriæ gradus; sed etiam in Patria, nedùm supponit charitatem supernaturalem in voluntate ad amandum Deum, sed etiam ibidem quæst. 138. requirit lumen gloriæ in intellectu, ut Deum videat, cùm intellectus *non possit habere vigorem per se, sed Deus dat ei lumen gratiæ & veritatis, sub quo est passivus ad attingendum illam supremam visionem, in qua est activus. . . . aliàs si intellectus in Patria esset activus sine prædicta passione* (id est sine lumine, quod passivè recipit), *non esset dispositus nec proportionatus & ordinatus ad attingendum supremam visionem, nec per consequens haberet perfectam beatitudinem*; quæ quidem beatitudo ex quæst. 137. æqualiter consistit in actu intellectûs illuminati per dictum lumen, & voluntatis elevatæ per supremam charitatem. Quod autem merita, quæ consequuntur homines in hac vita, sint tanta & determinata secundùm Dei providentiam & sapientiam, & quidem cum attentione & correspondentia ad naturalem capacitatem, docet D. Bonaventura in 1. dist. 17. q. 4. de augmento charitatis quantùm ad terminum, *utrùm habeat statum vel terminum, ultra quem non possit augeri?* In cujus resolutione sic scribit: « Respondeo dicendum, quòd status est in augmento » charitatis secundùm omnem modum, secundùm quem convenit » esse statum & perfectionem in motu augmenti. Augmentum au- » tem, sicut patet in corporalibus, habet statum à tribus, videli- » cet à virtute agente, & potentia suscipiente, & formâ perficiente: » sicut est in homine, cujus augmentum stat, quando virtus calo- » ris & carnis secundùm speciem non potest ampliùs convertere, » quàm deperdatur; quando potentia humidi radicalis non potest » plùs extendi; quando corpus perfectum est secundùm quod congruit

„ gruit perfectioni animæ : sic dicendum, quòd charitas stat à parte „ virtutis agentis ; sed hujusmodi status potest esse dupliciter, nam „ illa virtus, aut est operans naturaliter, aut à proposito; si naturaliter, tunc stat, quando non potest ampliùs ; si à proposito, „ tunc stat, quando non disponit ampliùs ; *& hoc modo stat charitatis augmentum, cùm deventum est ad mensuram, quam mensus est „ Deus homini secundùm distributionem suæ sapientiæ, & ideò, licèt „ virtus augmentans sit infinita, tamen operatur secundùm dispositionem „ sapientiæ limitantis effectus varios secundùm quòd placet sibi* ; non „ enim operatur secundùm omnimodam possibilitatem. *Stat etiam à „ parte suscipientis*, quia sicut dicitur Matthæi, 25. dedit unicuique „ secundùm propriam virtutem ». Unde, sicut ex D. Bonav. charitas habet determinatum augmentum, secundùm quod dispositum est in divina sapientia & secundùm potentiam suscipientis, ita & meritum, quod non est nisi secundùm charitatem. Etiam ipse Divus Bonaven. in 2. dist. 9. quæst. 3. *Utrùm secundùm majorem capacitatem naturalium dentur à Deo majora dona gratuita ?* Resolvit, quòd si ly *secundùm, dicat dispositionem congruitatis : sic, ubi non est obstaculum, secundùm omnes verum est, scilicet dari majora dona gratuita secundùm* majorem capacitatem naturalium, *quia naturalia bona de congruo disponunt ad gratiam* ; si verò ly *secundùm* dicat dispositionem necessitatis, docet esse erroneam in hoc sensu affirmativam partem propositæ quæstionis. Consequenter ex mente Divi Bonaventuræ, licèt non sit necesse quòd dona gratuita & augmentum charitatis conformentur capacitati naturali, ita ut ei debeant commensurari, tamen secundùm Dei providentiam & sapientiam, ubi non est obstaculum, determinantur & conferuntur dona gratuita & augmentum charitatis, & consequenter ipsum meritum, quod pendet ex charitate, cum attentione ad naturalem capacitatem, ita ut natura per dona sibi collata evehatur ad illam charitatis mensuram, *quam mensus est Deus homini secundùm distributionem suæ sapientiæ* ; & hæc quidem est illa ipsa Doctrina, quam tradit Lullus in locis citatis.

XLV. Neque ex eo quòd Deus secundùm suam providentiam & sapientiam unicuique determinaverit gradum gratiæ, augmenti charitatis, & meriti, sequitur aliquod inconveniens adversùs libertatem hominis, & ejus potentiam merendi, ut docet Eximius Suarez, lib. 1. de Prædest. cap. 10. ubi resolvit : *Decretum gratuitum, quod Deus habuit de æterna felicitate plurium Angelorum & hominum, fuisse de-*

finitum quoad personas & gradus gratiæ, & gloriæ; nam, num. 8. contra definitum gradum gratiæ uniuscujusque Personæ, qui est idem ac definitus gradus meriti, sic objicit, & respondet: « Potest verò » quis objicere, quia sequitur pervenire hominem aliquando in hac » vita ad eum statum gratiæ, in quo jam non possit crescere, ni- » mirùm si ad definitum gradum attingat. Imò etiam sequi, per » Deum stare, quominùs homo sanctior fiat, quàm sit de facto; » quia quantumvis homo conetur, nunquam poterit excedere gra- » dum sibi definitum. Sed hæc facilia sunt consideranti voluntatem » illam Dei non impleri, nisi per sapientem providentiam ejus, per » quam ita disponit uniuscujusque actiones & vitæ progressum, ut » tunc vita finiatur, quando impletur mensura ejus, & ideo ad pri- » mam illationem absolutè est neganda sequela, quia quamdiu homo » in hac vita vivit, potest crescere in gratia; & prædestinatio non » impedit hoc, imò juvat; quòd autem vita finiatur simul cum ter- » mino prædestinationis, hoc non repugnat cum illo principio. Et » eodem modo respondendum est ad alteram partem, in executione » semper esse parata homini auxilia, quibus possit operari & cres- » cere quantum voluerit, imò rarò aliquem adæquatè respondere » vocationibus Dei, & nihilominus has vocationes & auxilia non » æqualiter omnibus dari, sed juxta mensuram divinæ voluntatis, & » dispositionis uniuscujusque, quoad plura eorum, licèt non quoad » omnia ». Patet itaque non repugnare quòd Deus unicuique secundùm suam sapientissimam providentiam determinaverit gradum meriti, quem est acquisiturus correspondentem ad gradum gloriæ sibi definitum; & unumquemque à Deo ita gubernari, ut liberè acquirat illum meriti gradum, nec majorem nec minorem, qui proportionatus est gradui gloriæ sibi definito: quid ergo mirum quòd Deus ita gubernet naturas rationales, ut majores liberè majus meritum acquirant, & minores minus; ut conferatur ipsis proportionatus gloriæ gradus, quo unaquæque ita gloriâ compleatur, ut omninò maneat satiata ejus naturalis capacitas attingendi Deum. Hoc potissimè videtur ita debere esse in sententia ponentium in anima appetitum naturalem videndi Deum; hic enim appetitus non videretur plenè satiatus, nisi secundùm totam suam capacitatem attingerent Deum.

XLVI. Porrò hæc Lulli cogitatio potissimè habet locum in sententia ponente prædestinationem ante prævisa merita, vel præcisivè ab ipsis; nam, si Deus pro sua pura gratuita voluntate prædestinat ad tantam gloriam, & ex hac voluntate prædestinante, tanquam à

causa, procedunt natura, gratia, dona, & merita prædestinati, nihil videtur conformius rationi, & pulchritudini ordinationis rerum, quàm quòd, attenta magnitudine gloriæ prædestinatæ, conferat correspondenter magnam naturam, eamque ornet correspondenter magnis gratiis & donis, quibus mediantibus conferat merita, ut gloria prædestinata, juxta illa magna merita, magnæ conferatur naturæ, quæ sic totaliter satietur; & propterea dicit Lullus in textu hujus quæstionis, Deum scire gradum perfectionis naturæ, ejus meritorum, & gloriæ, & ita per providentiam disponere, ut natura altior, correspondentia habeat merita ex divina gratia, ut ei ex justitia altior conferatur gloria, quâ fit totaliter plena & non vacua, plenè satiata, & nihil esuriens, si autem tota capacitas naturalis animæ non repleretur gloriâ, anima non esset perfectè & complete beata; quia naturalis appetitus beatitudinis, quem plurimi DD. agnoscunt in anima, est juxta ejus naturalem capacitatem, & est tantus, quanta est capacitas; atque ita, nisi daretur gloria pro dicta capacitate, ita ut tota repleretur, non satiaretur appetitus naturalis, & consequenter non esset perfecta gloria, nec esset plenum gaudium: Unde eximius Suarez, lib. 3. de prædestinationis effectibus, cap. 7. num. 8. ait: « Cùm Paulus præordinatur ad beatitudinem, non » præordinatur sola Pauli substantia, quasi metaphisicè spectata, » sed ut phisicè capax est ultimæ felicitatis, quo modo includit suas » proprietates, præsertim intellectum & voluntatem, quæ sunt veluti » subjectum proximum recipiendæ beatitudinis. » Et postquam num. 10. resolvit, quòd bona indoles seu complexio apta ad virtutem, quatenus pendet ex speciali providentia, dici potest effectus prædestinationis, num. 11. ita subjungit: « Neque hinc sequitur » vocationem aut gratiam congruam dari homini propter bonum ingenium » aut indolem, &c. sed potius sequitur, vel ingenium vel » talem dispositionem datam esse tali homini, ut esset capax vel ido» neus ad talem gratiam suscipiendam. » Et in fine ait: « Ita ergo » datur prædestinatio naturæ accomodata per modum subjecti aut » fundamenti: illi autem adjungitur ex eadem prædestinatione & » liberalitate Dei auxilium accommodatum, quo elevetur & consti» tuatur quasi integrum principium operis meritorii, aut dispositivi » ad alios effectus prædestinationis. Neque hoc est alienum à Doctrina » Augustini, nam libro de bono perseverantiæ, cap. 14. dicit: in quo» rundam hominum ingeniis esse has, vel illas proprietates, ratione » quarum ita sunt dispositi, ut si talia signa illis applicentur, mo-

„ veantur ad fidem, & non cum aliis, & Deus illis applicat talia „ signa accommodata, si eos diligit, non quidem propter eorum „ ingenium aut dispositionem, sed ex sua gratia, & liberalitate, „ accommodando, ut sic dicam, gratiam naturæ, non ex merito, „ vel debito naturæ, sed ex Dei benevolentia. „

XLVII. Nec difficultatem ingerere debet, Deum pro naturæ sublimitate vel gradu gratias & dona distribuere, & merita correspondentia conferre, ex sua quidem benignissima voluntate, sapientissima providentia, & decentissima ordinatione, non autem ex ulla naturæ exigentia, debito, vel ipsius apta dispositione, ut tandem sublimiori naturæ sublimiorem ex meritis conferat gloriam: non inquam, hoc in hominibus repugnat, sicut non repugnat in Angelis, juxtà D. Thomam suprà relatum num. 26. quia utrique sunt rationales, Dei capaces & ad eandem beatitudinem creati, quamvis diversis modis & mediis ad illam deducantur; & sanè hanc diversam donorum & meritorum distributionem pro naturæ diversitate, quamvis solùm ex benignissima, & ordinatissima Dei voluntate, innuit illa Parabola Matthæi 25. 15. & *uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem*, quòd, ut hîc advertit à Lapide, legit Arabicus: *juxta posse virtutis suæ*; & Syrus: *juxta facultatem suam*; nam, ut explicat ipse à Lapide, *secundùm propriam virtutem* idem est, *ac potestatem, robur, vires*; & talenta significant dona virtutum, dona gratìs data, dona naturæ; ideò autem dicitur: *secundùm propriam virtutem, quia gratias gratìs datas, & status. . . . . sæpè Deus viribus naturæ contemperat*; inde tamen non sequitur, ut subjungit: « Singulis conferri Dei dona secun- „ dùm meriti modum, quod Calvinus Catholicis hîc per calum- „ niam affingit; aliud enim est naturam capacem esse donorum Dei, „ aliud, mereri dona Dei; aliud, posse habere charitatem, aliud, ha- „ bere charitatem, quemadmodum docet Prosper, lib. 2. *de vocat.* „ *gentium*. cap. 2. ubi illud: *secundùm propriam virtutem*, interpre- „ tatur, *secundùm propriam & naturalem possibilitatem*: sicut & aliud „ est esse habilem aptumque ad accipienda Dei dona, aliud ea „ mereri. „

XLVIII. Unum hîc pro Coronide advertere lubet, quòd animas rationales aliqui specificè distingui autumant, alii verò solùm individualiter, ita tamen ut in sua latitudine sit earum gradualis dinstinctio, taliter quòd una sit aliâ naturaliter perfectior, sicut de Angelis, juxtà varias sententias dicitur; præscindendo autem ab hujusmodi

inquisitione (à qua etiam hîc Lullus præscindit, cùm solùm intendat gradualem perfectionem animarum, quam omnes admittunt) notare oportet, sublimitatem vel depressionem naturæ in anima rationali non esse metiendam ex habilitate, vel inhabilitate nativa, quam habet in corpore; quia hoc est omninò accidentale animæ, & pendet à dispositione corporis; unde non pensanda est altior in natura anima illa, quæ vel subtilem habet intellectum, vel alias naturales habilitates ostendit; cùm sæpè alia nobilior sit, quæ ob indispositionem corporis similes exercere nequit habilitates: atque ita, cùm finis præcipuus, ad quem Deus creat animas, sit Dei consecutio, à posteriori illa pensanda est excelsior in natura, quæ altiùs Deum consequitur, & quam Deus ad altiora virtutum provehit incrementa, ut ex justitia sublimior ei conferatur gloria; ad hanc enim parum faciunt naturales habilitates, nisi ex Dei gratia subserviant ad merita consequenda; & sic etiam ex majoribus meritis major à posteriori potest inferri anima; nam hoc modo videtur dicere Apostolus 1. Corint. 1. 27. *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia;* quia, sicut, eò quia Deus est finis animæ, tota ejus perfectio est pensanda ex capacitate eum obtinendi, ita illa, quæ magis ad ipsum conducunt, sunt ea, ad quæ magis est ordinata anima, & quæ magis ejus perfectionem ostendunt; sola autem Dei sapientia cognoscere potest mirabilem ipsius ordinationem, quâ animam naturâ sublimem despicabili innectat corpori, & parum aut nihil ferè quoad naturalia luceat, prout aliæ minùs sublimes vivacitatem exerunt in hac vita. Unde D. Augustinus, lib. 8. de Civit. Dei, cap. 15. n. 2. ait; *sed fieri posse, ut inferius corpus anima melior inhabitet, deteriorque superius.*

§. IV.

Docet Lullus in Prop. 10. ex quæst. 18. quòd quantitas naturalis animæ limitat charitatem, ne sit infinita; non autem eam limitat quoad gradus latitudinis ejusdem.

XLIX. Ad propositionem decimam, quam notat, sic textum citat, & Censuram innectit, laudatus Censor: *Anima, quæ est finita, limitat ipsam charitatem, in quantum plus recipere non potest secundùm suam quantitatem naturalem. quæst. 18. circà finem.*

Censura: *Indicat charitatem recipi in anima, secundùm potentiam animæ naturalem.*

L. Tantum abest Lullus ab eo, quòd charitas secundùm potentiam animæ naturalem recipiatur in ipsa, id est, quòd ex ipsius exigentia, vel ex ejusdem proportione, ac condecentia ad charitatem, hæc ipsa recipiatur: quin potiùs ubique docet oppositum; &, omissa adductione textuum ex aliis libris, ex hoc eodem libro abundè hoc constat; nam quæst. 16. num. 1. docet, charitatem esse habitum creatum in anima à Sancto Spiritu, ut anima possit Deum diligere cum merito, ita tamen quòd à summa charitate & ab anima reducitur ad actum ille habitus in ipsa creatus; & num. 3. dicit, quòd *Sanctus Spiritus posuit in voluntate naturam, cum qua posset producere, ipso coadjuvante, de potentia in actum, actum charitatis; & illa natura, quæ est ex parte voluntatis sic est passiva sub summa charitate ad recipiendum suum vestigium, & similitudinem, sicut cera sub sigillo ad recipiendum vestigium & similitudinem sigilli.* Quæst. 17. tenet, quòd charitas *est donum datum à Spiritu Sancto;* & quòd lapsus in peccatum *non habet subjectum, in quo sit sustentata charitas;* quod idem repetit quæst. 19.; & quæst. 86. docet *quod charitas* est *virtus gratuita; & gratuitò facere gratiam non spectat ad meritum quoad ipsum, qui facit gratiam; quia, si spectaret, gratia gratis facta non esset hoc quod est.*

LI. Prætereà quæst. 116. num. 1. ait: *charitas est donum à Deo datum, ut homo cum ipsa reducat specifica bona ad communia, ut possit diligere Deum & suum proximum, & est donum datum à Deo cum divina bonitate, magnitudine, &c.* Quæst. 119. ait: quòd Sanctus Spiritus dat charitatem homini, ipsa creata de nihilo in subjecto, scilicet in voluntate hominis. quæst. 132. num. 1. dicit: *Quòd homo existens in mortali peccato non est dispositus ad recipiendum gratiam, cùm non sit contritus, nec agat pœnitentiam; sic Deus non posset infundere gratiam; quia, si posset, posset in ipsum infundere charitatem, & ipsam associare cum culpa & peccato in eodem instanti, quod est impossibile; sed Deus per gratiam* (actualem) *disponit peccatorem, qui est ligatus, ut se moveat ad bonas cogitationes, & ad peregrinationes, & ad faciendum eleemosinas, orationes, & sic de similibus, ut liberè sit contritus, & agat pœnitentiam de commissis; & tunc si hoc facit, in illo instanti, in quo hoc facit & incipit, justitia, & misericordia Dei remittunt culpam, & gratia infundit charitatem in subjectum ordinatum & benè dispositum.* Quare si charitas est creata, tanquam donum gratuitum à Deo collatum, nullam dicit dependentiam à natura voluntatis; & si aliquando præ-

requiritur dispositio, ad hoc ut detur, prout in peccatore, illa dispositio, licet consistat in actibus voluntatis, ortum tamen ducit à gratia Dei, hominem movente ad contritionem, & sic non datur charitas secundùm potentiam animæ naturalem; nec actus eliciuntur secundùm naturæ dispositionem, sed secundùm influxum Spiritûs Sancti.

LII. Hoc ampliùs patet in eadem quæst. 18. notata, in qua Lullus cum aliis Scribentibus in Magistrum inquirit: *Utrùm augmentum charitatis habeat finem?* Quod idem est ac quærere, an charitas possit augeri in infinitum: circà quòd variant Auctores; & negantes, ut observat Palacios in 1. Sent. dist. 17. dispu. 7. nedum ex eo quòd charitas sit creatura, deducunt non posse excrescere in infinitum, sed etiam ex eo quòd capacitas animæ, in qua recipitur, sit finita; concedunt tamen dicti Auctores, Deum, quantum est de se, illam posse augere in infinitum; charitas verò ex sua propria ratione, & ratione limitationis sui subjecti, in infinitum nequit excrescere, prout docet Alensis ab eodem citatus. Cum hâc DD. catervâ sentit Lullus in præsenti quæstione, & quidem supponit, Deum quantum est de se, posse augere charitatem in infinitum, sicut quantum est de se, potest illam facere æternam; quia verò charitas est creatura, cui repugnat infinitas, sicut æternitas, infinita esse non potest; ex alio etiam titulo repugnat infinitas charitati, videlicet quia recipitur in potentia naturali animæ, & quia hæc potentia est finita, & tantum potest finitum recipere, ideò hæc naturalis potentia limitat charitatem, non quidem quoad gradus possibiles intra latitudinem charitatis secundùm rationem finitæ charitatis, sed tantùm limitat ipsam ne excrescat in infinitum, & continet vel detinet ipsam in ratione charitatis finitæ.

LIII. Unde in textu hujus quæstionis, post verba ex ejus num. 1. & 2. relata suprà, numero 21. quæ sunt mera præsuppositio ad decisionem quæstionis, num. 3. scribit, *quòd charitas possit augeri usque ad finem determinatum in hac vita, secundùm quòd anima est capax ad recipiendum charitatem à Sancto Spiritu, ut suprà significatum est* (videlicet quæst. 16. & 17. in quibus resolvit, charitatem esse donum creatum & datum à Sancto Spiritu) *verumtamen quoad Sanctum Spiritum semper potest augeri, sed non quoad subjectum, sicut, & multò magis, ignis potest multiplicare flammam, habendo sufficientiam lignorum, sed deficiente materia deficit ignis. Augmentationem verò charitatis dicimus, quæ consistit per agere, ut suprà in decima septima quæstione dictum est.* Ex his verbis constat, terminum determinatum, quem in

hac vita supponit in charitate, esse illum, qui non permittit illam reddi infinitam, quamvis illam in infinitum possit ex se augere Spiritus Sanctus; atque ita quoad subjectum deficit augmentum infinitum, id est, quoad ipsam charitatem, quæ requirit terminum determinatum, ut finita remaneat; & quoad animam recipientem, quæ tantùm habet capacitatem finitam.

LIV. Clariùs hoc exprimitur in objectionis solutione, nam num. 4. sic objicit Eremita: « Charitas infusa in animam est donum, & » effectus Sancti Spiritûs datus per gratiam cui ipsi placet; & quia » Sanctus Spiritus est infinitus, potest ultra metas voluntatis com- » municare gratiam, & augmentare in infinitum; & sic Sanctus » Spiritus non mensurat charitatem secundùm subjectum, sed se- » cundùm suam infinitam amabilitatem, ratione cujus augmentum » charitatis non habet finem; at num. 5. ita respondet Lullus: »
Text. prop. 10. *Nullum ens creatum potest tantum gloriæ* (in manuscripto antiquo meliùs dicitur: *tantum gratiæ.*) *recipere, quantum ens increatum influere; quia, si posset tantum recipere, finitum posset esse infinitum, quod est impossibile; & sic Sanctus Spiritus non limitat gratiam in anima quoad se, sed anima, quæ est finita, limitat ipsam, in quantum non potest plus recipere secundùm suam quantitatem naturalem, & virtutes acquisitas, & gloriam determinatam per justitiam Dei, & per suam providentiam, qui omnia creata sic mensurat & comprehendit cum sua sapientia, sicut omnia, quæ sunt in tempore, mensurat & comprehendit cum sua æternitate: Unde, cum hoc ita sit, tua ratio non valet.*

LV. Profectò totus discursus hujus textûs tendit ad ostendendum, juxtà titulum quæstionis, quòd augmentum charitatis habet finem, seu quòd charitas in infinitum non potest augeri; atque ita tota limitatio, quam adscribit charitati, est, ne excrescat in infinitum, licèt Deus quoad se possit illam pro sua infinita potestate, in infinitum augere; & propterea dicit in verbis relatis, ex quibus laudatus Censor extraxit notatam propositionem, quòd Sanctus Spiritus quoad se non limitat gratiam charitatis, sed anima, quæ est finita, limitat ipsam, quoad finitudinem scilicet, & ne excrescat in infinitum, in quantum non potest plus recipere secundùm suam quantitatem naturalem; cùm enim anima sit finita, sua quantitas naturalis est finita, & sua capacitas recipiendi charitatem est finita, ac proindè non potest anima recipere charitatem infinitam, licèt Deus quoad se possit illi dare; & propterea ratione naturalis capacitatis animæ limitatur

charitas

charitas ad finitudinem, ita quòd non possit prætergredi rationem finitæ, & reddi infinita.

LVI. Quare evidens est, Lullum solùm intendere capacitatem naturalem animæ limitare charitatem in hoc quod sit finita, & non perveniat ad infinitudinem, non autem ipsam limitare quoad gradus intra latitudinem finitæ charitatis, ut innuere videtur laudatus Censor in relata Censura, ita ut naturalis capacitas exigat determinatum gradum augmenti charitatis, hoc autem ita esse constat; *Primò*, quia de tali augmento nullum est verbum in tota quæstione, sed tum in titulo, tum in resolutione, objectione, & ejusdem solutione, agitur de augmento infinito charitatis; *Secundò*, quia hæc quæstio est relativa, uti expressè refertur, ad quæst. 17. in qua agitur de augmento charitatis intra suam latitudinem, & absolutè ibi resolvit Lullus, quòd charitas quoad essentiam non augetur, cùm sit una simplex essentia; augetur autem quoad actus, hoc autem augmentum quoad actus, quod est augmentum intra latitudinem charitatis finitæ, absolutè dicit esse in voluntate absque ulla limitatione ad naturalem capacitatem; *Tertiò*, quia in adducta solutione dicit, quòd sicut, licèt Deus quoad se, possit dare gloriam infinitam, & tamen eam non potest recipere creatura, ita est de charitate: hoc autem solùm tendit ad explicandum finitudinem charitatis, sicut gloriæ; prout etiam illud, quod objicitur de infinita Dei amabilitate; & quòd sicut æternitas Dei comprehendit & mensurat omnia quæ sunt in tempore, ita ut ipsa non possint esse æterna; ita sapientia Dei sic comprehendit & mensurat omnia creata in sua finitudine, ut ipsa non possint esse infinita; atque ita charitas creata non potest in infinitum augeri.



LVII. Prætereà limitatio illa non attribuitur soli quantitati naturali animæ, sed aliis plurimis, nam dicitur: *sed anima quæ est finita, limitat ipsam, in quantum non potest plus recipere secundùm suam quantitatem naturalem, & virtutes acquisitas, & gloriam determinatam per justitiam Dei, & per suam providentiam:* atque ita, licèt capacitas naturalis animæ limitet, suo modo tantùm limitat, id est passivè & ut subjectum recipiens; concurrunt etiam virtutes, quia cùm ipsis augetur etiam, vel non augetur charitas; gloria etiam determinata per justitiam ac providentiam Dei concurrit etiam ad hoc, ut charitas & gratia animæ non excedat in infinitum, sed sit proportionata gloriæ, quæ non est infinita, sed determinata; & ex his omnibus concluditur, quòd augmentum charitatis non potest esse infinitum, sed semper debet manere, quantumcumque augeatur, sub finitudine & limitatione.

LVIII. Hæc sanè est Doctrina Lulli quoad scopum tituli hujus quæstionis de impossibili infinitate in augmento charitatis, pro eo tamen, quòd fortasse videbitur innuere de fine determinato, ad quem de facto augetur charitas intra suam latitudinem, ut videatur, an hoc limitatum augmentum inducat naturalis capacitas animæ, notandum est, ipsum quæst. 16. & 17. adstruere charitatem habitualem, seu habitum charitatis, esse creatum in anima tanquam donum à Deo datum, & ut accidens in subjecto, ita ut hæc charitas habitualis, sit simplex essentia, subjectata, & recepta in anima; charitas autem actualis, seu actus charitatis, est actus voluntatis, quæ est naturalis potentia, inductus & formatus charitate, ita quòd ipsemet actus charitatis est actus utriusque, scilicet voluntatis & habitûs charitatis, quo voluntas est informata; quia ex ipso, quæst. 16. num. 1. *Suprema charitas creavit, & posuit in humana voluntate in potentia habitum charitatis* (id est taliter, ut posset deduci ad actum); modus autem, quo deducitur ad actum *est per voluntatem & per summam charitatem;* quia, nisi sic esset, voluntas non haberet libertatem ad diligendum summam charitatem, *imò esset pura passio mota, sicut instrumemtum, & sine merito;* & etiam, num. 3. respondens ad objectionem, ait, quòd Spiritus Sanctus per seipsum solum creat in voluntate habitum charitatis, & sic *posuit in voluntate naturam, cum qua posset producere, ipso coadjuvante, de potentia in actum, actum charitatis, & illa natura, quæ est ex parte voluntatis, sic est passiva sub summa charitate, ad recipiendum suum vestigium & similitudinem;* atque ita naturalis virtus voluntatis informatæ habitu charitatis cum juvamine & gratiâ Sancti Spiritûs elicit actum charitatis.

LIX. Prætereà notandum est ex ipso, quæst. 17. ubi inquirit: *Utrùm charitas augeatur per additionem novæ charitatis?* Quòd charitas potest quidem augeri, at hoc augmentum non potest esset quoad essentiam habitûs charitatis, ita quod addatur essentia ad essentiam, sed tantùm potest esse quoad actus, id est, possunt augeri actus charitatis, seu actus voluntatis charitate formati; & sicut essentia voluntatis non augetur, sed tantùm ejus actus, ita essentia habitûs charitatis non augetur, sed tantùm ejus actus. Tandem notandum est, quòd in hac quæst. 18. ubi agit de augmento finito vel infinito charitatis, intelligit de prædicto augmento quoad actus charitatis, ut expresè notat num. 3. dicens: *Augmentationem autem charitatis dicimus, quæ consistit per agere* (id est per actus) *ut suprà in decima septima quæstione dictum est:* atque ita eà omnia; quæ in hac q. 18.

explicat de augmento charitatis, non intelliguntur de habitu charitatis, sed de actu ejusdem, qui est actus ab ipsa voluntate elicitus.

LX. Unde, licèt certum sit, quòd habitus charitatis, cùm sit donum à Deo creatum, non pendet à naturali capacitate voluntatis, actus tamen charitatis, cùm sit elicitus, à naturali potentia, licèt aliunde informata charitate, & adjuta à Deo pendet, à naturali potentia; atque ita, prout de facto contingit, verum est quod ait Lullus in Textu relato, num. 49. *quod charitas possit augeri usque ad finem determinatum in hac vita secundùm quod anima est capax ad recipiendum charitatem à Sancto Spiritu;* quia, cùm actus charitatis non pendeat à solo Deo, sed sit actus elicitus ab anima adjuta Deo, & secundùm conatum animæ evadat actus, cùm Deus ipsam non constringat, talem actum charitatis recipit à Deo, qualis est capax anima secundùm suum conatum & influxum, quem præbet sub adjutorio Dei; & licèt Deus quoad se plures & plures actus & majores possit influere, quia tamen voluntas debet cooperari, ideo limitatio actuum, seu limitatio augmenti charitatis, provenit ab anima, quæ sic limitat gratiam & charitatem quoad actus, *in quantum non potest plus recipere* (ut ait ibi, num. 5.) *secundùm suam quantitatem naturalem*, quæ ulteriùs & ardentiùs non conatur, & virtutes acquisitas, &c.

LXI. Similiter ac Lullus discurrit D. Bonaventura in 1. dist. 17. art. 2. quæst. 4. in responsione dicens: *Sic dicendum est, quod charitas stat à parte virtutis agentis. . . . si naturaliter, tunc stat, quando non potest ampliùs, & hoc modo stat charitatis augmentum, cùm deventum est ad mensuram, quam mensus est Deus homini secundùm distributionem suæ sapientiæ, & ideo licèt virtus augmentans sit infinita, tamen operatur secundùm dispositionem sapientiæ limitantis effectus varios secundùm quòd placet sibi.* Idem in 2. dist. 9. quæst. 3. *utrùm secundùm majorem capacitatem naturalium dentur à Deo majora dona gratuita?* In responsione ait: *Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quòd gratiam dare secundùm majorem capacitatem naturalium potest intelligi tripliciter: aut ita quòd hoc quod est secundum dicat efficaciam causalitatis, & sic secundùm omnes falsum est, quia naturalia non sunt causa gratiæ. Aut ita quòd dicat dispositionem congruitatis, & sic, ubi non est obstaculum, secundùm omnes verum est, quia naturalia bona de congruo disponunt ad gratiam. Aut ita quòd dicat dispositionem necessitatis, & sic secundùm communem opinionem est falsum, & à Doctoribus reprobatum*, secundùm hoc procedit D. Bonavent. resolutio;

& ad primum, ita respondet: *Ad illud ergo quod objicitur in contrarium*, quòd *dedit unicuique secundùm propriam virtutem, dicendum, quòd secundùm dicit ibi solummodò causam disponentem de congruo. Et iterum virtus ibi vocatur conatus cordis, qui non solùm dicit capacitatem, sed etiam actualem præparationem.*

DISSERTATIO VI.

De Propositionibus 11. 12. & 13. notatis ex quæst. 21. 22. 16. 33. & 38. Libri Sententiarum.

§. I.

Juxta Lullum in propositione undecima ex quæst. 21. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt alius, & alius Deus, sicut Martinus & Guillelmus, sunt alius & alius homo, sed tantùm sunt alia & alia individua substantia rationalis naturæ, seu alia & alia Persona.

I. SEQUENTEM Textum loco undecimo notat laudatus Censor, ex quæst. 21. Lib. Sentent. videlicet: *Prætereà unus, duo, tres, in divinis dicunt rem absolutam, sicut Guillelmus, qui absolutè est unus homo, & Martinus alius; & oportet quòd hæc alietas remaneat simpliciter inter Guillelmum Patrem, & Martinum Filium, cùm Guillelmus sit unus individuus, & Martinus alius, & unus sit unus homo, & alius, alius homo; sed in Beatissima Trinitate non est sic simpliciter, sed secundùm quid, sicut Pater, qui absolutè est unum individuum, Filius aliud, & Spiritus aliud.* quæst. 21. Sent. num. 2.

II. Quamvis non inveniam huic Textui annexam Censuram, pronum est ideo notari, quasi Lullus videatur asserere, quòd, sicut Guillelmus est unus homo, & Martinus alius homo, sic Pater est unus Deus, Filius alius Deus, cùm dicatur Pate resse *absolutè unum individuum, Filius aliud, & Spiritus aliud*; at quàm immeritò hoc de Lullo præsumatur, ostenditur ex ipso contextu, qui apertè monstrat talem non esse Lulli sensum. In notata quæst. 21. inquirit Lullus: *Utrùm isti termini*, unus, duo, tres, *in divinis dicant rem relativam, vel absolutam?* Hæc autem quæstio refertur ad quæst. 20. in qua quæritur: *Utrùm in Deo sit numerus?* Quam resolvit Lullus af-

firmativè, quia in Deo sunt tres Personæ distinctæ, & sic in Deo numeratur una Persona, duæ Personæ, & tres Personæ; advertit tamen, num. 3. *quòd inter numerum, qui est in Deo, & inter numerum, qui est in creaturis, est magna differentia; quam præter alia sic explicat* eodem num. 3. dicens: *Item in humana specie sunt plures homines, quàm tres, & differunt per essentiam* (individualem) *& naturam, per ubi, per tempus, & sic de aliis; & sic de cæteris entibus creatis numeratis; sed de numero Dei non est sic, quia Pater, Filius, & Sanctus Spiritus faciunt numerum, qui cum ipso numero, qui est Deus, convertuntur* (id est sunt idem ac Deus, qui est unus numero Deus); *& Pater est Deus, & Filius est Deus, & Sanctus Spiritus est Deus, & sic Deus quoad Personas est tres, & quoad essentiam & naturam est unus Deus, & non plures, & hoc est, quia Personæ non multiplicant* (non componunt) *tertium, sicut Pater, qui est Deus, & sic de Filio, & Sancto Spiritu; & ratio est, quia non differunt in essentia nec in natura, nec in attributis.*

III. In relatis verbis sensus Lulli est, quòd numerus, qui est in Deo, quo numerantur: *unus, duo, tres*, tantùm est quoad Personas, quatenus numeratur una Persona, duæ Personæ, tres Personæ; non autem est quoad essentiam & naturam, quatenus non numeratur unus Deus, duo Dii, tres Dii, quia tres Personæ, sicut sunt una essentia & natura, ita sunt unus Deus; & hoc est ad differentiam numeri creati V. G. in genere humano, in quo, nedum numerantur tres Personæ, sed etiam tres homines, quia in Personis humanis est distincta individualis essentia & natura. Hoc posito, ad solutionem prædictæ quæst. 21. *Utrùm unus, duo, tres, in divinis dicant rem relativam vel absolutam?* Sic num. 1. discurrit Lullus: « Eremita, utrumque potest dici, sed diversimodè, ut in præ» dicta quæstione (scilicet q. 20.) significatum est. Relativè sic: » unus Pater, unus Filius, unus Sanctus Spiritus, cùm unus non » possit esse sine alio; convenit etiam quòd dicant rem relativam, » ut in ipsis possit esse distinctio, concordantia, principium, & æqua» litas, quæ non possunt esse sine relatione.

IV. Ex hoc discursu apparet, quòd sensus hujus quæstionis est, án illud, quod numeratur per istos terminos: *unus, duo, tres*, secundùm suum esse, sit res relativa tantùm, vel absoluta tantùm, vel utrumque; & quia resolvit Lullus, id, quod numeratur, esse utrumque, ex hoc quòd Personæ divinæ sint id quod numeratur per dictos terminos, ut ostenditur q. 20. in verbis ex ipsa adductis, mani-

festatur Personas divinas esse rem relativam; num. autem 2. ostendit eas esse rem absolutam per hæc verba: *Prætereà unus, duo, tres, in divinis dicunt rem absolutam, sicut Guillelmus, qui absolutè est unus homo & Martinus alius, & convenit quod hæc alietas remaneat simpliciter inter Guillelmum, qui est Pater, & Martinum suum Filium, cùm Guillelmus sit unus individuus, & Martinus alius, & unus sit unus homo, & alius, alius homo; sed in Beatissima Dei Trinitate non est sic simpliciter, sed secundùm quid, sicut Pater, qui absolutè est unum individuum* (hoc est res individua, vel substantia individua rationalis naturæ) *Filius aliud, & Sanctus Spiritus aliud, sed absolutè Pater non est unus Deus, nec Filius alius, & sic de Sancto Spiritu, sed absolutè omnes tres sunt unus Deus, una essentia, una natura, una Bonitas, una Magnitudo, &c. & quòd hoc sit verum, est significatum in prædictis quæstionibus.*

Textus prop. 11.

V. Sanè ex ultimis verbis hujus Textûs, quæ reticuit laudatus Censor in Textu relato, num. 1. & ad quæ videtur non intendisse animum, sustollitur tota difficultas, quæ, ipsis omissis, apparebat, quamvis hoc idem quodammodo innuatur per illa verba: *sed in Beatissima Trinitate non est sic simpliciter, sed secundùm quid*; & ut clariùs videatur, animadvertendum est sensum relati Textûs in exemplo, quod adducit esse, quòd, sicut Martinus & Guillelmus, qui numerantur per *unus*, & *duo*, unusquisque dicitur homo, & Guillelmus est unus individuus, & Martinus est alius individuus, quomodo uterque est res absoluta: ita Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui numerantur per *unus*, *duo*, *tres*, unusquisque est Deus, & Pater est unum individuum, id est rationalis naturæ individua substantia, seu res individua; Filius aliud individuum, id est alia res individua, & similiter Sanctus Spiritus: quo modo sunt res absoluta, & sic Personæ, quæ numerantur, sunt *diversimodè*, ut notat in principio quæstionis, res absoluta, & res relativa; at in exemplo adducto, ut explicat ipse Lullus, est magna differentia inter Guillelmum & Martinum, ac Patrem, Filium, & Sanctum Spiritum quoad numerari, quia Guillelmus est unus homo, & Martinus est alius homo; Pater autem non est unus Deus, & Filius alius, & Sanctus Spiritus alius, quia *absolutè omnes tres sunt unus Deus, una essentia, & una natura*: atque ita comparatio in exemplo proposito non tenet *simpliciter*, sed *secundùm quid*, prout explicatum manet.

VI. Nec debet scrupulum ingerere, Lullum dicere in adducto textu, quòd Pater *absolutè est unum individuum, Filius aliud, &*

Sanctus Spiritus aliud, quia ly *individuum* non sumitur pro termino secundæ intentionis, illo videlicet, quod subjacet speciei, sed eo modo, quo correspondet Personæ, quæ dicitur individua substantia, vel res individua, vel sumpto grammaticaliter ly *individuum* pro re in se indivisa & distincta ab alia. Hæc intelligentia patet ex contextu, ubi bis repetitur, quòd hæc quæst. 21. intelligitur juxta quæst. 20. ubi apertè dicitur quòd isti numeri intelliguntur de Personis, *sicut in Deo sunt*, ut ait num. 1. una *Persona*, *duæ Personæ*, *& tres Personæ*; & in decursu quæstionis probat, quòd quia in Deo sunt distinctæ Personæ, numerantur in ipso *unus*, *duo*, *tres*; & ibi, ut retulimus num. 2. ponit illam differentiam inter Personas humanas, quæ numerantur, & Personas divinas, quòd Personæ humanæ, quæ numerantur per *unus*, *duo*, *tres*, nedum sunt una, duæ, tres, Personæ, sed etiam unus, duo, tres homines; in Deo autem non est sic, quia, licèt sint duæ, & tres Personæ, non tamen sunt duo, nec tres Dii, quia sunt eadem essentia & natura. Prætereà, q. 105. num. 1. ait: *Christus secundùm quod est Deus*, *est individuum*, & sic expresè sumit individuum in Deo pro eodem ac Persona.

VII. Demum ferè omnes Scholastici, agendo de Persona in Deo, & applicando definitionem Personæ à Boëtio traditam, nempe *rationalis naturæ individua substantia*, quamlibet divinam Personam, ut individuum agnoscunt in sensu Boëtii: unde Castilla, in Speculo Theolog. Baconicæ, tom. 3. tract. 10. de Trinit. quæst. 19. num. 516. explicans datam definitionem, ait: *per ly* individua *non intelligitur individuum intentionale & logicum*, *nec individuum existentiæ in actu*, *qualis est substantia essentialiter completa in esse naturæ*, *ut est ea*, *quam verbum assumpsit*, *sed individuum subsistentiæ in actu ultimo*, *& in omni ratione substantiæ completum*, *hoc est ulteriùs incommunicabile*: Hoc modo D. Bonaventura in 1. sent. dist. 25. art. 1. quæst. 2. tractans de eadem definitione in Deo, num. 18. ait: *Ad illud*, quod objicitur: *substantia individua*, *dicitur in recto*, *dicendum*, *quòd numeratur sicut Persona*; *quia*, *sicut dicit Anselmus*, *plures substantiæ sunt individuæ*, *sicut plures Personæ*; & ibidem, num. 16. agnoscit individuationem in Deo quoad personas, dicens: *sed individuatio vel distinctio est in Deo per solam originem*, *& quia Persona oritur se ipsa*, *&c.* Anselmus etiam in monolog. cap. 78. approbans posse dici in Deo tres Personas, sivè substantias, dicit; *quia Persona non dicitur nisi de individua rationali natura*, *& substantia principaliter dicitur de individuis*, *quæ maximè in pluralitate subsistunt*. D. Thomas quoque, part.

1. quæst. 30. art. 3. ad 3. ait : *individuum verò Deo competere non potest, quantùm ad hoc quòd individuationis principium est materia; sed solùm secundùm quod importat commutabilitatem* (fortè *incommunicabilitatem.*)

VIII. Porrò, quòd hanc quæstionem, ut præmonuimus, exagitet Lullus eo sensu, videlicet an illud, quod numeratur in Deo, quoad se sit absolutum, vel relativum, vel utrumque; non verò, an numerus sit quoad rem absolutam, patet ex decursu textûs, quem exposuimus, ubi ex eo probat dictum numerum dicere rem relativam, quia Personæ, quæ solæ numerantur, sunt quid relativum; & ideò dicere rem absolutam, quia unaquæque Persona est Deus: unde, quia negat numerari Deum, essentiam, naturam, &c. Dei, non intelligit esse absolutum Dei numerari, sed tantùm Personas, quæ simul sunt quid absolutum & relativum. Hoc ampliùs patet ex solutione objectionis, quæ num. 3. prætendit repugnare, quòd *unum absolutum sit unum non absolutum, seu relativum; & quia in Deo est una absoluta essentia, natura, &c. sequitur quòd in Deo non sit aliquid unum, quod non sit absolutum* : cui, num. 4. respondet, quòd est differentia inter modum, qui est in creaturis, ac in Deo, sicut *Martinus & Guillelmus, qui non possunt esse unus homo, una essentia, bonitas, &c.* In Deo autem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui numerantur, sunt unus Deus, una essentia & natura; & sic qui numerantur sunt res relativa & absoluta; numerus autem non cadit in absolutum, quia non sunt duo, nec tres Dii, sed unus Deus, sicut cadit in absolutum Martini & Guillelmi, qui non sunt unus homo, sed duo homines.

§. II.

Quoad Prop. 12. ex quæst. 22. Pater productivè seu activè constituit & distinguit Filium, generando ipsum; & Pater & Filius activè constituunt & distingunt Sanctum Spiritum, spirando ipsum; non formaliter & intrinsecè.

IX. Ecce textum, qui adducitur ad hanc 12. Propositionem:
» *Pater constituendo Filium determinatum, distinguit Filium à seipso:*
» *Pater & Filius constituunt Spiritum Sanctum, & à seipsis ipsum distingunt.* Quæst 22. sent. num. 1.


X. Lullus in notata quæst. 22. inquirit: *Utrùm eadem proprietas sit*

ſit diſtinctiva, & conſtitutiva divinarum Perſonarum? Hoc autem pertractat valde diverſo ſenſu à communi ſchola, in qua agitur de formali conſtitutivo, ac diſtinctivo; Lullus verò agit de conſtitutivo & diſtinctivo activè ſeu productivè, videlicet an eadem proprietas ſit activè & productivè diſtinctiva, & conſtitutiva Perſonarum, ut patet ex textu, ubi dicit, *Quòd eadem proprietas ſit diſtinctiva, & conſtitutiva divinarum Perſonarum, ſed diverſimodè ſecundùm quòd requiritur, quòd ſit diſtinctio inter generationem, & ſpirationem; ſicut proprietas diſtinctiva & conſtitutiva, quæ ſunt eædem cum divina Paternitate, quæ ſimpliciter eſt una proprietas perſonalis*, & eſt *diſtinctiva in quantum Pater à ſe diſtinguit Filium, & eſt conſtitutiva, in quantum Paternitas conſtituit Patrem generando Filium, ut ſit Filius, ita quod Filius non ſit Pater, nec Sanctus Spiritus: & ſic Pater conſtituendo* (id eſt, producendo Filium conſtitutum) *Filium determinatum, diſtinguit* (productivè) *Filium à ſeipſo, & à Sancto Spiritu; & Pater & Filius conſtituunt* (producunt in ſuo eſſe) *Sanctum Spiritum, & diſtingunt* (productivè) *illum à ſe ipſis; & ſunt una & eadem proprietas diſtinctiva & conſtitutiva* (activè ſcilicet ſpiratio activa) *ſpirando Sanctum Spiritum; & talis proprietas diſtinctiva & conſtitutiva differt ſecundùm quid ab illa quæ eſt in generatione, cùm iſta ſit ſingularis Patri, & illa communis Patri & Filio.* Text. prop. 12.

XI. Sanè ex toto hoc contextu apertum eſt, Lullum agere de proprietate conſtitutiva, & diſtinctiva, non in ſenſu formali, quo communiter intelligitur in ſchola, ſed in alio ſenſu, videlicet activè, & productivè, & ſolùm innuit conſtitutionem formalem, dum dicit de paternitate: *& eſt conſtitutiva, in quantum Paternitas conſtituit Patrem generando Filium*: quo indicat Filium & Spiritum Sanctum ſimili modo conſtitui; at ex præcipuo textûs ſcopo clarum eſt, ibi agi de conſtitutivo, & diſtinctivo productivè: atque ita apertè, patet, quòd dum dicit: *Pater conſtituendo Filium determinatum*, idem eſt ac dicere, Pater producendo Filium determinatum in ſuo eſſe conſtitutum. Dum etiam ait: *diſtinguit Filium à ſe ipſo & à Sancto Spiritu*, idem eſt ac *producit diſtinctum*. Et eodem modo intelligitur, dum dicit, Patrem & Filium conſtituere Sanctum Spiritum, videlicet quòd producunt ipſum in ſuo eſſe conſtitutum, & à ſe-ipſis diſtinctum: unde inſpecto toto textu, nullum eſt erroris periculum. Planè non eſt alienum ſumere iſta verba: *conſtituere & diſtinguere* activè, & non purè formaliter, prout in ſchola; nam in ſcriptura ſacra activè ſumitur, Gen. 17. 5. ubi dicit Deus ad Abraham: *Patrem*

multarum gentium constitui te. Psalm. 2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montem Sanctum ejus*. Psalm. 8. 7. de homine dicitur : *Constituisti eum super opera manuum tuarum*. Hæbr. 1. 2. *Novissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit, & sæcula*; & Ecclesiast. 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui*. Etiam D. Athanas. Orat. 4. contra Arianos pag. *mihi* 227. ait : *Quoniam autem Filius est imago Patris, necessarium est cogites Deitatem & proprietatem Patris ipsam essentiam, Filii constituere. Et hoc est, quod ait : qui cùm in forma Dei esset, nec non & illud : Pater in me. Non autem ex parte aliqua forma Deitatis conficitur, sed ex integra Deitate Patris essentia Filii consurgit, & solidus Deus.*

XII. Distinguere etiam apud scholasticos non tantùm formaliter, sed etiam activè sumitur in Deo ; ut sufficienter exprimit D. Bonaventura in 1. Sent. dist. 14. art. 1. quæst. 1. in responsione, ubi, ut explicet qualiter Personæ sint distinctæ, manente naturâ indistinctâ, hæc scribit : « Notandum, sicut vult Richardus, quòd est distinctio » per qualitatem, & distinctio per originem. Distinctio per qualita- » tem est in creaturis . . . . . . distinctio per originem, est, cùm unus » producit, & alter producitur. Et quemadmodum distinctio per » qualitatem vera distinctio est, & secundùm rem, ita distinctio per » veram originem vera est distinctio ; sicut enim unus non potest si- » mul esse albus & niger ; ita non potest unus & idem producere » se ipsum ; quoniam ergo in divinis intelligitur esse vera origo, » ideò intelligitur ibi esse vera distinctio . . . . . . ergo, cùm ibi est » vera origo, ibi sit vera distinctio. » Clarius loquitur ipse S. Doctor ibidem dist. 9. quæst. 2. *Utrùm generatio in divinis sit Personarum distinctiva?* Quam resolvit affirmativè, & certè ibi & in toto discursu ly *distinctiva* sumitur activè, non formaliter. Similiter utitur dicto verbo *activè* subtilis Scotus in 1. dist. 7. quæst. unica, num 12. §. *Hoc etiam arguitur*, ubi scribit : *Ergo ad propositum, cùm generatio sit assimilativa, quatenus eadem natura communicatur ; distinctiva, quatenus est geniti distincti à generante distincto, &c.*



§. III.

Per agere Deum mediatè, solùm docet Lullus in Prop. 13. ex quæst. 16. 33. & 38. Deum agere cum creatura, movendo & juvando ipsam; non autem Deum immediatè non attingere effectus creaturarum.

XIII. Ad decimam tertiam notatam propositionem hos textus adducit & Censuram subnectit laudatus Censor. « *Deus in creaturis agit duobus » modis, scilicet immediatè & mediatè. Immediatè, quando creat creaturam » sine instrumento & aliquo juvamine extraneo, &c. Agit in creaturis mediatè, sicut in igne cum sole multiplicans calorem ignis in calefacto; & hoc, » quod Deus agit, est coadjuvamen soli, igni, & calefacto; & hoc, quod » sol facit in igne, & ignis in calefacto, est natura, sive actus naturalis, & sic de aliis rebus naturalibus, quæ ita indigent adjutorio Dei » in agendo, sicut in gubernando.* Quæst. 33. Sent. in principio. »

» Item: *Deus agit in rebus creatis duobus modis: immediatè, quando » creaturam producit de non esse ad esse; mediatè, quando cum una creatura conservat aliam, sicut Deus, qui cum motu Cœli, qui est creatura, » conservat motum elementorum, & elementatorum, qui etiam est creatura.* Quæst. 38. Sent. in principio, & quæst. 16. num. 3.

» Censura: *videtur significare, Deum non agere immediatè in omnes » effectus, nisi tantùm in creatione rerum, sed in aliis effectis mediatè » tantùm, quatenus dedit virtutem causis secundis, easque gubernat, ut » colligitur ex quæst. 44. in responsione ad Eremitam, ubi sic ait:* Sol » agit in hortum mediatè, dando suam similitudinem & virtutem » veneri, & venus illam dat mercurio, & mercurius lunæ, & luna » elementis, & ipsam dimittunt usque ad hortum successivè. *Ad » hunc igitur modum videtur sentire, quòd Deus agit mediatè in omnibus, præter in creatione rerum.* »

XIV. Profectò, dum hanc Censuram reflecto, nescio quo Spiritu ductus eam laudatus Censor protulerit, cùm adeò expressè declaret Lullus quomodo accipiantur ly *immediatè & mediatè*, videlicet, Deum dici immediatè agere, quando solus & absque concursu creaturæ agit; mediatè verò, quando cum creatura agit, & utitur ejus ministerio, & concursu, quin tamen hæc mediatio excludat immediatum influxum Dei, tum in actionem creaturæ, tum in ejus effectum; quinimmò ipsimet textus producti supponunt & adstruunt hunc immediatum Dei influxum. Hunc quoque immediatum Dei influxum

in hoc eodem libro sæpè exponit Lullus, ut quæst. 2. num. 3. ubi ait: *Præterea Deus est subjectum Theologiæ, quoad determinatum finem, in hoc quod est finis omnium creaturarum, quas creavit ad se:* quæst. 10. num. 3. ait, *quòd ignis, qui est creatus à Deo, est causa secundaria combustionis, vel calefactionis, & prima causa cum secunda naturaliter comburit lignum;* quæst. 15. num. 1. supponit, Deum producere lapidem, plantam, hominem, &c. dicens: *unde sequeretur, quòd Deus cum bona & magna potestate magis propriè se haberet ad producendum partem, quàm totum, & lapidem, quàm plantam; & plantam, quàm Asinum;* & *Asinum, quàm hominem.* Quæst. 22. exponit universalem Dei causalitatem num. 7. Dicens: *Quidquid Deus agit, agit secundùm sua attributa, & secundùm quod partes mundi sunt capaces & dispositæ, quòd attributa Dei in ipsis agant, sicut totum universum est dispositum, quòd à divina sapientia intelligitur;* & posteà ait quòd homo moraliter bonus bonificatur à divina bonitate; & infra dicit, quod Deus magnificat montes, arbores, equos, & homines.

XV. Præterea hanc universalem Dei causalitatem, dum agit cum creaturis, exponit ipse q. 51. *Utrùm Angelus per solam potentiam intellectivam, & volitivam moveat corpus?* Ubi præmissis num. 1. variis habitudinibus creaturarum in quodam triangulo consideratarum, transit tandem *ad triangulum de Deo, Angelo, & corpore, & subnectit hæc verba: Dum sic considerabat* (Raymundus) *ipsos triangulos dixit, quòd Deus moveat Angelum, ut Angelus moveat seipsum ad bonum, magnum, &c. recolere, intelligere, & amare; & propositis aliis, quæ Deus movet, unum videlicet cum alio*, sic num. 2. scribit: *Dum Raymundus sic consideravit, quòd Deus sit primus motor movens unum immediatè, & mediatè unum cum alio, ut dictum est, dixit quòd Deus moveat Angelum, ut Angelus moveat corpus, ut Deus moveat corpus cum Angelo, aliàs Deus non comprehenderet omnes modos movendi, quod est impossibile, cùm Deus sit supremus motor, & perfectus in omnibus motibus: ergo Deus movet corpus cum Angelo, unde sequitur quòd Angelus movet corpus cum Deo;* & concludit quòd *Angelus non tantùm movet corpus cum potentia intellectiva, & volitiva, sed movet ipsum cum Deo.* Similiter respondens ad objectionem, quæ supponens, quòd potentiæ Angeli *sint motæ à Deo in movendo corpus*, prætendit quòd *potentia intellectiva, & volitiva tantùm moveant corpus, quia per se sufficiunt ad essendum principales motui corporis, cùm natura non requirat vacuum nec superfluitatem secundùm primam ordinationem, quæ est inter primam causam & effectum:* Respondens inquam,

ad hoc num. 5. ait: *Non est comparatio inter motorem, qui movet immediatè, & motorem, qui movet mediatè, qui motus est ab alio; & quia Deus movet immediatè, est magis principalis motor in movendo corpus, quàm Angelus, cùm Deus immediatè moveat Angelum, & mediatè corpus, ut cum Angelo moveat corpus: unde sequitur quòd Angelus principaliùs moveat per Deum, quàm per semetipsum, vel quàm per suas partes, cùm simpliciter sit motus à Deo.*

XVI. Deinde quæst. 58. num. 2. dicit: *Inter Deum & creaturam est differentia. . . . & participant sicut causa & effectus, & illa participatio est perfecta, cùm Deus sit causa perfecta, per quam sequitur perfectum creatum.* Quæst. 94. docet, Deum existere in omnibus creaturis *præsentialiter, potentialiter, & essentialiter.* Quæst. 136. ait, quòd omnia corpora *ad suum servitium* (Christi) *sint creata.* Ipse in Lib. Principiorum Philos. dist. 1. quæ est de prima causa nempè Deo, declarat ejus universalem causalitatem; & omissis aliis, quibus in toto libro exponit ejus universalem influxum ad omnia, ibi tit. *de conditionibus*, §. *Secunda conditio* ait, primam causam *esse omnium perfectionem & finem, & quòd omnia veniunt ad perfectionem & finem, ad quem veniunt, per influentiam & perfectionem ipsius primæ causæ.* Solùm ex lib. quæstionum per Art. demonstrat. solub. omissis aliis, videri potest quæst. 167. *Quomodo Deus moveat omnia?* Ubi, præter alia, num. 1. dicit: *Deus igitur est immobilis, & ipse est motor omnium finitorum & principiatorum;* & num. 2. *Et ita modus motûs, per quem Deus movet omnia, consistit in hoc, quòd divinæ dignitates* (bonitas, sapientia, voluntas, potestas) *attingunt de motu eorum;* & num. 3. *Ita & multò meliùs divina potestas facit, quòd omnes creaturæ sint passivæ,* & sint passivæ *potentiæ, tanquam materia sub imperio divinæ voluntatis, sivè naturaliter, sive supernaturaliter;* & num. 4. *modus, per quem Deus movet hominem de bono in bonum, est per meritum & gratiam; & modus, per quem movet hominem de malo in bonum, est per gratiam.* Etiam in lib. de *Asc. & Desc. Intell.* dist. 9. *de Deo*, tit. *de Actu Dei*, num. 1. ait de actibus Dei, *quòd sunt causa actuum creaturarum, sicut bonificare divinum quod causat bonificare creatum. . . . & intelligere increatum, intelligere creatum, & velle increatum, velle creatum, &c.* lib. de *efficiente & effectu* per totum probat contra quemdam Averroïstam, quòd *Deus est efficiens, & totum universum est effectus ejus;* & in decursu nedum probat, quòd Cœlum est effectus Dei, sed etiam ejus motus, homo, imaginativa, sensitiva, &c. Tandem in lib. *de Articulis Parisiis damnatis* impugnat plures Averroïstas

prætendentes, Deum non causare effectus inferiores: quorum error ipsi in hac censura imputatur.

XVII. At quid egemus aliis Doctrinis, cùm ipsimet Textus adducti, & eorum contextus ostendant manifestam laudati Censoris æquivocationem; nam in notata quæst. 33. ubi quæritur: *Utrùm prædestinatus de necessitate salvetur?* Ad *ejus solutionem præmittit Lullus, quòd Deus duobus modis agat in creaturis scilicet immediatè, & mediatè: immediatè quando creat creaturam sine instrumento, & sine aliquo alio juvamine extraneo, creans hoc, quod vult creare, secundùm ideam in qua habet hoc, quod creat ab æterno, ut in vigesima octava quæstione dictum est; quod esse creatum differt ab idea, in quantum est productum & creatum ex nihilo. Mediatè agit Deus in creaturis, sicut in igne multiplicans cum sole calorem ignis in calefacto, & hoc quod Deus agit, est juvamen soli, igni, & calefacto, & hoc quod sol facit in igne, & ignis in calefacto, est natura, vel actus naturalis, & sic de aliis rebus naturalibus, quæ ita indigent adjutorio Dei in agendo, sicut in gubernando.* Apertè hìc declaratur quòd Deum agere *mediatè*, est Deum agere cum creatura, ita tamen ut Deus agat concursu simultaneo, qui clariùs non potest exprimi, quàm cùm dicit, quòd hoc, *quod Deus agit est juvamen soli, igni, & calefacto*; qui enim juvat, simultaneè concurrit; & cum *calefactum* sit effectus solis & ignis, agit illud Deus cum suo juvamine concurrendo cùm sole & igne; imò in hoc Textu ponitur generalis Doctrina, quòd omnes res naturales *indigent adjutorio Dei in agendo*; hoc autem Dei adjutorium quid aliud esse potest, quàm concursus simultaneus? Itaque sol, & ignis calefaciendo calefactum, per naturam, vel naturaliter, agunt; Deus autem, ipsos coadjuvando, liberè, & artificialiter agit.

Text. prop. 13.

XVIII. Præterea ex solutione quæstionis, ad quam præsupponitur relata Doctrina, apparet quàm immeritò dicto textui affigatur præfata Censura; nam ibi dicitur de homine prædestinato, quòd *sit prædestinatus secundùm modum, per quem Deus agit in creatis* mediatè, *videlicet Deus prædestinavit Beatum Petrum sic cum bonis quæ fecit, & ratione meritorum illorum bonorum, sicut calefacit calefactum cum sole, & igne*: Unde, sicut gloria, ad quam est prædestinatio, immediatè est ab influxu Dei, licèt cum meritis prædestinet, & ita etiam ut merita, cum quibus prædestinat, fiunt à Deo juvante: ita calefactum est immediatè calefactum à Deo, licèt Deus cum sole, & igne calefaciat. Quare ad intelligentiam hujus Textûs & aliorum, quos opponit laudatus Censor, notandum est, quòd agere *immediatè* & *mediatè*

dupliciter accipi potest: *Primò*, ex parte causæ, ita ut illa immediatè agat, quæ sola, & sine medio ac concursu alterius agit, ut Deus dum creat, & facit miracula, & alia quæcumque causa, quæ sola producat; *mediatè* verò agit illa causa, quæ concursum alterius admittit. *Secundò*, ex parte virtutis seu influxûs accipi potest agere immediatè, & mediatè; & tunc causa *immediatè* agit quando sua virtus seu influxus attingit effectum ipsum, & ponit illum in esse, sivè agat sola, sivè cum concursu alterius; *mediatè* verò, quandò ejus virtus & influxus non attingit effectum, sed agit circa aliud, quod ex propria virtute effectum ponit; & sic Angelus movens orbem mediatè agit in sublunaria: & aqua movens rotam, quæ movet molam, mediatè molit triticum; Lullus verò tantùm in primo sensu ait, Deum agere *immediatè*, creando, vel alia solus faciendo; & *mediatè*, dum concursum admittit creaturæ.

XIX. Ampliùs hoc ostenditur ex alio textu, quem citat laudatus Censor ex quæst. 38. ubi inquirit Lullus: *Utrum creatio & conservatio sint idem*? Nam ibi num. 1. sic scribit: *Deus agit in creaturis duobus modis, immediatè, & mediatè, ut in 33. quæstione diximus: immediatè, quando producit creaturam de non esse in esse; mediatè, quando cum una creatura conservat aliam; sicut Deus, qui cum motu Cœli, qui est creatura, conservat motum elementorum, & elementatorum, quæ etiam sunt creaturæ, & sic de similibus: unde secundùm diversos respectus unum est creatio, & aliud conservatio, sicut creatio Cœli & conservatio Cœli: creatio Cœli est creatura, cùm Cœlum de non esse sit productum in esse; & conservatio est alia creatura, cùm qua Deus conservat & gubernat Cœlum; & quia creatio ita est per creare creaturam, quæ conservat aliam creaturam, sicut est per creare illam creaturam, conservatam: ergo sequitur, quòd creatio & conservatio sint idem.* Ecce hìc dicit Lullus, quòd, quamvis Deus cum unâ creaturâ conservet aliam, *creat tamen creaturam conservatam, illamque conservat*, quia creatio, & conservatio sunt idem: ac proindè, quòd Deus agat mediatè in creaturis, non infert ipsum immediatè per suum influxum non attingere creaturam, in quam agit cum alia. Alius Text. prop. 13.

XX. Similiter quæst. 16. quam citat laudatus Censor, ubi quærit Lullus: *Utrùm charitas sit aliquid creatum in anima?* Postquam ostendit, quòd charitas est habitus creatus in anima, & pòsitus in ipsa potentia, ita quòd reducatur *ad actum per voluntatem, & per summam charitatem;* objicit Eremita, quòd, si ita esset, voluntas eliciendo, actum charitatis esset causa suæ charitatis, & non Sanctus

Spiritus; & respondet ad hoc Lullus num. 3. dicens: *Deus duobus modis agit in creatis, immediatè scilicet & mediatè: immediatè in creando, cùm Deus sine instrumento & medio producat creaturam de non esse in esse: unde secundùm talem modum producendi Deus creat habitum charitatis in potentia, sicut habitum caliditatis in igne simplici (quem, creando ignem, produxit); mediatè, sicut Deus posuit in natura ignis, quòd per se naturaliter calefaceret in subjecto, in quo calefactibile sit dispositum; sic à simili Sanctus Spiritus posuit in voluntate naturam, cum qua posset producere, ipso coadjuvante, de potentia in actum, actum charitatis, & illa natura, quæ est ex parte voluntatis sic est passiva sub summa charitate ad recipiendum suum vestigium & similitudinem, sicut cera sub sigillo, ad recipiendum vestigium & similitudinem sigilli: Unde, sicut sigillum addit in cera vestigium litterarum, quod non erat in actu, in deducendo ipsum de potentia ad actum, sic & multò magis Sanctus Spiritus addit in voluntate actum charitatis, quem actum non habebat, dum erat in potentia; quem actum convenit esse aliquod ens creatum in anima, cum nulla additio possit esse, nisi sit additum aliquod ens creatum.*

Alius Textus prop. 13.

XXI. Ecce iterum in hoc textu, ad quem provocat laudatus Censor, tractat Lullus de agere Dei *immediatè*, & *mediatè*, & expressè ait, Deum agere *immediatè*, dum solus creat habitum charitatis in voluntate; agere verò *mediatè*, dum facit voluntatem informatam habitu charitatis elicere actum charitatis, deducendo ipsum de potentia ad actum; expressè autem docet, quòd Deus per suum influxum attingit suum actum charitatis, quia num. 1. tenet, quòd habitus charitatis reducitur *de potentia in actum per voluntatem, & per summam charitatem*; tum quia hoc num. 3. docet, voluntatem producere actum charitatis; *ipso Sancto Spiritu coadjuvante*; quod illa natura, quæ est ex parte voluntatis ad producendum actum, *est passiva sub summa charitate, sicut cera sub sigillo; & quòd sicut sigillum addit in cera vestigium litterarum, sic Sanctus Spiritus addit in voluntate actum charitatis, quem actum non habebat, dum erat in potentia*. Unde, cum nemo ambigere possit, quòd sigillum immediatè imprimat litteras in cera, ita nemo ambigere potest, Spiritum Sanctum, in sensu Lulli, immediatè producere actum charitatis, quem dicit addere voluntati, & esse ens creatum.

XXII. Nec juvat ipsum Censorem doctrina, quam de agere *immediatè* & *mediatè* tradit Lullus quæst. 44. ad quam ipse provocat; nam ibi probat Lullus, Angelum debere esse in illo loco, in quo operatur, ita quod non potest operari, nisi in loco, in quo est, quamvis

quamvis non sit collocatus, nec contineat subjectum: Eremita verò objicit, quòd sicut sol influit in hortum, licèt non sit essentialiter in ipso, & sicut faber facit clavum, licèt non sit in loco clavi, ita Angelus potest agere, licèt non sit in loco, in quo agit. Ad hoc Lullus, num. 3. sic respondet: *Unum agere est illud, quod est sine medio, & aliud est illud, quod est cum medio: illud agere, quod est sine medio, est sicut manus fabri, quae immediatè movet martellum, excludo tamen animam fabri; illud agere, quod est cum medio, est sicut motus clavi, qui est à manu movente martellum: & sic per talem modum respondeo tibi; unde, sicut convenit quòd manus fabri sit in loco, in quo est manica martelli ratione tactûs immediati, sic convenit quod Angelus sit in loco in quo agit, quando immediatè agit in subjecto; sed sicut sol., qui agit in horto mediatè, dando suam similitudinem & virtutem veneri, & venus dat illam mercurio, & mercurius lunae, & luna elementis: quam similitudinem & virtutem elementa recipiunt superiùs in concavitate lunae, & deprimunt ipsam usque ad hortum successivè, sic Angelus potest stare cum voluntate fabri in uno loco & immediatè movere, ut voluntas moveat manum martini & manus martellum, & martellus clavum: & sic per talem modum concedo tibi, quòd Angelus essentialiter per medium possit esse in uno loco, & sua operatio in alio.* Alius Text. prop. 13.

XXIII. Sanè inspecto toto hoc textu, ad quem provocat laudatus Censor, ampliùs miror, ipsum tulisse relatam Censuram, cùm evidens sit valdè diverso sensu sumi hîc terminos *sine medio*, & *cum medio*, ac sumuntur in relatis textibus termini *immediatè* & *mediatè*; nam hîc agitur de mediatione & immediatione locali, & in relatis textibus agitur de mediatione & immediatione causarum, sumptis pro simultate & solitudine earum, nec in hoc textu illud agere cum medio, aut sine medio, vel per umbram Deo attribuitur: unde ineptè doctrina hujus quaestionis producitur ad expiscandum sensum Lulli in aliis relatis quaestionibus, in quibus determinatè agit de Deo, & explicat, quo sensu agat Deus mediatè cum causis secundis, videlicet concurrendo cum ipsis ad earum actiones & effectus, quos per suam productionem immediatè attingit: quinimò haec doctrina devolvitur contra praefatum Censorem, nam, licèt faber mediatè, id est, mediante manu & malleo, faciat clavum, tamen quatenus causa immediatè ipsum facit: similiter Deus, licèt mediantibus causis secundis, agat, tamen est causa immediata effectuum ipsarum. Praeterea, licèt sol per tot media influat in hortum ob suam distantiam, & quoad hoc agat mediatè, tamen in linea causae est causa

immediata, quatenus suam virtutem transmittit, quia licèt dentur aliæ concausæ, tamen per suum influxum attingit effectum ipsum, sicut homo generans hominem, qui, licèt per varia influat media, tamen est immediata causa hominis geniti: si ergo juxta laudatum Censorem sensus Lulli est, quòd Deus influit in effectus creaturarum, sicut sol in effectus elementatos, Deus in sensu Lulli immediatè, immediatione influxûs, attingit effectus creaturarum.

XXIV. Itaque, si sensus Lulli satis clarus non apparet in notatis quæstionibus, facilè intelligi potest ex aliis plurimis supra citatis, & adhuc fortè clariùs ex q. 55. ubi eosdem terminos explicat; nam, positâ resolutione dictæ quæstionis, videlicet quòd Angelus superior illuminat inferiorem; objicit Eremita, quòd si ita esset, beatitudo Angelorum inferiorum non consisteret simpliciter in visione Dei, nec Deus solus sufficeret ad beatificandum ipsum. Ad hoc autem num 4. respondet Lullus: » Eremita in 51. q. (cujus sensum & » verba retulimus num. 15.) dictum est, & etiam in pluribus aliis » quæstionibus, quòd Deus in suo effectu agat mediatè & imme- » diatè; & in quantum agit immediatè, non indiget habere medium » nec instrumentum ad beatificandum Angelos, sed quia nullus An- » gelus potest agere *sine divino adjutorio, nec sine Deo potest habere* » *naturale agere*, unus Angelus agit cùm adjutorio Dei in alio; sci- » licet illuminando & diligendo, & hoc est necesse, ut in partici- » patione unius Angeli cum alio possit esse *divinum agere;* aliàs eo- » rum participatio non esset perfecta in Beatitudine, sed vacua ». Hîc sanè explicatur, Deum agere immediatè in Angelum, beatificando ipsum se solo in visione intuitiva, agere autem mediatè, dum cum Angelo superiori illuminat inferiorem; at hoc ita fit quòd actus Angeli tam superioris quàm inferioris est ab influxu Dei, quia neuter *potest agere sine divino adjutorio, nec sine Deo potest habere naturale agere;* & in hac participatione unius Angeli cum alio est *divinum agere.*

XXV. Similiter q. 75. ut probet quòd luminaria Cœli in suis orbibus moventur propriis motibus, explicat quomodo *prima causa naturaliter movet secundam causam mediante propriâ proprietate, & proprietate appropriatâ;* explicat etiam quomodo Deus per se ipsum producit res de non esse in esse, & facit miracula, & quomodo movet ad opera artificialia: quo posito, manifestat, Deum, mediante proprio & naturali motu solis & aliorum corporum cœlestium, caussare effectus sublunares juxta ordinem, *quem divinæ dignitates habent*

in causis secundariis & in suis effectibus : quo ostenditur dictos effectus esse etiam à Deo immediatè, licèt ab eo sint quoque mediantibus cœlestibus corporibus. Tandem q. 134. ut probet spiritus separatos cruciari igne corporeo, sic num. 1. discurrit : « Deus in hac vita agit „ immediatè, & mediatè, ut in pluribus locis supradictum est : „ quando agit immediatè, agit supra naturam, sicut sunt creare, & „ facere miracula ; quando agit mediatè, agit sicut quando cum sole „ multiplicat caliditatem ignis . . . . & per tale agere deducit Deus „ naturalem actum in naturalibus : unde, sicut Deus in hac vita agit „ duobus prædictis modis, sic in alia vita potest agere ad placitum „ cum ipsis, cùm sit ita potens in alia vita, sicut in hac : ergo Deus „ potest cum corporeo igne cruciare separatum malignum spiritum ». Hic videtur apertè quòd Deus agit *mediatè*, dum cum igne corporeo cruciat spiritus separatos ; quo nonobstante ipse cruciatus est à Deo immediatè inflictus, ut docet Lullus num 2. dicens, divinam justitiam sic eos punire ; num. 3. quòd sic divina justitia facit vindictam ; & etiam quia ille cruciatus non est ex natura ignis, sed est *pœna supernaturalis*, ac proinde immediatè est à Deo.

XXVI. Itaque evidens est, in sensu Lulli idem esse Deum agere *immediatè*, ac Deum solum agere ; agere autem *mediatè* esse idem, ac agere cum creatura, ipsam movendo, dirigendo, & adjuvando, & cum tale agere mediatè sit propriè Deum simultaneè concurrere, & simultaneus Dei concursus immediatè attingat effectus causarum secundarum : ideo, licèt dicat Lullus, Deum modo dicto agere mediatè ; non negat ipsius immediatum influxum in omnes creatos effectus, cùm nullibi sit aliquod indicium hujus negationis. Notandum est autem, quòd prædicta Lulli explicatio de agere Dei *immediatè* & *mediatè* frequentissima est apud Autores ; imò processiones divinæ per dictos terminos explicantur à Patribus, ut videri potest apud Petavium lib. 7. de Trinit. cap. 11. nam Filium dicunt immediatè procedere à Patre, quia ab ipso solo oritur ; Spiritum autem Sanctum procedere mediatè, quia procedit à Filio habente à Patre virtutem spirandi, quin tamen per hoc negent, Patrem immediatè producere Spiritum Sanctum.

XXVII. Imò secundùm eamdem Lulli acceptionem usurpantur dicti termini à D. Bonaventura in 2. Dist. 14. art. 3. q. 1. ubi quæritur : *utrùm primum mobile moveatur à Deo immediatè tantùm, an mediante aliquâ virtute creatâ ?* Et sic scribit : „ Respondeo : ad præ„ dictorum intelligentiam est notandum, quòd in omni operatione

„ Deus operatur intimè & immediatè, cùm Dei voluntas, sicut dicit „ Augustinus, & habitum est in primo libro, sit prima, & summa „ causa omnium specierum & motionum. In aliquibus autem sic „ operatur, ut ipse sit tota causa; in aliquibus sic operatur & „ movet, ut virtutem agendi & movendi communicet creatu- „ ræ . . . . sed est quæstio, utrùm motus primi mobilis sit „ à Deo tanquam à tota causa, an simul cum virtute divina movente „ moveat aliqua virtus creata, & ad istam quæstionem satis de plano „ responderi potest . . . . quòd Deus primum mobile movet *mediante* „ aliqua virtute creata, sicut & alia mobilia. „ Expressiùs autem idem Bonaven. in Compendio Theolog. verit. lib. 2. cap. 1. ubi ait: *Deus enim dupliciter operatur; aliqua namque facit mediante natura, & hæc fiunt successivè; aliqua facit per se immediatè, ut creare, peccata dimittere, gratiam infundere, & hujusmodi, & talia fiunt in continenti, & perfectè, & completè.*

DISSERTATIO VII.

De Propositionibus 14. 15. 16. 17. & 18. ex Quæst. 38. 41. 45. 48. & 49. Libri Sententiarum.

§. I.

In 14. Prop. ex Quæst. 38. dicitur calor naturalis esse de esse essentiæ hominis, quoad statum viventis naturaliter, licèt non sit de essentia phisica & metaphisica ejusdem.

I. Decimo-Quarto loco notat laudatus Censor hæc verba: *De esse essentiæ hominis est suus calor naturalis, & sua vegetativa; quâ seipsum conservat ad vivendum, coadjuvantibus illis, quæ de extra veniunt.* Quæst. 38. circa finem.

II. Quod videtur in hoc Textû notari, est quòd calor naturalis, qui est accidens, sit de esse essentiæ hominis; at ex contextu facilè percipitur qualis sit intelligentia, quæ professò est recta; nam ibi respondet Lullus ad objectionem, quâ num. 2. dicitur, quòd nulla creatura conservat seipsam, nec est per se conservata, quia nullum ens potest conservare seipsum cum esse suæ essentiæ; & ad hoc n. 3. respondet Lullus, quòd hoc est verum in corruptibilibus, & exem-

plificat in homine dicens : *Sicut homo, qui non potest conservare semetipsum cum esse suæ humanitatis simpliciter, cùm indigeat habere cibum & potum, aërem & plura similia ; verumtamen calor naturalis est de esse suæ essentiæ, & sic de sua vegetativa, cum qua conservat seipsum ad vivendum, coadjuvantibus illis, quæ de extra veniunt : unde sequitur quòd homo habeat in se virtutem conservativam, quæ est pars esse suæ essentiæ, sic deputata ad conservationem, sicut voluntas ad volendum, & oculus ad videndum ; & quia illa potentia conservativa est creatura, sequitur quòd conservatio sit creatura.* Text. prop. 14.

III. Manifestum est ex toto hoc contextu, quòd scopus Lulli in eo est ostendere, quòd homo in statu hujus vitæ habet in se virtutem creatam, quâ naturaliter potest cum juvamine aliorum se in statu naturali viventis conservare, ac proinde non loquitur de esse suæ essentiæ physicæ, vel metaphysicæ, prout regulariter considerant Philosophi, sed tantùm de esse suæ essentiæ quoad statum naturalem, in quo statu absque dubio conservatur cum calore naturali, & vegetativa, quibus transmutat cibum & potum in substantiam hominis ; & ad hoc esse vivum naturale hominis essentialiter requiritur calor naturalis ; licèt sit accidens, sicut alia plura accidentia, ut motus cordis, sanguinis, & plura alia, quia deficiente calore naturali, deficit vita hominis ; si tamen insistas impertinenter, quòd ibi loquatur Lullus saltem de essentia physica hominis, dico, quòd per calorem naturalem, sumendo abstractum pro concreto, intelligitur calidum naturale, seu illa elementalis substantia, cui est proprius calor naturalis ; hæc autem substantia, est de essentia physica hominis, cùm elementa formaliter & essentialiter constituant corpus hominis, sicut & aliud quodlibet elementatum.

§. II.

Quoad Propositionem 15. ex Quæst. 41. docet Lullus quòd Deus, ut Autor naturæ, & potestate ordinatâ, non potest Angelum destruere, benè tamen potestate absolutâ.

IV. Ex sequenti Textu notat laudatus Censor propositionem 15., nempe : *Quam scilicet contradictionem Deus facere non potest, scilicet, quòd Angelus sit annihilatus & æviternatus simul, & semel. Sed Deus benè potest annihilare equum Martini, & sic de aliis corruptibilibus, quæ in æviternitate non sunt posita ; sed illa quæ sunt posita in æviternitate*

Deus annihilare non potest, postquam illa vult esse æviterna. Quæst. 41. Sent. circa finem.

Censura: *Docet, Angelum eò quòd sit æviternus, à Deo annihilari non posse; quia contradictionem dicit.*

V. Quin recurramus ad contextum, aperta est intelligentia verborum relatorum ex eorum reflexione; Primò enim ponit Lullus, quòd sit contradictio, *quòd Angelus sit annihilatus & æviternatus simul & semel*; & sanè hæc est vera contradictio, Angelum enim esse æviternatum est Angelum existere in sua æviterna duratione, Angelum verò annihilari est, reduci in non esse, seu non existere; & quia idem simul & semel existere & non existere, est vera contradictio, est certè vera contradictio Angelum simul & semel esse æviternatum, & annihilari; hæc autem contradictio non est absoluta, sed ex suppositione, videlicet ex suppositione quòd existat æviternè, licèt quod existit æviternè, absolutè possit annihilari; & ita solùm stat contradictio in hoc, quod simul & semel existat æviternè, & annihiletur: unde malè infert laudatus Censor, *Angelum eò quòd sit æviternus, à Deo annihilari non posse, quia contradictionem dicit*; quia ex contradictione conditionata transit ad absolutam, & ex non posse ex suppositione transit, ad non posse absolutum; nam in Textu non negatur, Deum absolutè posse annihilare Angelum æviternum, sed tantùm ex suppositione quod Angelus existat æviternè, Deum non posse facere, quod simul & semel existat æviternè & annihiletur. Deinde in ultimis verbis citati Textûs dicitur: *Sed illa, quæ sunt posita in æviternitate, Deus annihilare non potest, postquam illa vult esse æviterna*: ex quibus evidens est, non loqui Lullum de potestate Dei absoluta, sed de potestate Dei ordinata ad voluntatem volentem illa durare æviternaliter; & certum est, Deum hâc potestate non posse illa annihilare, quamvis hoc possit absolutâ potestate; laudatus tamen Censor affigit Lullo negare potestatem absolutam, cùm adeò patenter loquatur de ordinata.

VI. Ad clariorem tamen intelligentiam, notandum est, Lullum in citata quæst. 41. inquirere: *Utrùm ævum sit mensura habens partem post partem, vel sit tota simul?* Et num. 1. resolvit quòd Angelus est mensuratus cum mensura indivisibili & immobili & inalterabili, & ideo illa mensura est sine parte post partem tota simul existens: & illam mensuram vocamus ævum vel æviternitatem, & Angelus in ipsa existens est æviternus.* Ex hac resolutione patet, Lullum agere de statu naturali Angeli, & de duratione, quæ ei naturaliter competit secundùm

suam naturam spiritualem, quatenus videlicet, ut ait in probatione, *est substantia spiritualis non habens partem post partem; ratione cujus non potest transire in motum. . . . Unde, cùm Angelus non transeat in motum, quoad se non transit in tempus.* Contra hanc resolutionem & rationem sic num. 2. objicit Eremita: « Item dico quòd secundùm „ tuam rationem Deus non posset annihilare Angelum, postquam „ esset positus in natura æviternitatis, quod est valdè inconveniens, „ cùm Deus sit ita potens in reducendo totum universum creatum „ ad non esse, sicut fuit potens in creando ipsum de non esse ad esse.

VII. Hæc sanè objectio videtur agere de potestate Dei naturali, seu de potestate Dei ut autoris naturæ, cùm impugnet durationem Angelo ex sua spirituali natura correspondentem: quare num. 3. ita respondet Lullus: *Item ad hoc quod dicit, quòd Deus non posset annihilare Angelum positum in æviternitate, malè dicis respectu contradictionis, quam contradictionem Deus non potest facere, scilicet quòd Angelus sit æviternatus & annihilatus simul & semel, sed Deus benè posset annihilare equum Martini, & sic de aliis corruptibilibus, quæ non sunt posita in æviternitate; sed illa quæ sunt posita in æviternitate Deus non potest annihilare, postquam vult quòd ipsa sint æviterna.* Si conferatur hæc responsio cum resolutione, ejus ratione, & contraria objectione, clarè videbitur, hîc tantùm agi de potentia Dei ordinaria, vel de potestate Dei autoris naturæ, quatenus videlicet creatâ in Angelis naturâ spirituali, & datâ ipsis juxta hanc naturam æviternitate, quæ est duratio sine fine, utpote immobilis, & inalterabilis, non potest Deus, ut Autor naturæ & conformiter ad exigentiam naturæ Angelicæ, ipsos annihilare, seu destruere; est enim naturalis contradictio quòd Angelus ex natura sit durabilis sine fine, & ex natura destructibilis; & hæc est contradictio, quæ ponitur in Textu, scilicet quòd *Angelus sit æviternatus & annihilatus simul & semel.* Text. prop. 15.

VIII. Profectò in objectione prætenditur, quòd Deus potest reducere *totum universum creatum ad non esse*; & quia in toto universo aliqua sunt æviterna, ut sunt Angeli, & alia temporalia, ut sunt corruptibilia: respondet Lullus, quòd corruptibilia, utpote ipsis ex natura non correspondet æviternitas, sed temporalitas, possunt naturaliter destrui; æviterna autem, cùm ex natura sua sint æviterna, & durabilia sine fine, non possunt à Deo naturaliter destrui; essent enim naturaliter indestructibilia, & naturaliter destructibilia, quod est contradictio; & quia ex libera Dei voluntate sunt posita æviterna in æviternitate, & data est eis natura, quâ naturaliter sint in-

destructibilia, ideo *postquam Deus vult quòd ipsa sint æviterna, non potest ea annihilare*, potestate videlicet ordinatâ ad hujusmodi voluntatem, quæ vult æviterna sine fine permanere, sicut vult corruptibilia temporaliter tantùm durare.

IX. Porrò quòd Angeli, etiam respectu Dei Autoris naturæ, sint indestructibiles, est Doctrina valdè probabilis & eam expresse tenet Eximius Theologus *Eusebius Amort*, Theol. Eccle. tom. 1. tract. *de Angelis*, disput. 1. quæst. 3. ubi pag. 109. conclusione 4. ait: *Dico 4. Angeli etiam sunt immortales ex sua natura respectu Dei: conclusio est contra Vasquez, qui, licèt admittat Angelos esse immortales comparatos ad alias creaturas, id tamen negat si comparentur ad Deum*; & hoc probat Amort, quia Angeli ex sua natura exigunt à Deo autore naturæ conservari ob ordinem, harmoniam, ac proportionem universi. Si tamen quis impertinenter contendat aliter debere intelligi verba Lulli, facilis est explicatio, prout diximus num. 5. illa enim contradictio inter esse æviternatum, & annihilatum, non est absoluta, sed conditionata; atque ita illud non posse, quod ad ipsam sequitur, non est non posse absolutè, sed ex suppositione. Tandem, quòd ex mente Lulli Deus absolutè possit annihilare Angelum, & quamcumque creaturam, repetit pluries in lib. *de Articulis damnatis ab Episc. Parisiensi*, impugnans hunc, & consimiles Averroistarum errores; sicut etiam in lib. *de infinita, & ordinata potestate*: Unde lib. *de Deo & Christo*, part. 1. q. 2. num. 5. ait, *quòd Angelus indiget gratiâ Dei, & suâ sustentatione, & sic de mundo, qui deveniret in nihilum, nisi Deus sustentaret ipsum*; & in *Arte Gen. ult.* part. 8. sect. 2. cap. 3. n. 24. quærit: *quid habet æternitas in alio?* Et respondet, *quòd habet potestatem annihilandi quidquid est, eò quia sua potestas infinita est.*

§. III.

Rectè censet Lullus in Prop. 16. ex Quæst. 45. Angelum & animam componi ex propria spirituali materia; non autem eâ, quæ est subjectum transmutationum; operationem autem eorum extrinsecam esse accidentalem, & non permanentem.

X. Textus & Censura ad propositionem 16. apud laudatum Censorem hæc est: *consideravit Raymundus investigationem, quam fecit, ut materiam in Angelo posset invenire, & dixit, quòd omne bile, quod invenit in primis principiis, ex quibus Angelus constitutus est, sicut intelligibile,*

telligibile, amabile, &c. faciunt & constituunt unam materiam Angeli, & per consequens quòd omnes tivi, qui coëssentiales sunt in Angelo, sicut intellectivus, amativus, &c. *faciunt & constituunt unam formam Angeli; & quod omnia* are, *sicut intelligere, amare, &c. quæ sunt ex essentia formæ & materiæ, sunt una connexio & unus actus, per quem forma Angeli & materia se invicem conjungunt, & tertium constituunt, & componunt, quod est substantia Angeli.* Quæst. 45. Senten. num. 5.

Censura: *Operationem Angeli dicit esse substantiam Angeli, sicut & de anima hominis dixerat; & Angelum esse compositum ex materia & forma, modo quo Textus explicat.*

XI. Miror, laudatum Censorem hâc duplici notâ, tamquam Theologica Censurâ, indigitasse relatum Textum, cùm tantùm videatur notari posse Angelum componi ex materia corporea, vel eâ, quæ generationi, & corruptioni est obnoxia; nam plures sunt Autores Catholici, qui materiam sumptam in aliquo peculiari sensu attribuunt Angelis; Lullus autem nec materiam corpoream, nec eam quæ est subdita generationi & corruptioni attribuit Angelis, neque adhuc materiam in sensu regulariter accepto, sed concedit Angelo materiam & formam in sensu peculiari, ut patet ex eodem Textu. De operatione etiam Angeli, & aliorum quorumcumque agentium disputant Philosophi, & plures negant eam esse entitativè distinctam à substantia operante, ac proinde tenent realiter esse eamdem, ac ipsa substantia, cujus est operatio; neque Lullus in dicto Textu dicit operationem Angeli esse substantiam Angeli; operatio enim est illud exercitium, quo aliquid agit extra se; at in dicto Textu nec ullum est verbum de hujusmodi exercitio: agit sanè de intelligere & velle intrinsecis, at hujusmodi sic inspecta non sunt operationes Angeli; nec sunt ipsa substantia Angeli, licèt intrinsecè ad ipsum spectent, sed sunt constitutiva intrinseca ejusdem substantiæ.

XII. Antequam Lulli sensum exponam, notandum est, plures esse, qui Angelis & animabus attribuunt materiam, ut videri potest apud Petav. de Theol. Dogm. tom. 3. lib. 1. *de Angelis*, cap. 4. & quidem de animabus apertè fatetur D. Augustinus apud ipsum, lib. 7. de Gen. ad lit. cap. 6. & Boëtius ibidem, lib. de *Unitate, & uno*, qui post longum discursum de Angelo & anima, concludit: *Quorum unumquodque est unum conjunctione materiæ, & formæ*; nec tamen assentior Petavio n. 3. dicenti: *quocircà materiam eamdem omnino corporatarum rerum, & spirituum sive intelligentiarum, animarum-*

que censet esse Boëtius ; nam ex verbis ipsius, quæ allegat, hoc non concluditur, sed tantùm esse unam proportionaliter, imò videtur exprimi varietas materiæ in utrisque ; ut clariùs explicat ipse Boëtius, lib. *de duabus naturis & una Persona Christi*, *ibidem relatus*, *dicens : Omne corpus, quod in generatione, & corruptione subsistit, communem videtur habere materiam ; sed non omne ab omni, vel in omni, vel facere aliquid, vel pati potest. Corporea verò in incorporea nullâ ratione poterunt permutari, quoniam nulli communi materiæ subjecta participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutram permutetur. Omnis enim natura incorporeæ substantiæ nullo materiæ nititur fundamento ; nullum verò corpus est, cui non sit materia subjecta ; & mox : Nec verò fieri potest, ut incorporalia in sese commixtione aliquâ permutentur ; quorum enim communis nulla materia est, nec in se verti nec permutari queunt. Nulla autem est incorporalibus materia rebus : non poterunt igitur in se invicem permutari.*

XIII. Per relata verba non recedit Boëtius, ut opinatur Petavius, à Sententia, quam statuerat in lib. *de unitate, & uno*, sed illam explicat : itaque negat Boëtius eamdem esse materiam in corporibus & spiritibus ; negat quoque eamdem esse materiam in spiritibus, quæ se habeat ad modum materiæ corporalium, ita ut in ipsa fiant generationes, corruptiones, ac permutationes, quemadmodum in corporalibus : atque ita non negat materiam utcumque in ipsis, sed tantùm illam, quæ generationi, ac corruptioni sit obnoxia. Materiam etiam Angelis attribuit, apud eumdem Petavium, Autor Libri *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, cap. 1. Rupertus quoque, lib. 2. de *Victoria Verbi Dei*, cap. 12. Angelos de materia creatos existimat ; & idem deducit Petavius ex Divo Bonaventura in Opusculo 2. inscripto : *Luminaria Ecclesiæ*, serm. 4. qui etiam in 2. dist. 3. *Materiam in corporeis, ac spiritualibus rebus eamdem prorsus esse definit, adeoque numero unam.* At D. Bonaven. ibi, art. 1. quæst. 3. ubi agit de unitate materiæ secundùm numerum, videtur solùm agere consequenter ad quæst. 2. ubi quærit : *Dato quòd Angelus habeat compositionem ex materia & forma, largè sumpto nomine materiæ ad omne potentiale, quod cum alio venit ad constitutionem tamquam fundamentum rei, quæritur de illa materia : utrùm sit eadem cum materia corporalium ?* Et solùm resolvit esse eamdem secundùm considerationem metaphysici ; ac proinde unitas numerica, quam illi attribuit in quæst. 3. non est unitas individualis, sed unitas correspondens illi materiæ, quæ modo dicto est una.

XIV. Ad scopum autem præsentis difficultatis expressè docet D. Bonaventura, loc. cit. quæst. 1. *quòd illa positio videtur verior esse, scilicet quòd in Angelo sit compositio ex materia & forma*; quærit enim *Utrùm Angelus sit compositus ex diversis naturis, scilicet ex materia, & forma?* Et, adductis rationibus pro utraque parte, & libratis earum momentis, ante resolutionem, ut certum asserit, *quòd Angelus compositus est compositione multiplici*; quibus explicatis, supponit in Angelo non esse compositionem ex partibus quantitativis, neque ex & heterogeneis, neque ex natur acorporali & spirituali; quantùm autem ad compositionem ex materia & forma, sic discurrit: *Sed, sicut ostensum est supra, cùm Angelo sit ratio mutabilitatis, non tamen ad non esse, sed secundùm diversas proprietates; sit iterum ratio possibilitatis, sit iterum ratio individualitatis, & limitationis, postremò ratio essentialis compositionis secundùm propriam naturam; nec video causam, nec rationem, quomodo defendi potest quin substantia Angeli sit composita ex diversis naturis, & essentia omnis creaturæ per se entis, & si composita est ex diversis naturis illæ duæ naturæ se habent per modum actualis, & possibilis, & ita materiæ & formæ, & ideo illa positio videtur verior esse, scilicet quòd in Angelo sit compositio ex materia, & forma.* Tandem ad autoritates D. Augustini & Boëtii, prætendentes in Angelis non esse materiam, respondet, eos loqui de materia, quæ est principium transmutandi; & ad alia, quæ objiciuntur de simplicitate Angeli absque ulla materia, respondet quòd nulla creatura est actus purus, & ideo oportet, quòd habeat possibilitatem; quod habeat fundamentum, quia limitata; & quòd in suo esse sit composita; ac proindè quòd includat suam materiam.

XV. Prætereà refert Petavius cit. lib. 7. *de Angelis*, cap. 4. à num. 4. Platonicorum sententiam de materia in spiritualibus, eò quia in ipsis est potentia, & subjectum, & quia est aliquid dicens informitatem, quod formatur per formam: refert alios è contra, qui adeò simplices putant Angelos, quòd neque qualitatum sunt susceptibiles, quos reprehendit, & num. 13. tenet, hanc propositionem: *Quòd in substantiis separatis nulla est possibilis transmutatio; nec sunt in potentia ad aliquam, aut ad aliud, quia æternæ sunt & immunes à materia;* fuisse damnatam à Stephano Episcopo Parisiensi: ex qua videtur fulciri sententia ponens in Angelis materiam. D. Thomas, quem citat ipse Petavius, expressè, in part. 1. quæst. 50. art. 2. tract. de compositione in Angelis ex materia & forma, & repulsa opinione Avicembron, quòd eadem sit materia corporalium, & spiritualium,

probat impossibile esse, substantias spirituales habere qualemcumque materiam, eò quia intellectio est operatio immaterialis; atque ita solùm videtur excludere ab ipsis materiam, qualem esse constat in corporibus; at ipse, quodlib. 3. art. 20. ubi quærens, an anima sit composita ex materia & forma, dicit, *Quòd si materia dicatur omne illud, quod est in potentia quocumque modo, & forma dicatur omnis actus, necesse est ponere, quòd anima humana, & quælibet substantia creata, sit composita ex materia & forma . . . . . si verò materia propriè accipiatur pro illo, quod est potentia tantùm, sic impossibile est, quòd anima humana sit composita, ex materia & forma;* & ad objectionem propositam respondet, quòd materia & forma sunt *prima principia in genere substantiæ mobilis;* atque ita compositio ex ipsis solùm est in substantiis mobilibus.

XVI. Ex dictis aliisque, quæ afferri possent, constat, materiam & formam variis modis accipi posse: unde D. Thomas & alii, qui substantiis spiritualibus negant materiam, eam accipiunt pro ea, quæ est pura potentia, & est subjectum naturalium mutationum. Eodem sensu loquuntur qui eisdem negant materiam, eò quòd sint substantiæ immateriales, quia immateriales dicuntur eò quòd sunt expertes materiâ, eâ scilicet, quæ quantitate afficitur, & sub diversis dimensionibus ad individua derivatur, atque ita eorum sententia apertè non pugnat adhuc cum sententia Divi Bonaventuræ, nec aliorum ponentium in substantiis spiritualibus materiam, non quidem dimensionibus obnoxiam, vel mutationibus subjectam, sed tantùm in eo sensu, quo est quid perfectibile & actuabile per formam propriam dictarum substantiarum. Unde Salmatic. tr. 7. *de Angelis*, dist. 1. dub. 3. §. 3. referunt quòd Angelos componi ex materia & forma spiritualibus tenent Alens. 2. p. q. 20. memb. 1. in fine, & quæst. 44. memb. 2. D. Bonaventura in 2. dist. 3. art. 1. quæst. 1. & 2. Richar. ibidem, art. 1. quæst. 2. & art. 2. quæst. 1. & 2. Aureolus, apud Capreol. in 2. dist. 3. quæst. 1.

XVII. Quare, omissis aliis acceptionibus, ad exponend. Lulli sentent. notandum est quòd materia & forma, prout ad invicem se habent ad constitutionem entis naturalis, generaliter sic accipi possunt ut materia sit illa ratio intrinseca enti naturali, quæ est perfectibilis & passiva sub ratione activa & perfectiva; forma autem est illa ratio intrinseca enti naturali, quæ est perfectiva & activa ad esse ipsius. In hoc generali sensu materia nihil dicit de naturali transmutabilitate, nec de aptitudine ad dimensionem quantitatis; forma quoque nihil

importat de educibilitate ex materia, vel de aliis, quæ formis in sensu Aristotelico attribuuntur; sed materia purè intelligitur totalis ratio passiva & perfectibilis, forma verò totalis ratio activa & perfectiva in ente naturali. Solùm in hoc sensu admittit Lullus in substantiis spiritualibus creatis compositionem ex forma & materia. At, ut intelligatur in quo determinatè consistat hæc materia & forma, notandum est, in Angelo, anima rationali, & quacumque alia substantia creata, esse bonitatem, magnitudinem, durationem, potestatem, reliquasque perfectiones, quæ sunt similitudines perfectionum Dei; cùm enim Deus omnia ad sui imitationem produxerit, in omnibus produxit perfectiones suis similes, in quibus creaturæ ipsum imitarentur; & sicut bonitas, magnitudo, & reliquæ divinæ perfectiones sunt Deo essentiales, ita bonitas, magnitudo, & cæteræ perfectiones substantiarum spiritualium, de quibus solùm pro nunc agemus, sunt eisdem essentiales. Dictæ perfectiones in Deo sunt omninò idem absque ulla reali, adhuc formali, distinctione, & propterea Deus est summè simplex; at perfectiones spirituum creatorum sunt realiter inter se distinctæ, ac propterea substantiæ spirituales non sunt summè simplices, sed ex eisdem realiter componuntur.

XVIII. Cùm solùm sit animus ostendere probabilitatem doctrinæ Lullianæ, non est opus omnia prædicta manifestare, & sufficiet pro nunc ex Patribus ostendere distinctionem perfectionum in substantiis spiritualibus, ac consequenter earum ex eisdem compositionem; nam apud Petavium de Theolog. Dogmat. tom. 1. lib. 2. *de Deo*, cap. 2. à num. 3. summam Dei simplicitatem plures probant ex eo, quòd proprium sit ei nullam partium concurrentiam, nullam simplicium cohærentiam habere, atque ita in creatis substantiis quibuscumque debent dari partes & simplicia quædam principia, ex quibus coalescant. Deinde à num. 5. adducit varios, qui tanquam Deo proprium adstruunt, quòd in ipso substantia, potentia, sapientia, &c. sint idem omninò, ut est Richardus à Sancto Victore, lib. 1. de *Trinit.* cap. 12. Cassiodorus, lib. *de anima*, cap. 9. & Cyrill. Alexandrinus, qui lib. 1. in Joan. cap. 9. ait: *In compositione esse id omne, quod inest in creatura, cernimus, nihilque, in ipsa simplex.* Ex D. Augustino, lib. 11. *de Civit. Dei*, cap. 10. probatur ibi, n. 7. summa Dei simplicitas, quia scribit: *Ideò simplicem dici, quia quod habet hoc est;* tum, tract. 20. in Joan. sic: *Deus cui non est alia substantia ut sit, & alia potestas, ut possit.* D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 27. ait: *Habet vitam sapientia, sed non aliud habet, & aliud est; quippe*

cui hoc est esse quod vivere ; & D. Bernard. serm. 80. in cant. dicit : *Sola summa & increata natura hanc sibi vendicat meram singularemque suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud, & aliud ; non alibi quoque & alibi, sed ne modo quidem & modo inveniatur in ea. Nempè in semet manens, quod habet, est ; & quod est, semper, & uno modo est. In ea, & multa in unum, & diversa in idem rediguntur ; ut nec numeratione rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat.*

XIX. Præcipuè autem docet ipse Petavius ibidem, cap. 6. juxta plurimos PP. Deum esse expertem compositionis, quia ipse est sua bonitas, magnitudo, sapientia, &c. ita ut hoc sit Dei peculiare ; unde ibi, num. 7. D. Augustinus, lib. 5. *de Trinit.* c. 10. ait : *in rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, & magnus mons, & magnus animus : in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est .... Deus autem, quia non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod est ipse, ut quasi particeps sit ejus Deus, cùm magnus est, alioquin illa erit major magnitudo, quàm Deus ..... hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omninò prædicamentis, quæ de Deo possunt pronunciari.* Hanc eamdem sententiam ex Augustino tenent, ut ibi notat Petavius, Alcuinus, Anselmus, Bernardus, Richardus, Fulgentius & alii, ex quibus Fulgentius, lib. *Resp. ad Inquisit. Ferrandi.* Inquisit. 2. ait : *Hoc esse catholicæ veritatis, ut, cùm in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem & quælibet alia in his quæ ad se propriè dicuntur, nominamus, non istis diversis nominibus, quasi tam diversa, sicut in homine, qui subjacet qualitati, sed unum illud, quod est essentia, vel natura, certissimè noverimus.* Similiter, cap. 7. ostendit ex PP. Petavius, Deo proprium esse, quòd nulla sit in ipso perfectionum distinctio. Tandem D. Anselmus in *Monologio*, & D. Bernardus, lib. *de considerat.* infinitam Dei perfectionem colligunt ex eo quòd sua magnitudo sit sua bonitas, sua virtus, sua sapientia, &c. & è converso.

XX. Hinc deducitur distinctio perfectionum in Angelo, quia, si sua bonitas esset sua magnitudo, potestas, virtus, &c. & è converso, utraque esset infinita, quia esset omnis perfectio ; & bonitas, nedum esset magna & potens, sed esset ipsa magnitudo & potestas, quod est proprium Dei : unde, cùm dictæ perfectiones sint in Angelo distinctæ, & ad invicem mutuò agant, & patiantur, nam bonitas est magna per magnitudinem, & magnitudo bona per bonitatem & non per se, ideò verè & realiter bonitas est bonificativa magnitudinis,

& magnificabilis à magnitudine, ficut magnitudo eft magnificativa bonitatis, & bonificabilis à bonitate: quare, quia non poteft effe eadem fimplex ratio activa, & paffiva, cùm utraque fit finita, & quodam modo opponantur, ideo unaquaque eft ratio activa, & ratio paffiva, & confequenter eft actus, quo ratio activa agit in paffivam, & paffiva patitur ab activa; ac proinde in bonitate eft quid bonificativum, quid bonificabile, & quid quod eft actus, feu bonificare; & quia idem fimiliter eft in omnibus Angeli perfectionibus, quæ ad invicem, ad effe Angeli, mutuò agunt, & patiuntur; ex omnibus rationibus paffivis fit una totalis ratio paffiva, & hæc dicitur materia; ex omnibus activis fit una totalis ratio activa, & hæc dicitur forma; & ex omnibus actibus fit unus totalis actus, feu una totalis connexio, ex quibus omnibus componitur Angelus.

XXI. Hæc, quam expofuimus, eft doctrina, quam communiter tradit Lullus, & eam in quæft. 45. fentent. notata, in qua quærit: *Utrùm Angelus fit compofitus ex forma & materia?* Specificat in Angelo quoad intellectum & voluntatem: unde, num. 1. oftendit, quòd quælibet creata perfectio naturaliter appetit agere cum fua propria qualitate, & num. 2. tranfiens ad Angelum, difcurrit: *Quòd Angelus naturaliter intelligat, & quod illi fit magis naturale intelligere, quàm igni calefacere, cùm fit nobilior fubftantia per fuam bonitatem, magnitudinem, &c. quàm ignis per fuam bonitatem, magnitudinem, &c. quod non effet, fi fuus intellectus non haberet proprium intelligibile fibi confubftantiale* (id eft propriam rationem paffivam ad fuum effe fpectantem) *in quo imprimeret intelligibilitates aliorum entium* (id eft, in quo alia entia redderet intelligibilia) *quæ intelligit, deducendo eorum intelligibilitates de potentia in actum.* Hoc idem dixit de voluntate, & memoria Angeli, ut in 29. & 30. quæft. fignificatum eft. Textus prop. 16.

XXII. Subjungit, num. 4. fic: *Raymundus adhuc confideravit, quòd de neceffitate conveniat, ratione magnitudinis Angeli, quòd in ipfo fit confubftantiale magnificabile, per quod Angelus poffit habere magnum intelligere, recolere, & amare, aliàs magnitudo haberet naturam fui contrarii, quæ eft parvitas, & poteftas effet magna per fuum poffificabile, & intellectus effet magnus per fuum intelligibile, & fic de magnitudine voluntatis, & memoriæ: Unde fequeretur quòd effet magna quoad alias rationes, & parva quoad feipfam, quod eft impoffibile: Ergo Angelus habet confubftantiale magnificabile per fuam magnitudinem, & per confequens bonificabile per fuam bonitatem, & durabile per fuam dura-*

tionem virtuificabile per suam virtutem, verificabile per suam veritatem; glorificabile per suam gloriam.

XXIII. Posteà, num. 5. transit ad resolvendam quæstionem dicens: » Raymundus consideravit investigationem, quam fecit, ut in Angelo posset invenire materiam; & dixit quòd omne *bile*, quòd invenit » in primis principiis, ex quibus Angelus est constitutus, sicut intelligibile, amabile, &c. faciant & constituant unam materiam Angeli, & per consequens, quòd omne *tivum*, quod est coëssentiale Angelo, sicut intellectivum, amativum, &c. faciant, & » constituant unam formam Angeli, & quòd omne *are*, sicut intelligere, amare, &c. quæ sunt ex essentia formæ & materiæ, sint » una connexio, & unus actus, per quem forma & materia Angeli » se invicem conjungunt, & constituunt & componunt tertium, » quod est substantia Angeli composita & congregata ex ipsis; & » ipse Angelus per suam formam in sua propria materia acquirit extraneas intelligibilitates, & alia objectabilia per suum actum intrinsecum, scilicet intelligere, amare, & recolere, & ipsa accidentaliter induit de similitudinibus supervenientibus, ut possit habere » habitum scientiæ & charitatis, & conservare illos habitus in sua » memoria; & per consequens suum intelligere, recolere, & amare » cum prædictis habitibus accidentaliter bonificare, magnificare, &c.

XXIV. Ex his liquidò patet, quodnam genus materiæ admittat Lullus in Angelis, videlicet illam rationem passivam, quæ integratur ex omnibus rationibus simplicibus passivis omnium suarum perfectionum, ex quibus constituitur; ac proinde sumit materiam in sensu generalissimo pro ratione passiva & perfectibili: unde nec admittit materiam adhuc in illo sensu, quo Boëtius & D. Bonaventura ex num. 12. 13. & 14. videntur eam admittere, tanquam naturam quamdam, quæ sit potentia ad formam, quæ ut alia natura habetur: ad modùm quo in corporalibus sumuntur materia & forma; quia materiam dicit Lullus totalem rationem passivam naturæ Angelicæ, quæ ratio passiva non est natura, sed pura ratio passiva naturæ. Patet etiam, quòd non sumit materiam in eo sensu, quo communiter negatur in Angelis, dum immateriales substantiæ asseruntur, quia ab his sumitur pro materia dimensionibus subjecta, qualis non est materia Angelis à Lullo concessa. Neque est materia transmutationibus subjecta, ut respondet Lullus in citat. quæst. num. 7. ad objectionem Eremitæ, addens etiam, quòd non omnis materia importat generationem & corruptionem, ut patet in materia corporum cœlestium:

ac

ac proindè manifestum est, nulli criminationi obnoxiam esse sententiam Lulli, dum Angelis, & animabus attribuit materiam, non utcumque, sed spiritualem & consistentem in ratione passiva intrinseca ipsorum. Pro quo etiam videri possunt dicta tom. 2. cap. 14. §. 2.

XXV. Malè tamen ex hoc textu infert laudatus Censor secundam partem suæ Censuræ relatæ num. 10. nempè quòd Lullus *operationem Angeli dicit esse substantiam Angeli, sicut & de anima hominis dixerat*; nam illud *intelligere*, & *velle*, quæ agnoscit in intellectu & voluntate, uti connexionem, & actum, videlicet intelligere inter intellectivum, & intelligibile coëssentialia & consubstantialia. intellectûs, & velle inter volitivum & volibile voluntatis, dicuntur actus intellectûs & voluntatis, quatenus sunt actus, quo activum perficit & agit intrinsecè in passivum sibi coëssentiale, & per accidens & secundariò in passivum extraneum & accidentale; non autem sunt operatio intelligendi & volendi, quia hæc operatio non est actus coëssentialis intellectûs, & voluntatis, sed est actus accidentalis, ut indicat in relato textu, dum dicit quòd Angelus suum intrinsecum intelligere, amare, & recolere accidentaliter induit de similitudinibus supervenientibus, ut possit suum intelligere, recolere, & amare accidentaliter bonificare, magnificare, &c. quatenus videlicet, habitis speciebus, & receptis in intelligibili, recolibili, & amabili, intellectivum, recolitivum, & amativum cum suo actu coëssentiali format ex eisdem speciebus suum accidentale intelligere, recolere, & amare, quæ est operatio intelligendi, recolendi, & amandi, quæ est accidens, ac proinde operatio Angeli non est sua substantia, sed est accidens in ipsa Angeli natura.

XXVI. Ad hoc intelligendum notanda est doctrina ipsius Lulli, quantùm ad operationem intelligendi, & consequenter recolendi, & volendi, quam habet anima in via, & etiam in Patria quoad alia objecta præter Deum, sicut & etiam Angelus quoad alia objecta præter Deum: nam omnia alia objecta intelligit anima per speciem, ut advertit in hoc eodem libro Sententiar. quæst. 3. num. 2.; quæst. 5. num. 5. & 7.; quæst. 47. per totam; quæst. 82. per totam; & quæst. 140. in qua docet, quòd anima separata alia objecta, præter Deum, intelligit per species; similiter docet de Angelis, quòd alia objecta præter Deum intelligunt per speciem, ut quæst. 46. ubi probat quòd Angelus seipsum non intelligit per suam essentiam, sed per speciem, quæst. 54.; quæst. 55.; quæst. 59. & quæst. 64. ubi

resolvit, quòd Angelus intelligit per species innatas. Cùm itaque tam Angelus quàm anima per species intelligant. præfata objecta, propterea operatio intelligendi, memorandi, & amandi eadem objecta, est accidentalis, & non pertinet ad substantiam & essentiam intellectûs, memoriæ, & voluntatis, ut explicat in eisdem locis citatis; nam, licèt intellectus habeat intelligere, seu actum coëssentialem & consubstantialem, quo mediante activum coëssentiale agit in passivum coëssentiale, ex quibus est constitutus intellectus, & licèt etiam ipse intellectus utatur eodem intelligere, seu actu coëssentiali, sicut etiam suo intellectivo & intelligibili coëssentialibus, ad eliciendum ex præfatis speciebus suam operationem intelligendi, hæc tamen operatio intelligendi, seu intelligere, quod ex speciebus deducitur, est accidens quoddam superveniens, & non spectat ad essentiam & substantiam intellectûs.

XXVII. Unde in quæst. 5. Sent. citata, cum exposuisset Lullus esse in intellectu consubstantiale intelligere, quod est connexio & actus inter intellectivum, & intelligibile consubstantialia, sic num. 6. objicit Eremita: « si verum esset hoc, quod tu dicis, intellectus » conjunctus semper intelligeret, in hoc quod in se habet consubstantiale intelligere; & sic homo qui dormit, aut est ebrius, semper » intelligeret, quod est impossibile; » ad hanc autem objectionem ita num. 7. respondet Lullus: « Eremita, non benè intellexisti hoc, » quod dixi, cùm intellectus, dum est in via, non possit intelligere » sine phantasmate, sicut oculus, dum est in tenebris, non potest » videre sine luce; sed sicut oculus, qui est in tenebris, est dispositus (ex parte suî) ad videndum, sic intellectus est dispositus ad » intelligendum. » His verbis docet Lullus, quòd intellectus cum suo intellectivo, intelligibili, & intelligere consubstantialibus habet ex parte suî quidquid requiritur ad intelligendum; & quia non potest intelligere sine phantasmate, vel specie, non intelligit per dictum intelligere consubstantiale, sed, dum habet speciem, & in suo intelligibili consubstantiali facit illam intelligibilem, ex ea generat & elicit actum accidentalem intelligendi, mediantibus suo intellectivo, intelligibili, & intelligere consubstantialibus; & illud intelligere accidentale est tanquam indumentum consubstantialis intelligere, & est expressum ad instar ejusdem, tanquam medium conjunctionis inter intellectum, & objectum intelligibile; ac proinde nullo fundamento attribuit Lullo præfatus Censor operationem intelligendi esse substantiam Angeli.

XXVIII. Notanter dixi num. 26. quòd in Angelo & anima rationali beata, actus intelligendi omnia objecta, præter Deum, est actus accidentalis: quam exceptionem exposui, quia juxta Lullum, actus, quo Deus beatificè intelligitur, est ipsemet actus coëssentialis, seu ipsum intelligere consubstantiale intellectûs, non quidem nudè, & in sua natura sumptum, sed prout terminatum ad Deum sibi intimè præsentem ut intelligibilem, mediante lumine gloriæ, & omni illo supernaturali influxu, quem explicat Lullus in eodem libro Sent. quæst. 3. 69. 137. & 138. sicut in aliis pluribus ex supra citatis; quia, cùm Deus immediatè, & per se, & ut intelligibilis sit intimè præsens intellectui absque specie media, per hoc quòd intellectus suum intelligere consubstantiale dirigat & terminet ad Deum sibi intimè præsentem, ipsum beatificè intelligit, & habet beatitudinem in altiori gradu perfectionis, cùm per suum actum consubstantialem, non autem accidentalem, sit beatus.

XXIX. Hæc autem Lulli sententia, quòd actus intelligendi beatificè, tam in Angelo, quàm in anima, sit ipse actus consubstantialis intellectûs, modo explicato, multùm abest, ut erroris notâ configi possit, imò, quamvis hoc dixisset de actu intelligendi in via, & de actu intelligendi, quo alia objecta, præter Deum, intelliguntur in Patria ab Angelo & anima, nulla esset ratio hoc notandi; nam, præterquam quòd, quantum ad operationem aliarum causarum, nota est sententia Scoti, & Scotistarum, quòd scilicet ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectu, ut explicat Mastrius tom. 2. Theol. disput. 1. quæst. 4. art. 1. num. 134. expressè Duhamel *Philosoph. vet. & no. tom.* 3. de Metaphysica, tract. 2. quæst. 8. *de actione*, ponit hanc conclusionem: *Actio non est entitas ab agente, & termino distincta;* & ibi loquitur præcipuè de actionibus transeuntibus, ac etiam obiter de immanentibus: Unde, object. 3. quâ objicitur: « Actus voluntatis sæpè est supernaturalis: ergo actus volun- » tatis est quid à voluntate, seu à causa, distinctum: « respondet: « Actionem voluntatis dici & esse supernaturalem, quia ex natura » voluntatis & propriis viribus non profluit, cùm voluntas ad eam » eliciendam indigeat auxilio, seu actuali, seu habituali altioris or- » dinis, non enim actio id habet ex voluntate præcisè, ut facultas » est naturalis, sed ut est evecta ad nobiliorem statum; quemadmo- » dum eadem est vitalis, & libera, præcisè ut à voluntate proficis- » citur: itaque actio est supernaturalis, ut est ab auxilio Dei, quod » naturæ nostræ non debetur, & libera est, quatenus à voluntate ma-

„ nat : adeò ut solæ formalitates, reales quidem, sed non entitates
„ quædam, actionem naturalem à supernaturali secernant.

XXX. Circa hoc idem, Tosca, in Comp. Philos. tom. 2. tract. 2. *de Metaphysica intentionali*, lib. 4. cap. 2. prop. 32. sic scribit : *Assero* 1. *actionem non esse accidens aliquod absolutum & entitativum, sed dumtaxat modum, agentis, videlicet & termini ;* & posteà *assero* 2. *actionem ab agente & termino distinctione illâ, quam modalem appellant, distingui*. Signanter autem quoad actus animæ rationalis ipse Tosca, tom. 7. tract. 11. *de Metaphysica reali*, Lib. 1. cap. 3. prop. 10. scribit : *Actus non sunt aliquæ entitates ab omni substantia realiter entitativè distinctæ, sed dumtaxat animæ motus*. Ad objectionem secundam, quâ objicitur, quòd nisi actus importaret aliquid supra animam, anima semper esset in actu omnium suarum operationum, respondet, quod ut anima sit operans non requirit aliquam entitatem superadditam, sed sufficit aliquid modale ; quod idem respondet, dum objicitur quòd anima, quæ est indifferens ad cognoscendum, vel non cognoscendum, debet per aliquid determinari, nam ait determinari per modum : ac proindè in prædictorum & modernorum sententia, actus animæ consistit in ipsa animæ substantia sic, vel sic modificata, atque ita actus animæ solùm propter illum modum distinguitur ab animæ substantia.

XXXI. Nihil ergo mirum, si asseruisset Lullus, ipsam animæ substantiam sub modo quodam determinato esse ipsam operationem intelligendi, & volendi ; at hoc non asseruit, sed tantùm, quòd in intellectu est quoddam coëssentiale & consubstantiale intelligere & actus, quo ratio intellectiva intrinsecè, & essentialiter agit in rationem intelligibilem : hoc intelligere per se non est actus ille, quo intelligimus res exteriores, sed tantùm deservit, ut eo mediante, formet intellectus actum accidentalem intelligendi ; in Patria autem, quia Deum cognoscimus sine specie, non requiritur actus accidentalis, sed ipsummet intelligere coëssentiale, prout ad Deum terminatum, est actus intelligendi Deum beatificè. Planè hic actus coëssentialis & intrinsecus cuilibet virtuti substantiali creatæ videtur esse de mente Patrum Græcorum, prout explicat Petavius Theolog. Dogm. tom. 1. lib. 5. cap. 10. ubi explicans ex Damasceno varias actionis notiones, num. 2. colligit quòd actus virtutis naturalis seu energia est duplex : *alia, inquit, naturâ insita, & est prima omnium & perpetua ac nunquam interrupta naturæ motio : quâ desinente, natura occidit, quia sine illa esse nunquam potest. . . . ab hoc fonte actiones reliquæ pro-*

fluunt. Et quidem hic explicandi modus coincidit cum actu illo coëssentiali, quem ponit Lullus, quo mediante, omnes actiones profluunt à virtute activa.

XXXII. Hoc amplius patet ex Maximo Martyre ibid. num. 4. qui apud Euthymium in Panopl. part. 1. tit. 3. ait: *Omnis substantia proprium secum terminum inferens, hoc est diffinitione circumscripta, principium est ejus motionis, quæ secundùm vim ac potestatem consideratur illâ posterior. Rursus substantialis omnis ad operationem motio sita est in medio: nam consideratione est; tum substantiâ posterior, tum actione prior*. Expressiùs autem apud Petav. ibi, num. 5. loquitur in disput. *contra Pyrrhum Monothelitam*, nam motiones illas substantiarum vocat *substantiales operationes*; & quærens: *Utrùm in ipsa ratione substantiam constituente sit energia, an ex iis, quæ sunt extranea?* Respondet, quòd illa substantialis operatio, *non extranea sit, sed ipsam constituat substantiam, quandoquidem sine operibus quidem natura potest esse; sine operatione autem naturali non potest esse natura, neque cognosci*; & tandem ibi concludit Petavius, hoc esse Damasceni, & Maximi dictum: *Nullam sine energia & naturali operatione, vel existere vel cognosci posse naturam, ac tantummodo id quod nihil est, motione illâ & actione carere*; quibus consentit Clemens Alexand. in 2. Stromat. dicens: *In operatione extantiam cognosci*. De hoc eodem tractat Petavius tom. 4. lib. 8. cap. 1. per totum, ubi expressiora ex Græcis adducit documenta adstruentia, actum substantialem & essentialem in unaquaque substantia: quæ omnia coincidunt cum doctrina Lulli, imò satis innuunt illa correlativa coëssentialia, quæ in unaquaque substantiali virtute agnoscit Lullus, ac proindè immeritò notavit Lullum præfatus Censor super operatione intellectûs Angeli, & animæ rationalis. Vide infra dist. 3. dissert. 4. à num. 1.

§. IV.

Hominem quoad naturam esse Angelo absolutè nobiliorem non adstruit Lullus in Prop. 17. ex Quæst. 48. sed tantùm excedere Angelum extensivè, ratione corporis, quod non est in Angelo.

XXXIII. Ad 17. propositionem hunc Textum adducit laudatus Censor: *Eremita, dico tibi, quòd in quolibet homine, supposito quòd peccatum originale nec actuale esset in ipso, natura humana avantagium haberet super naturam Angelicam*. Quæst. 48. Sent. num. 4.

Censura : *Ait, hominem existentem sine peccato esse nobiliorem Angelo quoad naturam, quia quantum ad animam est æquè spiritualis atque Angelus ; & prætereà habet corpus ; & sic est nobilior per intensum, & extensum simul, quàm Angelus : sic loquitur Lullus.*

XXXIV. De hoc puncto egimus fusissimè tom. 1. cap. 14. ad articulos 33. & 40. Eymerici : Unde illuc remittimus, ad hujus difficultatis enodationem. Obiter tamen advertimus, Lullum in quæstione notata non asserere quemlibet hominem esse nobiliorem Angelo quoad naturam, ut innuit laudatus Censor, sed tantùm quòd in quolibet homine, supposito quòd in ipso non esset peccatum originale, nec actuale, natura humana avantagium haberet super naturam Angelicam quoad animam, & tantùm concludit ; quòd *humana natura in aliquibus hominibus* (non dicit in omnibus) *quoad se, remota à peccato originali, possit esse nobilior, quàm natura Angeli.* Avantagium autem illud, quod concedit humanæ naturæ supra Angelicam, limitatur ad modum quo anima per corpus sibi unitum plures conjungit perfectiones in homine, quas Angelus, utpotè corpori non conjunctus, habere non potest ; atque ita nec est notâ dignum illud avantagium animæ concessum, neque ex ipso Textu deducitur absolutè nobilior humana natura in omnibus hominibus, quàm Angelica.

XXXV. Hoc ampliùs fit patens ex textûs consideratione, nam Lullus dictâ quæst. 48. inquirit : *Utrùm natura humana in Christo sit nobilior, quàm natura Angelica secundùm quod considetatur in puris naturalibus ?* Resolvit num. 1. partem affirmativam ; Eremita autem, num. 2. varia proponit argumenta, quia scilicet Angelus per se est Persona, & non est impeditus ad recolendum, intelligendum, & amandum, ficut anima hominis, quæ etiam per se non est Persona; ad quod Lullus num. 3. respondet, & sub. litt. C. ita subjungit :

Text. prop. 17. *Item dico tibi, quòd in quolibet homine, supposito, quòd nec peccatum originale nec actuale esset in ipso, natura humana haberet avantagium super naturam Angelicam quoad animam, cùm sit substantia spiritualis, & ex similibus principiis, ex quibus est Angelus, videlicet ex substantiali bonitate, magnitudine, &c. Unde sequitur, quòd humana natura animæ sit ita intensa in spiritualitate, sicut natura Angeli, & sit magis extensa per conjunctum, scilicet per corpus humanum, cum quo naturaliter participat, & ipsum informat & perficit, & corpus est suum naturale instrumentum, & movet ipsum augmentando, & alterando de uno ubi, in aliud ; movet etiam potentiam imaginativam ad imaginandum, sensitivam ad sentiendum, vegetativam ad vegetandum, & elementativam ad*

elementandum, & hoc naturaliter: & ideò natura hominis est magis extensa quàm natura Angeli, qui extra se nihil agit naturaliter: unde, cùm natura plus dicat in uno subjecto per intensum, & extensum, quàm per intensum tantùm, secundùm prædictum modum est possibile, quòd humana natura in aliquibus hominibus, quoad se remota à peccato originali, possit esse nobilior, quàm natura Angeli.

XXXVI. Ex hoc Textu apparet, quòd de natura aliquorum hominum asserat Lullus, quòd possit esse nobilior, quàm natura Angeli, de quo vide dicta Tom. 1. cap. 14. Avantagium autem illud, quod concedit naturæ humanæ supra Angelicam, cùm limitetur ad operationes corporales, quas exercet anima per corpus, ad quas non potest Angelus devenire, eò quia non est conjunctus, non denotat excessum absolutum humanæ naturæ supra Angelicam, sed limitatum: ac proindè immeritò notatur; cùm ab omnibus concedi debeat, utpotè per se patens. Sic D. Bonaven. licèt in 2. dist. 1. art. 2. quæst. 2. teneat, quòd Angelus est creatura superior homine in naturæ dignitate, tamen, dist. 16. art. 2. q. 1. *Utrùm ratio imaginis principaliùs reperiatur in Angelo, quàm in anima?* In responsione refert, quòd *quidam voluerunt dicere, quòd creaturam magis esse ad imaginem Dei, dici potest dupliciter: vel extensivè, vel intensivè: si extensivè, sic dixerunt quòd homo magis repræsentat Deum, quàm Angelus, quia in pluribus, ratione corporis sibi uniti, utpotè spiritualibus & corporalibus, & in modo existendi in rebus, & secundùm etiam modum producendi res.... si autem dicatur una creatura magis esse ad imaginem, quàm alia intensivè, quia expressiùs repræsentat, sic dicunt Angelum magis esse ad imaginem Dei, quàm sit homo.*

XXXVII. Sanè hunc dicendi modum probabilem reputat Sanctus Doc., in quo extensivè tribuitur homini idem excessus, qui à Lullo; & licèt hunc modum dicendi reprobet, quoad hoc; quòd per illum excessum extensivum dicatur esse magis in homine imago Dei, quàm in Angelo, non tamen negat illum excessum, & quoad aliam partem de majori imaginis ratione intensivè, sic eam reprobat: *Similiter quòd dicatur universaliter expressior esse imago Dei in Angelo quàm in anima propter majorem dignitatem naturæ, hoc non videtur consonare Glossæ, quæ dicit super illud* 2. ad Hæbr. *ei, qui modicùm minoratus est ab Angelis, ibi dicit Glossa, quòd natura mentis humanæ, qualem Christus assumpsit, solus Deus major est. Et Augustinus hoc innuit in pluribus locis; & piè creditur & communiter sentitur, quòd Virgo Maria magis inter omnes Angelos accedit ad Deum.* His verbis

confirmat Bonaventura totum Lulli textum, num. 36. relatum, videlicet de excessu extensivo naturæ humanæ supra Angelicam, & quòd in aliquibus hominibus, Christo scilicet & Beata Virgine Maria, de quibus videtur loqui Lullus in citato textu, natura humana possit esse nobilior, utpote magis ad Deum accedens, quàm natura Angeli. Posteà idem S. Doc. ad explicandam suam sententiam, supponit eundem excessum extensivum in homine, prout retulimus citata tom. 1. cap. 14. similia Docet S. Doc. in 3. dist. 2. art. 1. quæst. 2. ubi tractat de majori congruitate hominis vel Angeli ad hypostaticam unionem, & respondens ad argumenta, sic ait: *Ad illud ergo, quod primò opponitur, quòd Angelus ratione spiritualitatis plùs convenit cum Deo, quam homo, dicendum est, quòd etsi plùs conveniat intensivè, non tamen plùs extensivè; homo enim convenit in spiritualitate, ratione animæ, & corpus superadditum facit ad conformitatis majoritatem, & sic utraque, videlicet spiritu & corpore, major fit repræsentatio exemplaritatis divinæ.*

XXXVIII. Eundem excessum hominis supra Angelum exprimunt plures Patres apud Petavium, *Theolog. Dogmat.* tom. 3. *de opific. sex dier.* lib. 2. ubi loquens de imagine Dei in homine, cap. 3. à num. 5. refert tenentes solùm in homine esse Dei imaginem, ob dominatum & principatum in mundo, imò, num. 6. refert, Macarium in Hom. 15. hominem anteferre Angelis, & Damascenum, lib. *de duabus Christi voluntatibus tenentem, hominem magis esse ad imaginem Dei, quam Angelum, quoniam Angelus naturali servo caret, neque naturaliter Dominus est.* Ab hoc non abscedit ipse Petavius, qui, cap. 4. probat quòd totus homo, vel imago Dei, vel ad imaginem Dei factus debet dici, non autem sola rationalis anima; & hoc propter perfectionem, quam totus homo, ex corpore & anima conflatus, involvit; isto enim modo quid peculiare habet, quod non Angelus, ac proinde Angelum excedit.

§. V.

In decima-octava. Propositione docet Lullus, quòd peccatorem, non se avertentem à peccato, sed eidem adhærentem, non potest Deus juvare, juvamine effectivo, quo eum justum faciat de peccatore.

XXXIX. Hunc textum adducit laudatus Censor ad propositionem 18. & adjunctam Censuram: *Neque Deus peccatorem juvare potest, dum*

dum suum intelligibile & amabile sunt infirma ; & hoc est, quia Deus participare non potest per suam bonitatem & virtutem cum malitia & vitio. Quæst. 49. sent. num. 2. in fine..


Censura : *Videtur indicare peccatori existenti in peccato non posse dari auxilium, ut ab illo resurgat, quia præjudicaret suæ bonitati Deus, communicando cum malitia.*

XL. De hoc egimus tomi 2. cap. 24. ad art. 60. Eymerici; ut autem breviter videatur, Lullum non intendere sensum, quem opponit laudatus Censor, notandum est, Lullum, notatâ quæst. 49. inquirere *Utrùm malus Angelus possit pœnitere ?* Ad cujus solutionem primò advertit, quòd gustus infirmus non potest deservire ad verum judicium de dulcedine pomi, dum est infirmus, quia per infirmitatem organi est ligatus; atque ita priùs debet sanari, ut rectè dulcedinem pomi percipiat. Deinde scribit, num. 1. sic : *In 3. quæstione significata est solutio quæstionis metaphoricè sic : homo existens in peccato mortali habet infirmitatem in suo proprio intelligibili & amabili. . . . & hoc est propter peccatum, per quod sua creata objecta sunt deviata à fine illius peccatoris, à quo gratia Dei est absentata propter peccatum ; unde, sicut homo non posset generare filium, nec planta plantam in absentia influentiæ corporum cœlestium, sic & multò magis peccator non potest se facere justum cum suo infirmo intelligibili & amabili, nisi gratia Dei superveniat, & nisi Deus sit coadjutor, quia nemo potest facere bonum sine gratia Dei, nec Deus potest juvare peccatorem, dum suum intelligibile & amabile sunt infirma ; & hoc est quia Deus per suam bonitatem & virtutem non potest participare cum malitia & vitio, nec Deus potest agere contra suam justitiam.* Text. prop. 18.

XLI. In hoc textu apertè supponit Lullus, Deum posse conferre auxilium peccatori, ut se faciat justum ; quod magis ostendit num. 2. ubi considerat magnam ligationem peccatoris in absentia gratiæ Dei, cum tamen peccator habeat libertatem pœnitendi ; quia : « Si » peccator multùm multiplicat suum intelligere in objectando Deum, » & sua attributa & vilitatem peccati, &c. . . . tunc se disponit ad » habendam contritionem, & pœnitentiam, & tunc venit gratia » Dei cum misericordia & justitia, quæ de proprio amabili peccatoris, sic removet characterem peccati, per quem est amatum, » sicut gustativus removet amaritudinem pomi de suo gustabili per » sanitatem organi, quæ evenit ; *& tunc peccatum, quod anteà erat* » *dilectum, est oditum, & homo est curatus.* » In hoc textu docet, hominem posse pœnitere, & hoc cum auxilio Dei, quia, ut dixit num.

1. *nemo potest facere bonum sine gratia Dei, & nisi Deus sit coadjutor*; quia tamen homo non potest pœnitere nec converti, dum amat peccatum, ideo dum amat peccatum, Deus ipsum non potest juvare, hoc est, ipsum convertere, & facere justum; sumitur enim *juvare* ex contextu, non pro auxilii collatione, sed pro ejus effectu seu conversione, & justificatione; intelligibile autem & amabile dicuntur infirma, dum amatur peccatum; quia, ex ultimis textûs verbis, curatur homo, *dum peccatum quod antea erat dilectum, est oditum*. Præterea in eadem quæstione supponit, peccatorem per auxilium Dei posse pœnitere, dum à contrario sensu, ex eo quod homo possit pœnitere, ostendit dæmonem pœnitere non posse.

XLII. Unde tantùm intendit Lullus, quòd Deus non potest quoad effectum juvare, id est, convertere & justificare peccatorem, dummodò ipse amet peccatum, & ipsi adhæreat, ac non pœniteat, prout quæst. 79. num. 2. explicat dicens: *Sicut homo existens in peccato mortali, qui à Deo non potest recipere misericordiam sine contritione, licèt Deus quoad se illi possit parcere*. Huic simile est quod de Christo dicitur Marci 6. 5. *& non poterat ibi virtutem ullam facere*; videlicet non poterat in sua Patria ullum facere miraculum, non quia ei deficeret potestas, sed quia nolebat, vel non decebat ingratis civibus illa conferre beneficia, ut exponit à Lapide, apud quem Victor Antiochenus sic scribit: *Quia enim ad impetrandam sanitatem utrumque coire debet, nimirum eorum, qui curâ egent, fides, & illius rursum, qui curaturus est, virtus: si alterum horum defuerit non temerè sanitatis beneficium obveniet*. Adeoque, cùm etiam ad peccatoris justificationem requiratur ejus aversio à peccato, & influxus Dei illum justificantis, dum ipse non se avertat à peccato, imò eidem adhæreat, non potest illum effectivè juvare, seu donare illo juvamine, quo reapsè in justificatione ponatur. Unde D. Greg. Hom. 31. in Evang. scribit: *Vocat* (Dominus) *sed non erigit, quando per ejus gratiam illuminamur, sed exigentibus nostris meritis adjuvari non possumus*.



DISSERTATIO VIII.

De sensu Lulli circa remanentiam pânis in Eucharistia, in Prop. 19. ipsi oppositam, ex quæst. 126. 127. & 129. lib. Sent. ubi exponuntur varii textus ex aliis libris deprompti in idem coincidentes.

§. I.

Ostenditur B. Lullum tenere eamdem Catholicam de Sacro-Sancta Eucharistia Doctrinam, quam Ecclesia, præcipuè in Concilio Tridentino, profitetur.

I. DOCTRINAM Catholicam de Sacro Sancto Eucharistiæ Sacramento exponit Concilium Tridentinum, sess. 13. &, quoad præsens institutum, his præcipuè canonibus, videlicet, *Can.* 1. « Si » quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri » verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum » anima & divinitate, Domini nostri Jesu-Christi, ac proindè totum » Christum; sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo vel fi- » gura, aut virtute, Anathema sit. *Can.* 2. Si quis dixerit in Sacro- » Sancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, » unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu-Christi, nega- » veritque mirabilem illam & singularem conversionem totius subs- » tantiæ panîs in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, » manentibus dumtaxat speciebus panîs & vini; quam quidem con- » versionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem ap- » pellat, Anathema sit. *Can.* 4. Si quis dixerit, peractâ consecra- » tione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & » Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, sed tantùm in usu, dum » sumitur; non autem ante, vel post; & in hostiis, seu particulis » consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel super- » sunt, non remanere verum Corpus Domini, Anathema sit. »

II. Tota hæc eadem doctrina datur à B. Lullo in libris omnibus, quibus agit de Eucharistia, ut ostendendum suscipio ex variis, quos ad manum habere potui. Itaque *in arte compendiosa inven. veritatem* (tom. 1. edit. Mogunt.) dist. 2. part. 2. pag. 25. quæst. 7. de Sacra-

mento Altaris, quæst. *Utrùm panis Hostiæ consecratæ, efficiatur verum Corpus Christi?* Resolvit affirmativè, & quinque probat rationibus, in quarum *ratione prima*, ait: « Quia majorem potestatem recolit me- » moria in Deo, cùm sub forma panis & vini facit stare carnem, » quàm faceret, si sensualitas videret & sentiret, quòd panis altera- » retur ex forma panis in formam & materiam carnis. » *Ratione* 3. scribit: « Cùm Corpus consecratum est in Altari, tunc movetur » bellum inter sensus sensuales, & intellectuales, & inter hoc quod » est substantiale, & accidentale; quia sensualitates affirmant panem, » quia sentiunt formam panis; sed intellectualitates affirmant veram » carnem, quia memoria recolit & intellectus intelligit, quòd per » illud Sacrificium tam miraculosum & virtuosum Deus & suæ Ca- » meræ (suæ perfectiones) meliùs recoluntur, intelliguntur, & » diliguntur .... & quia accidentia, quæ sensibus repræsentant, » nihil sunt ratione hujus quod significant, quia non habent subjec- » tum in quo consistant..... Ideo memoria recolit, quòd sensus » intellectuales sunt fortiores contra sensuales, quàm è converso. » Et tandem concludit Lullus: *Sic forma panis nihil est in hostia conse- crata, quia forma panis est alterata.* Eamdem quæstionem iterum proponit, & affirmativè resolvit, & probat ibid. dist. 3. part. 2. quæst. 10. pag. 32. Idem pariter ostendit lib. de *Princip. Theolog.* (tom. 1.) part. 1. dist. 6. *de Sacram.* pag. 19. tit. de *Sacrif. Altar.* quod esse probat quatuor rationibus; & præter alia, *ratione* 1. ait: *quòd est Sanctum Sacrificium Altaris, cùm Hostia ritè consecrata transubstantia- tur in veram Carnem & Sanguinem.*

III. Idem, lib. 4. Demonstration. (tom. 2.) cap. 20. de Sacrificio Altaris, num. 1. hæc habet: « Et ideo voluit (Deus) quòd Hostia » consecrata transubstantietur in veram Carnem Jesu-Christi, & quòd » sine ulla divisione Jesus-Christus sit in Cœlo, & in quolibet loco, » in quo sacrificatur, uno & eodem tempore. » & num. 3. « Supre- » mum bonum vult, quòd vera Caro, & verus Sanguis sint sub forma » (specie) panis per influentiam supremæ virtutis conjunctæ & » unitæ cum illo Sanguine & Carne Jesu-Christi. » etiam, num. 5. » » Scis-ne quare supremum bonum faciat miracula? Ad demonstran- » dum quòd sit Dominus naturæ, ad demonstrandum quòd singulis » diebus faciat hoc in Sacrificio Altaris, quod non potest facere na- » tura, quia natura non potest facere substantiam sine accidentibus, » nec accidentia sine substantia; & quia majus miraculum quod sit, » est, si Hostia transubstantietur in carnem, per hoc quod est majus

» miraculum, & quod fit sæpius, & quòd fit in pluribus locis, supre-
» mum bonum voluit demonstrare, se esse Dominum naturæ. »
Num. quoque 7. « Unde, si tu es Præsbyter, & dicis verba quæ
» conveniunt Sacrificio Altaris, quantuscumque peccator sis, totum
» hoc non obstat, quòd Hostia *non transubstantietur* in Corpus Jesu-
» Christi, quod est majus, quàm omnes aliæ creaturæ (ob unio-
» nem scilicet cum verbo) & sinit se comedi & tractari à te, & si
» tu es ægrotus, sinit se portari ad tuam Cameram, & sinit se tibi
» præsentari. »

IV. Pariter, lib. super Psal. *Quicumque vult salvus esse* (tom. 4.) part. 35. pag. 25. tit. *de Eucharistia*, Eremita quidam, *Blanquerna* nomine, qui toto libro repræsentatur instruens quemdam Tartarum, sic eum, num. 4. alloquitur: « Nam Dominus Jesus-Christus consti-
» tuit hoc Sacramentum, quod vidisti super altare, quod est Corpus,
» & Sanguis ejus, sicut ipsemet dixit, & voluit, ut illud fiat sum-
» mum opus supra cursum naturæ. » Contra hoc tamen, num. 6. sic objicit Tartarus: « Mihi videtur impossibile, quòd sub modico pane
» possit esse homo perfectus & integer in quantitate; præterea quòd
» in eodem tempore possit essentialiter esse in diversis & pluribus locis: similiter, quòd accidentia possint esse sine substantia, & è conversò. » At num. 7. respondet *Blanquerna*, quòd *videtur impossibile illud Sacramentum secundùm cursum naturæ; cognoscitur verò possibile hoc Sacramentum progrediens ex influentiis summi operis & infimi:*
» Quod ideo est, quia sicut homo habet manus ad palpandum,
» pedes ad ambulandum, &c. sic & multò meliùs habet Deus boni-
» tatem ad bonificandum, & magnitudinem ad magnificandum, &
» sic de aliis; unde, sicut materia habet appetitum patiendi, ut de
» ipsa fiat quidquid forma appetit, ita natura habet passionem ad
» patiendum illam operationem, quam divinæ dignitates de ipsa
» volunt agere. »

V. Similiter, lib. disput. Fidel. & Infidel. (tom. 4.) part. 5. de Sacramentis, num. 1. Catholicus dicit: « Quia Deus potest plus age-
» re de natura & in natura & supra naturam, si Sacramentum Eu-
» charistiæ est, quàm si non est, quia facit quòd creatura panis *tran-*
» *substantietur* in Hominem-Deum, videlicet Jesum-Christum; &
» facit quòd superentur tempus & locus, & quantitas, & cætera ac-
» cidentia natnræ ». At num. 2. sic objicit Infidelis: « Manifestum
» sit est, quòd quandocumque aliqua substantia transmutatur in aliam,
» impossibile, quòd, factâ transmutatione, remaneant accidentia

» substantiæ, quæ transmutatur, quia sic essent accidentia sine sub-
» jecto, quod est manifestè impossibile; sed si prædictum Sacramen-
» tum est in veritate, substantia panis, & vini transmutantur in subs-
» tantiam carnis, & sanguinis, permanentibus accidentibus panis &
» vini sine substantia panis & vini, quod est manifestè impossibile:
» Ergo prædictum Sacramentum Eucharistiæ non est ». Catholicus
» verò immediatè respondet: « Divina Sapientia attingit, quòd Di-
» vina Potestas possit agere supra creatam naturam, cùm attingat
» ipsam potestatem in magnitudine bonitatis, virtutis, & perfectio-
» nis; eodem modo similiter Divina Voluntas attingit ipsammet Po-
» testatem: igitur sapientia scit, & voluntas vult, quòd sua potestas
» possit supra naturam, sicut cogere quòd *accidentia stent sine subjecto*,
» & cætera supernaturalia.... & ita fit supra naturam, ut prædictum est.

VI. Prætereà, num. 4. sic insurgit Infidelis: « Si in Sacramento
» Eucharistiæ, sicut Christiani tenent, substantia panis transubstan-
» tiatur in corpus veri hominis, videlicet Jesu-Christi, sic necessariò
sequitur, cùm Corpus istius Hominis, videlicet Jesu-Christi, contineа-
» tur sub certa & determinata quantitate, aut quòd corpus illius aug-
» mentetur ultra metas quantitatis humani corporis, & hoc etiam
» in tantum posset augmentari, quantum universa substantia panis
» posset sufficere ad transubstantiandum; & sic non esset vera tran-
» substantiatio, quia expellit ipsum Corpus Christi à quantitate hu-
» mani corporis, & sic facit quòd sit imperfectus homo, quod est im-
» possibile: aut convenit, quòd, *factâ transubstantiatione*, tota illa
» substantia, quæ superfluit ultra quantitatem humani corporis, de-
» veniat in nihilum, quod est impossibile: Ergo Sacramentum Eu-
» charistiæ non est ». At Catholicus immediatè ita respondet: « Cùm
» transubstantiatio panis in Corpus Jesu-Christi veri hominis sit su-
» pernaturalis operatio, & conveniat quòd hæc sit, ut jam proba-
» tum est; dico quòd illa substantia panis sine quantitate ipsius pa-
» nis transeat in substantiam Corporis Jesu-Christi, videlicet in ve-
» rum corpus hominis, qui est Jesus-Christus; & ita est impossibile,
» quòd Corpus Christi augmentetur, cùm sine quantitate (noviter
» adveniente) sit impossibilis augmentatio.

VII. Insuper, num. 7. sic discurrit Catholicus: « Necessariò con-
» venit, quòd sit Sacramentum Eucharistiæ, & hoc manifestatur
» isto modo: divina potestas est tanta in actu bonitatis, magnitudi-
» nis, &c. quòd conveniat, quòd agat omnibus modis operandi,
» qui cedunt in summam nobilitatem & perfectionem dignitatum

» Dei, & actûs eorum, ut ipsa potestas nullo modo, quo possit » agere bonum, justum, magnum, &c. sit otiosa; & sic necessariò » convenit, *Primò* quod totus Deus Pater, qui est ipsa tota potes- » tas, generet de tota ipsa potestate Deum Filium.... *Secundò* au- » tem Deus operatur alio modo extra se; *& primò*, operando crea- » turas de nihilo, videlicet creando, ita quod *essentia nihili*, ut ita » loquar, *non remaneat in illo aliquo*, quod est creatum.... *Secundò* » est alia operatio potestatis, &c. Dei, & hæc est mirabilis in mag- » nitudine potestatis, &c. videlicet unire in uno supposito.... Deum » & creaturam, videlicet Deum & hominem, *remanente naturâ* » *utriusque in illo supposito* integrâ & perfectâ *& intransmutatâ*, ut » jam supra probatum est. *Tertiò* est alia operatio, quam Deus de- » dit creatæ naturæ, & etiam Artificibus, videlicet operari aliud de » alio, *permanente essentiâ & naturâ operabilis tunc in operato*, & in » ipso operabili existente nihil secundùm speciem vel figuram in qua » priùs erat; & in hac operatione assimilatur ipsa natura operatio- » nibus suæ causæ, quantùm potest. *Quartò* convenit quòd etiam di- » vina potestas agat aliam operationem, quia aliter esset insufficiens » magnitudini bonitatis, &c. videlicet quòd de alio fiat aliud, *non* » *permanente essentiâ nec naturâ factibilis in facto*, sicut essentia ni- » hili, ut ita loquar, non permanet in aliquo creato: ipso factibili » etiam, postquam est factum, id est *transubstantiatum*, existente ni- » *hil* secundùm speciem (substantiæ) & figuram, in qua priùs erat, » sicut supradictum est; & hæc talis operatio est Sacramentum Eu- » charistiæ: Ergo illud Sacramentum est, aliàs quoad istum modum » operandi divina potestas esset defectiva in actu nobilitatis, boni- » tatis, magnitudinis, &c. quod est impossibile; quia sic ad istum » modum implicaret in se potentiam (id est potentialitatem) quod » est impossibile: ergo prædictum Sacramentum est.

VIII. Idem Lullus Disput. *cum Hamar Saraceno* (tom. 4.) part. 2. in ejus par. 2. cap. 2. fig. 14. *de Eucharistia*, pag. 38. sic loquitur: « Et in ipso Sacramento est major participatio, & majus sig- » num divinæ potestatis, charitatis, & humilitatis inter Deum & » hominem, quæ potest esse in via; nam Deus communicat suam » infinitam potestatem finitæ potestati Presbyteri, quòd ipse possit » de pane facere carnem, & de vino sanguinem, sine generatione » & digestione & compositione *panis cum carne*, *& vini cum sangui-* » *ne*, & substantiæ cum accidente, & quòd idem homo, videlicet

„ Christus, sit in eodem tempore in Cœlo & in multis locis in terra,
„ & hoc Sacramentaliter.

IX. Idem in Lect. Art. invent. & Tab. gener. (tom. 5.) dist. 3. part. 1. quæst. 5. *de Sacramento Altaris*, per decem quæstiones agit diffusissimè de hoc Sacramento, explicans omnia, quæ de ipso docet Ecclesia, ex quibus aliqua delibabo. Itaque, quæst. 1. *Utrùm sit Sacramentum Eucharistiæ ?* Partem affirmativam variis probat rationibus, & num. 4. sic ait : « Major potestas boni, quam Deus po-
„ test dare homini, est illa, quam tribuit in Sacramento Altaris,
„ dando Presbytero potestatem, quòd de pane possit sanctificare
„ Corpus Christi, *transubstantiando* substantiam panis in carnem, &
„ vini in sanguinem Christi, & possit *removere ab accidentibus panis*
„ *& vini eorum propria subjecta*, & in illo Sacramento vincere na-
„ turam loci, quantitatis, temporis, ponderositatis, & figuræ ».
Quæst. 2. Quid est Sacramentum Altaris ? num. 1. scribit : « Et ideo
„ est hoc Sacramentum in tanta potestate virtutis, quòd non possit
„ esse major, quoniam homo cum potestate Dei habet tantam vir-
„ tutem, quòd panem *transubstantiet* in Corpus Jesu-Christi, & vi-
„ num in ejus sanguinem, & efficiat quòd *accidentia panis & vini*
„ *sustententur sine proprio subjecto*, & sine multiplicatione Corporis
„ Christi & ejus sanguinis.

X. Prætereà ibidem, num. 2. ait : « Quia ratione magnæ concor-
„ dantiæ, quam (*Deus & Homo*) habent, efficit homo de pane
„ carnem Jesu-Christi, & de vino sanguinem hìc inter nos, Christo
„ existente in Cœlo & in nobis, & carne existente in hostia, & con-
„ secrato sanguine existente sanguine in Calice & in Corpore, ita
„ quod differentia loci ibi non potest contradicere ». Et num. 5. :
« Nam quæ fides potest esse major, quàm credere, quòd panis *con-*
„ *vertatur* in Corpus Christi, & vinum in sanguinem, vidente &
„ tangente homine accidentia panis & vini, & non vidente & tan-
„ gente accidentia Corporis Christi ; & quod Christus, qui est in
„ Cœlo, existat in tam parva quantitate, sicut est hostia ; & quòd
„ in uno & eodem tempore sit in Cœlo & in terra ». Etiam num.
7. ait : « Nam Christus habet tam magnam charitatem erga nos,
„ quòd toties ipsum possimus habere quoties ipsum volumus habere
„ & recipere, & sumendo ejus corpus & sanguinem, sumimus ejus
„ animam conjunctam cum illo corpore ; & sumendo ejus humanita-
„ tem, sumimus ejus Deitatem, quæ illi humanitati est conjuncta ;
„ & quando sumus infirmi, ipse venit ad nos ; & quanta est ejus
„ virtus,

» virtus, tantùm se nobis tribuit. « Et num. 12. dicit : » Quia in » Sacramento Altaris principiat virtus potestatis, in quantum vir- » tus verborum de pane facit carnem, & de vino sanguinem. « Omitto reliqua, advertens quòd ferè in omnib. 200. §§. hujus quæst. 5. eadem repetitur doctrina.

XI. Idem *Lib. Proverb.* (tom. 6.) part. 3. cap. 21. de Sacramento Altaris, num. 6. ita habet : *In Sacramento Altaris Deus cum sua voluntate facit de pane carnem & de vino sanguinem, & Presbyter cum suis verbis.* Num. 7. *Presbyter cum suis verbis movet voluntatem Dei ad volendum in uno momento carnem de pane, & sanguinem de vino.* Num. 8. *Presbyter, cum potestate Dei, facit quòd vinum, quod est in calice, fiat sanguis Christi, & panis, qui est in hostia, fiat caro Christi.* Num. 9. *Presbyter, cum potestate Dei, facit sanguinem, qui est in calice, esse in carne, quæ est in hostia.* Num. 11. *Presbyter, cum potestate Dei, quam Deus illi dedit, facit accidentia esse sine substantia.* Num. 13. *Presbyter, qui facit quòd panis transubstantietur in substantiam Corporis Jesu-Christi, non addit aliquid in illa ; & generalis materia panis non perditur* (non in nihilum reducitur) *sed transmateriatur in materiam Corporis Christi.* Num. 15. *In Sacramento Altaris Presbyter vincit naturam temporis, loci, quantitatis, coloris, saporis, ponderositatis, & motûs ; & facit de natura quod vult.* Et num. 19. *Presbyter portat Jesum-Christum quò vult, & deponit illum ubi vult.*

XII. Idem *Lib. de* 1. *&* 2. *Intentione* (tom. 6.) cap. 5. pag. 15. Tit. *de Sacrificio*, num. 3. sic scribit : « Amabilis Fili, Sanctum » Corpus Nostri Domini Jesu-Christi est in Cœlo, & in omnibus » aliis locis, in quibus est consecratum per virtutem verborum ; & » ideo in sacrificio vincitur tempus & quantitas, motus & locus ; » quia uno tempore est in diversis locis, & sub modica quantitate » hostiæ est tota Persona Jesu-Christi, quæ est major quàm quanti- » tas hostiæ » ; & num. 4 ». Nam per hoc quod hostia non muta- » tur de colore, nec quantitate, nec de sapore, quamvis sub illa » sit forma & materia carnis, apparet in sensualitate (in sensuum » perceptione) quòd intellectualitas, quæ credit, *illam hostiam esse* » *Corpus Jesu-Christi*, non sit in veritate : Unde, si tu Fili, ten- » taris à tali tentatione, recurre ad divinam potestatem, quæ potest » facere omnia.

XIII. Idem *Lib. Arbor. Scientiar. in Arbor. Apostolic.* in ejusdem *Foliis*, Tit. *de Eucharistia*, præter alia sic, num. 4. scribit : « In Sa- » cramento Altaris participant Deus & Homo in magnitudine potes-

„ tatis, quoniam magna est potestas, quam Deus dat Presbytero, „ qui de pane facit carnem, & de ita pauco pane ita magnam car- „ nem, sicut est caro Christi, quæ magna est in quantum conjuncta „ est cum Deitate ; & idem est de vino & sanguine ; & magna po- „ testas est illa, quam Presbyter habet in loco, ubi facit Sacramen- „ tum, quoniam in illo loco de vino facit Sanguinem Christi, qui „ est in Cœlo „. Etiam Lib. de *Doctrina Puerili*, part. 3. cap. 25. de *Sacratissimo Sacramento Altaris*, num. 1. ait: *Hoc est Hostia consecrata transubstantiata in veram Carnem Nostri Domini Jesu-Christi*; & num. 10. *Scias Fili, quòd Deus vult, te credere, quòd Corpus Jesu-Christi est sub specie Hostiæ consecratæ, & ita est sicut Deus tibi præcipit credere.* Etiam lib. *Blanquerna*, lib. 5. c. 120. de septem Sacramentis, num. 4. dicit de Dei perfectionibus, quòd sunt adeo magnæ, quòd *sciunt, volunt & possunt, quòd sub forma panis sit vera caro & verus sanguis Sanctissimi Corporis Jesu-Christi ;* & num. 5. quòd, *Magnam potestatem ostendit Deus faciendo accidentia esse sine substantia, & substantiam sine accidentibus.* Tandem lib. *Clericus*, part. 3. *de septem Eccles. Sacram.* cap. 28. de *Sacramento Altaris*, num. 1. dicit: « Sa- „ cramentum Altaris, est signum Incarnationis Domini Nostri Jesu- „ Christi, qui facit ipsum Sacramentum esse id quod est, quia dat „ potestatem Presbytero, panem per verba, quæ dicit, in suam car- „ nem *transubstantiandi*, & vinum in suum sanguinem.

§. II.

Exponuntur textus notati cum eorum Censura, & demonstratur Lullum in eisdem non sentire substantiam panis remanere in Eucharistia.

XIV. Textus, ex quibus deducitur laudati Censoris propositio 19. Lullo impacta de remanentia substantiæ panis in Eucharistia, eorumque Censura, sic ab ipso proponuntur: Primus textus: *Cùm in Beatissima Trinitate, sit generatio, & spiratio sine motu, loco, & tempore, & quantitate, & sic de consimilibus, quæ sunt de sensitivo, & imaginativo, à simili in Altaris Sacramento, quod fit per translationem panis in Corpus Christi, & sic de vino in suum sanguinem; substantiâ panis, & sic de vino, dimittente sua accidentia, & existente sub accidentibus Corporis Christi, consistit sine motu locali, & augmentatione quantitatis, & successione temporis ; & talis operatio est illud speculum, in quo magis repræsentata est operatio Sanctæ Trinitatis*, q. 126.

Secundus textus : *Quando dicitur : hoc est Corpus meum, in pronomine* hoc, *non est substantia panis in Corpore Christi realiter, sed significativè, neque in hoc verbo* est, *neque in hoc nomine* corpus, *sed in hoc pronomine* meum. Quæst. 127.

Tertius textus : *Verumtamen secundùm aliud instans eveniens eadem substantia panis post transubstantiationem factam in Corpus Christi, potest in aliud Corpus transmutari, scilicet in Corpus panis, & recipere prima accidentia, quæ dimisit sine subjecto*. Quæst. 129.

Censura : Ex prædictis textibus colligitur, Lullum sensisse, *substantiam panis secundùm suum esse remanere post consecrationem in Eucharistia certô quôdam modô*. Ex primo quidem textu colligitur, quia ait, *substantiam panis & vini existere sub accidentibus Corporis Christi*. Ex secundo autem, quia dicit *non ante, sed post pronomen* meum, *substantiam panis, esse in Corpore Christi realiter*. Et ex tertio, quia asserit, *eamdem substantiam panis, post transmutationem in Corpus Christi posse in aliud Corpus transmutari, & recuperare accidentia dimissa*, sicut substantia argentea sciphi, quæ figuram dimissam recuperare potest.

XV. Sanè Beatus Lullus, ut evidenter constat ex §. 1. non obiter & perfunctoriè, sed ex professo, operosè & ex animi sententia in omnibus libris profitetur in Eucharistiæ Sacramento eamdem transubstantiationem, quam docet Ecclesia Catholica, eamque explicat, sicut omnes Doctores catholici; nam docet, quòd tota panis substantia convertitur & transubstantiatur in Corpus Christi, ita ut accidentia panis & vini maneant sine subjecto; & quòd Christus verè & realiter est in Sacramento sub speciebus Eucharisticis, quam doctrinam variis loquendi modis, & explicationibus adornat, ut ibi num. 2. dicens, quòd *forma panis nihil est in Hostia consecrata, quia forma panis est alterata in Corpus Christi; & quòd accidentia non habent subjectum, in quo consistant;* num. 5. quòd *accidentia extent sine subjecto ;* num 7. comparans operationem, quâ fit Eucharistia, cum aliis Dei operationibus, ad differentiam Incarnationis, quæ fit *remanente naturâ utriusque* (Hominis videlicet & Dei) *in illo supposito integra & perfecta & intransmutata ;* ad differentiam quoque operationis naturæ & artificum, quæ fit, *permanente essentia & natura operabilis in operato*, dicit de operatione, quâ fit Eucharistia, *quòd de alio fit aliud, non permanente essentiâ nec naturâ factibilis* (id est panis, ex quo fit Corpus Christi) *in facto*; & taliter quòd ipsum factibile, nempe panis, *postquam est factum, id est, transubstantia-*

tum, existit. nihil secundùm speciem & figuram, in qua priùs erat; id est nihil est panìs quantum ad essentiam & naturam panìs; & propterea subjungit, quòd ad differentiam aliarum operationum hæc transubstantiatio est similis creationi: *sicut essentia nihili, ut ita loquar, non permanet in aliquo creato;* id est, sicut in creatione ex nihilo, essentia nihili non permanet in creato, ita in transubstantiatione, quâ ex pane fit Corpus Christi, essentia panìs non permanet in Corpore Christi facto ex pane. Num. 8. quòd fit transubstantiatio *sine generatione, & digestione, & compositione panìs cum carne, & vini cum sanguine, & substantiæ cum accidente*, ad differentiam scilicet naturalium transmutationum; si autem in Eucharistia maneret substantia panìs & vini, saltem daretur compositio panìs cum carne, & vini cum sanguine, & substantiæ cum accidente. Num. 19. quòd removentur *ab accidentibus eorum propria subjecta, ita quòd accidentia panìs & vini sustententur sine proprio subjecto*: num. 11. quòd Præsbyter facit, *accidentia esse sine subjecto; & quòd faciendo quòd panis transubstantietur in substantiam Corporis Christi; non addit aliquid in illa* substantia Corporis Christi; adderet autem, si panis substantia secundùm suum esse permaneret.

XVI. Unde, cùm adeò clarè, & distinctè profiteatur Lullus transubstantiationem, ita ut panis taliter convertatur, quòd nihil maneat de ejus substantia, sed tantùm maneant accidentia, *quæ sine subjecto* remanent: justum est & rationabile, quòd quæcumque locutio obiter ab eo exposita, quæ videatur prædictæ opponi doctrinæ, in bonum sensum accipiatur, ut est omnium approbata critices & æquitatis regula; quia mens cujusque Authoris deprehendi debet, non ex eo, quod obiter scribit, sed ex doctrina ex professo, & operosè tradita: quare, cùm manifestè constet de sententia Lulli super totali panìs transubstantiatione, juxta eam debent intelligi quæcumque circa hoc mysterium proferat. Profectò eximius Suarez, tom. 3. in 3. part. disput. 49. sect. 2. circa finem, insurgit contra Bellarminum attribuentem Ruperto Abbati Tuitiensi errorem de impanatione per hypostaticam unionem, & præter alia sic scribit: « Deinde censeo, » non fore reprehensione dignum eum, qui varia hujus Authoris » (Ruperti) dicta observando, eum piè interpretari studuerit; » sunt enim in prædictis ejus locis multa, quæ indicare possunt, » illum non habuisse erroneum sensum; primò & præcipuè, quia » sæpè utitur nomine conversionis, maximè Joan. 6. ubi sæpius, » & verissimè & elegantissimè explicat hoc mysterium; & tractans

» illa verba : *Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum*, dicit, *panem* » *in veram ſubſtantiam Corporis Chriſti divina virtute converti*. Quòd » verò non loquitur de pane, quòd fiat Corpus Chriſti ratione » unionis, patet, tum quia idem dicit de vino, ſcilicet verti in » ſanguinem : quod per ſolam unionem non poſſet eſſe verum ; tum » etiam quia dicit, illud Corpus eſſe ipſum, & quod de Cœlo deſ- » cendit, & ſumptum eſt ex Virgine, quia Chriſtus dixit : *Hoc eſt* » *Corpus, quod pro vobis tradetur :* quod etiam non poteſt verificari » de corpore panîs ratione unionis, ut nos etiam ſupra argumenta- » bamur. »

XVII. Deinde ſubdit immediatè Suarez : « Præterea ibidem dicit, » Hæreticos decipi, eò quòd panis & vinum nihil de externa ſpecie » mutarint : propter quod putant non eſſe verè facta Corpus & » Sanguinem Domini ; & ſubdit, *crede quia panis iſte ſenſibilis & vi-* » *num, quamvis nihil de exteriori ſpecie mutatum ſit, in alium tran-* » *ſierunt, & in illum cibum potumque converſa ſint, qui Angelorum* » *victus eſt*. Denique tractans eadem verba : *panis, quem ego dabo,* » *caro mea eſt, inquit ; panem, ut vitam det æternam, in carnem ſuam* » *tranſmutari ;* nomina autem converſionis & tranſmutationis non » videntur cum hypoſtatica unione quadrare : nunquam enim ille » dixit, humanitatem eſſe converſam in divinitatem propter hypoſ- » taticam unionem : videtur ergo poſſe piè explicari, ſuppoſitis præ- » dictis ejuſdem Authoris verbis, & conjecturis, ſi diſtinguamus in » pane ſubſtantiam, & ſpeciem ſenſibilem, & intelligamus Chriſtum » eſſe factum panem, non materialem, ſed panem vitæ, aſſumendo » panem, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad ſpeciem ſenſibilem, » quam ſibi aliquo modo univit. Unde in citato loco Exodi apertè » dicit, *panem ſecundùm exteriorem ſpeciem, quâ ſenſibus ſubjicitur,* » *non mutari* : quod inferiùs explicans, dicit, panem non eſſe mu- » tatum in carnis ſaporem, nec vinum in ſanguinis horrorem. De- » nique non minùs expreſſa videntur verba Theodoreti ; & tamen » piè exponimus propter alias ejuſdem ſententias : cur ergo non po- » terit idem fieri in Ruperto. »

XVIII. Hæc graviſſimè Eximius Doctor pro Ruperto Abbate, quem egregiè vindicavit Gabriël Gerberonius Benedictinus Congregationis Sancti Mauri : cur ergo non poterit idem fieri in B. Lullo ? Cùm tamen non ſint adeo gravia loca, quæ de Lullo afferuntur, quantùm ea, quæ contra Rupertum allegantur ; & fortè Rupertus non adeo clarè totalem panîs tranſubſtantionem explicuit, ut Lullus,

prout vidimus totô §. 1. Unde non possum sufficienter mirari, Censorem laudatum attribuere Lullo errorem de permanentia substantiæ panis secundùm suum esse post consecrationem in Eucharistia, tanquam ab ipso expositum in hoc *libro*, *Quæst. super* Lib. *Mag. Sentent.* Cùm fortè nullibi clariùs loquatur Lullus de totali panis transsubstantiatione; nam in quæst. 125. 126. & 129. quas citat idem Censor, apertissimè docet totalem transsubstantionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi, ita quod accidentia panis, & vini maneant sine subjecto; & signanter quæst 129. num. 1. dicit: *Unde quando sacramentaliter fit transmutatio de substantia panis in Corpus Christi, fit formaliter & materialiter, ut tota essentia substantiæ panis transmutetur, aliàs non posset fieri totaliter nec substantialiter.* Cùm itaque adeo apertè fateatur Lullus, quòd in transsubstantiatione Eucharistica fit transmutatio formaliter & materialiter, ita ut tota essentia substantiæ panis transmutetur, aliter non posset fieri transmutatio totaliter nec substantialiter, qualiter debet fieri: judicet sincerus Lector, quomodo potest ipsi attribui doctrina de permanentia substantiæ panis in Eucharistia.

XIX. At quàm immeritò hæc doctrina ipsi attribuatur, ampliùs patebit ex debita reflexione textuum, ex quibus prælaudatus Censor infert notatam propositionem; & quidem præmoneo, Lullum in eodem lib. Sentent. quæst. 125. quærere: *Utrùm Sacramentum Altaris sit possibile?* Cùmque hanc quæstionem excitet super Magistrum Sentent. idipsum intelligit per Sacramentum Altaris, quod Magister in 4. à dist. 8. Resolvit Lullus prædictam quæstionem affirmans, num. 1. *quòd Sacramentum Altaris sit possibile, quoad Deum, & impossibile quoad creaturam;* & subjungit, quòd, si ex impossibilitate quoad creaturam absolutè non potest esse, *potestas creaturæ per suam impossibilitatem posset esse inobediens, & potens contra divinam infinitam potestatem, quod est impossibile.* Postea, num. 2. probat esse possibile per hæc verba: « Præterea divina sapientia potest intelligere *tran-* » *substantiationem panis in Corpus Christi*, & sic de vino in sangui- » nem; & idem potest velle divina voluntas, & per consequens di- » vina potestas possificare (ad effectum deducere) & perficere, » cùm divina potestas sit ita magna in posse, sicut divina sapientia » in scire, & divina voluntas in velle: unde sequitur, quòd Sacra- » mentum Altaris sit possibile. » Et num. 4. respondens ad objectionem Eremitæ, docet hoc Sacramentum esse possibile *supra natu-*

ram: atque ita planum est, Lullum docere, Sacramentum Altaris esse possibile per transubstantiationem.

XX. Prælaudatus Censor, ex quæst. 126. *Utrùm Sacramentum Altaris debeat esse?* Debitô scilicet decentiæ & morali, desumit primum textum, num. 14. adductum, ex quo deducit notatam propositionem; pro clariori tamen intelligentia integrè illum expono: itaque Lullus, ut probet Sacramentum Altaris debere esse, num. 1. ostendit, quòd *omne illud, per quod divina Trinitas magis potest intelligi ab humano intellectu, debet esse*, quô positô, num. 2. sic scribit « Item Text. prop. 19.
» dixit Raymundus, quòd major similitudo beatissimæ Trinitatis,
» *quoad modum* consistat per Sacramentum Altaris, cùm in beatissi-
» ma Trinitate sit generatio, & spiratio sine motu, loco, tempore,
» & quantitate, & sic de similibus, quæ sunt de sensitivô & imagi-
» nativo (id est per sensum, & imaginationem percipiuntur) à si-
» mili in Sacramento Altaris, *quod fit per transubstantiationem panis*
» *in Corpus Christi, & sic de vino in suum sanguinem, substantiâ panis,*
» *& sic de vino, dimittente sua accidentia, & existente sub accidentibus*
» *Corporis Christi*, transubstantiatio consistit sine motu locali; &
» augmentatione quantitatis, & successione temporis; & talis opera-
» tio est illud speculum, in quo magis præsentatur operatio Sanctæ
» Trinitatis, in qua motus, tempus, quantitas, locus & cætera his
» similia, non habent locum, nec possunt habere: ergo sequitur,
» quòd tale speculum & tale signum debeat esse, ut plura bona inde
» sequantur, ut supradictum est, & nullum malum. »

XXI. Profectò obvius sensus in hoc textu est, prout ad præsentem spectat scopum, quòd per transubstantiationem substantia panis relinquit sua accidentia, & fit Corpus Christi, taliter quòd, cum ipsa prout transubstantiata sit ipsum corpus Christi, quod existit sub suis accidentibus: ipsa transubstantiata & facta Corpus Christi existit sub ejus accidentibus: quod, ut clariùs pateat, notandum, quòd hic textus in editione Panormitana anni 1517. quâ videntur usi fuisse Censores Romani, habet *per translationem*, ubi ex editione Moguntina moderniori dicitur, *per transubstantiationem*, in illa etiam obscurus est aliqualiter sensus, quia omittitur dictio *transubstantiatio* ante verbum *consistit sine motu*, *&c.* ex cujus omissione non habetur perfectus sensus, prout in Moguntina. Hôc posito, manifestum est, intentum principale hujus textûs esse, manifestare, quòd sicut in Deo est generatio & spiratio sine motu, loco, & aliis accidentibus, sensu & imaginatione perceptibilibus, ita in Sacramento Altaris fit transubstan-

tiatio panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi, sine motu locali & augmentatione quantitatis ac successione temporis; & quia hujusmodi transubstantiatio est operatio magis repræsentans & significans operationem Dei ad intrà in Sancta Trinitate; ideò debet esse hoc Altaris Sacramentum; quia, ut, num. 1. ostendit, debet esse illud, per quod divina Trinitas magis potest intelligi.

XXII. Deinde explicat Lullus in hoc Textu ipsam transubstantiationem, per quam fit Sacramentum Altaris, & resultantiam, quæ ad ipsam consequitur, videlicet, quòd substantia panis transubstantiatur, & convertitur in Corpus Christi, relinquendo ex vi conversionis sua accidentia: *Substantiâ panis, & sic de vino, dimittente sua accidentia;* & ex hac conversione resultat, quòd substantia panis, quæ per transubstantiationem est facta ipsummet verum Corpus Christi, quod existit sub suis accidentibus, quatenus est transubstantiata, quo modo est ipsummet Corpus Christi, est sub accidentibus Corporis Christi; propter quod dicit; *& existente* (substantiâ transubstantiatâ & factâ Corpus Christi) *sub accidentibus Corporis Christi:* cùm enim, ut sæpè docet ex supra adductis cum Catholica Ecclesia, maneant in Eucharistia accidentia panis, & vini sine subjecto, substantia panis in actu transubstantiationis dimittit seu relinquit sua accidentia, quæ manent in suo esse, & ipsa transmutatur & convertitur in aliud, videlicet in Corpus Christi; & postquam est transubstantiata & conversa in ipsum, est facta Corpus Christi per suî conversionem in illud; & quia sic est Corpus Christi, quod existit sub suis accidentibus, ideo ipsa sic, id est, ut transubstantiata & facta Corpus Christi, existit sub accidentibus Corporis Christi; nam, ut infra manifestabimus ex Patribus, est phrasis usitatissima in Ecclesia, quòd panis consecratus, transubstantiatus seu conversus, est ipsum verum Corpus Christi, quod existit sub suis accidentibus: ac proinde verissima est Lulli locutio, quòd in transubstantiatione substantia panis dimittit sua accidentia, & quatenus transubstantiata, quo modo est ipsum Corpus Christi, existit sub ejus accidentibus, prout Cajetanus, in 3. part. quæst. 75. art. 2. §. *Ad tertium autem*, explicat, dicens: *Habemus, non quòd panis, sed id, quod fuit panis, est ubi est Corpus Christi; quia est ipsum Corpus Christi verum, quod est in Cœlo; & ex hac parte concedendum est, quòd conversum acquirit conditiones ejus, in quod est conversum; nec potest hinc inconveniens aliquod inferri.*

XXIII. Ex hoc manifestè patet, Lullum in dicto Textu, dum loquens de transubstantiatione dicit, substantiam panis, dimissis suis accidentibus

cidentibus existere sub accidentibus Corporis Christi, ex quo in citata Censura, num. 14. deducitur propositio erronea sibi impacta, non loqui de substantia panis absolutè, nudè, & in natura panis sumptâ, sed de substantia panis consecratâ, transubstantiatâ, conversa in Corpus Christi, seu facta Corpus Christi: Unde, cùm propositiones debeant ex Autoribus erui, attento contextu, & ejus modificationibus, ex dicto integro Textu solùm potest erui hæc propositio: *Substantia panis consecrata, vel transubstantiata, vel conversa in Corpus Christi, est sub accidentibus Corporis Christi; vel est Corpus Christi*: quæ quidem est Catholicissima; non autem illa, quam intulit laudatus Censor; videlicet tenere Lullum *substantiam panis secundùm suum esse remanere, post consecrationem in Eucharistia certo quodam modo novo*; quia, ut est evidens ex dictis, non asserit Lullus, substantiam panis secundùm suum esse existere sub accidentibus Corporis Christi, sed tantùm substantiam panis transubstantiatam & factam Corpus Christi existere sub ejus accidentibus, quod est verissimum; nec in toto contextu, nec in totis quinque quæstionibus hujus libri, in quibus agit Lullus de Eucharistia, est ullum vel leve indicium de remanentia substantiæ panis *secundùm suum esse in Eucharistia*; imò prætèrquam quòd, ut est evidens ex dictis, in oppositum est perpetua Lulli sententia, contrarium clarè deducitur ex hac eadem quæstione, & infra deducetur ex consequentibus; nam in adducto Textu asseritur vera transubstantiatio panis in Corpus Christi: quomodo autem esset transubstantiatio, si panis substantia remaneret secundùm suum esse? Præsertim cùm ex dictis explicet Lullus hanc transubstantiationem per hoc, quòd, ad differentiam aliarum operationum, non remaneat essentia & natura transubstantiabilis; & asserat ita esse, ut tota essentia substantiæ panis convertatur in Corpus Christi. Prætereà in hoc Textu asseritur, accidentia remanere sine subjecto, quia ea relinquit substantia panis dum transubstantiatur: quomodo ergo substantia panis secundùm suum esse potest remanere? Deinde in eadem quæstione, num. 3. dicitur, quòd in *Altari est Christus sacramentaliter presens*: ubi ergo potest esse substantia panis? An ergo erit Christus cum ipsa, & compositus cum eadem? Quorsùm ergò tantus apparatus, quo Lullus explicat transubstantiationem, conversionem, transmutationem, & translationem substantiæ panis? Sanè si maneret substantia panis secundùm suum esse, transubstantiatio non esset transubstantiatio, nec conversio, &c.

XXIV. Non deducitur etiam relata Censoris propositio ex secundo

Textu, quem, num. 14. citat ex q. 127. ejusdem libri, ubi quæritur: *quid demonstrat hoc pronomen* hoc, *cùm dicitur:* Hoc est Corpus meum? Nam num. 1. resolvitur, quòd « quando dicitur hoc pronomen *hoc*, ipsum *hoc* est demonstrans; & *est* & *Corpus* dicunt demonstrare; & demonstrabile stat in prædicto pronomine *hoc*, & demonstratum stat in ultimo pronomine *meum*, quod in eodem instanti stat cum *transubstantiatione panis in Corpus Christi:* ideo hoc pronomen *hoc* demonstrat, quòd hic panis sit *transubstantiabilis in corpus Christi* in ultimo pronomine demonstrato per primum prolativè, & significativè »: quibus verbis intelligitur, quòd, cùm verba consecrationis sint effectiva transubstantiationis, ly *hoc* demonstrat panem transubstantiabilem, in eodem instanti, quo dicitur pronomen *meum*, esse transubstantiatum in corpus Christi; & quia dicta verba nedum sunt effectiva, sed etiam assertiva, & demonstratum per ipsa, *stat in pronomine* meum, *quod in eodem instanti stat cum transubstantiatione panis in corpus Christi;* ideo prolativè & significativè pronomen *hoc*, ordinatum & relatum ad pronomen *meum*, demonstrat corpus Christi, quatenus in ipsum est transubstantiatus panis per dicta verba; si enim hæc proferrentur super alia substantia, & non super pane, qui solus ex Christi institutione est transubstantiabilis, non demonstraretur corpus Christi, nec fieret in ipsum transubstantiatio.

XXV. Postea, n. 2. sic scribit Lullus: « Item quando dicitur *hic est homo*, *hic* significat hominem qui est in illo instanti, in quo est pronomen, sed ipse homo non est demonstratus ante *est*, sed post ipsum *est*, cùm *est* indigeat habere unum instans, & *homo* aliud; à simili quando dicitur: *hoc est Corpus meum.* » Id est, Corpus Christi non est demonstratum, ut dixit, num. 1. nisi in instanti, quò dicitur pronomen *meum*, & propterea subjungit immediatè: « Sed talis similitudo non est similitudo simpliciter, sed secundùm quid; quia hoc nomen *homo* & suum subjectum, scilicet verus homo, sunt in eodem instanti, & *est* & verus homo sunt in alio instanti, in quo non est hoc nomen *homo*: » Unde hæc est differentia inter hanc propositionem: *hic est homo*, & verba consecrationis: *hoc est Corpus meum*, quòd verus homo, qui est demonstratus per illam, licèt adhuc non sit demonstratus dum dicitur *hic*, sed solùm dum dicitur *est homo*, existit tamen in instanti, quo dicitur *hic*, & in alio instanti, quo dicitur *est homo*; Corpus Christi verò, quod est demonstratum per verba consecrationis, non existit, ut terminus

transſubſtantiationis panis, dum dicitur pronomen *hoc*, nec alia verba *eſt*, & *Corpus*, ſed tantùm dum dicitur pronomen *meum*; & propterea ſubdit Lullus: *Ita, quando dicitur:* hoc eſt Corpus meum, *in hoc pronomine* hoc *non eſt ſubſtantia panis in Corpore Chriſti* (id eſt non eſt tranſubſtantiata in Corpus Chriſti) *réaliter, ſed ſignificativè, nec in hoc verbo* eſt, *nec in hoc nomine* Corpus, *ſed in hoc pronomine* meum; quia, ut dixit, num. 1. *pronomen* meum *ſtat in eodem inſtanti cum tranſubſtantiatione panis in Corpus Chriſti.* 1. Text. prop. 19.

XXVI. Ex ultimis verbis textûs relati deducit laudatus Cenſor notatam propoſitionem, *quia dicit* (Lullus) *non ante, ſed poſt pronomen* meum, *ſubſtantiam panis eſſe in Corpore Chriſti realiter*; at, cùm, ut explicetur quid demonſtret pronomen *hoc* ſimul cum aliis verbis ſubſequentibus, agat Lullus de tempore vel inſtanti, quô fit tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti per verba conſecrationis, ut patet ex toto textu; & hæc non fiat niſi in inſtanti, quo dicitur pronomen *meum*, ideo dicit, quòd niſi in hoc pronomine *meum* non eſt ſubſtantia panis in Corpore Chriſti realiter: quæ verba, qui ſincerè expendere velit juxta contextum, non intelliget, niſi quòd ſolùm prolatô hôc pronomine *meum* realiter eſt tranſubſtantiata & converſa ſubſtantia panis in corpus Chriſti: ac proinde juxta ſinceram intelligentiam, *de ſubſtantia panis, nudè, abſolutè, & in ſua natura acceptâ, non dicitur eſſe in corpore Chriſti realiter; ſed tantùm de ſubſtantia panis conſecratâ, tranſubſtantiatâ, & converſâ in corpus Chriſti affirmatur eſſe in corpore Chriſti realiter*, tanquam in termino, in quem eſt converſa; quia per converſionem eſt facta ipſummet corpus verum Chriſti; atque ita non ſecundùm ſuum eſſe naturale panis, ſed quatenus converſa eſt in corpore Chriſti; dicitur autem eſſe modô dictô realiter in corpore Chriſti, prout ly *realiter* contra ponitur ly *ſignificativè*, quia dum verba proferuntur, ante pronomen *meum* ſolùm ſignificatur ſubſtantiam panis eſſe tranſubſtantiandam; dum autem dicitur pronomen *meum* fit realiter ipſa tranſubſtantiatio, & quia tunc ſubſtantia realiter eſt tranſubſtantiata in corpus Chriſti; tunc, quatenus tranſubſtantiata, eſt in corpore Chriſti realiter, in quod eſt converſa.

XXVII. Quòd autem mens Lulli non fuerit, ſubſtantiam panis ſecundùm ſuum eſſe manere in corpore Chriſti, præter ſupra adducta de mente ipſius ſuper totali ſubſtantiæ panis converſione in corpus Chriſti; juxta quæ, ſecundùm rectæ critices regulas, debent ejus verba obiter dicta interpretari, manifeſtum fit ex eadem quæſ-

tione, & verbis ex ea relatis; nam in eis ſupponitur & affirmatur vera tranſubſtantiatio, quæ per ſe pugnat cum remanentia ſubſtantiæ panis. Deinde ibidem, num. 3. ſic objicit Eremita: « Quando » Præsbyter dicit hoc pronomen *hoc*, in illo intanſti, in quo hoc » dicit, non eſt facta tranſubſtantiatio; & ſic videtur, quod *hoc* de- » monſtret panem realiter, & non corpus Chriſti; unde ſequitur » quòd *eſt*, & *Corpus meum*, non concordent cum hoc pronomine » *hoc*, nec ſint conſequentia ipſius, nec cum ipſo participent, cùm » ſit differentia inter panem, & corpus Chriſti; & ideo hoc prono- » men *hoc* non demonſtrat corpus Chriſti, ſed panem, qui panis » eſt in eodem inſtanti cum hoc pronomine *hoc*: Unde ſequitur quòd » Præsbyter non dicat verum, quando dicit *hòc*, ſcilicet *hoc* panis » eſt corpus meum. » At, num. 4. ita reſpondet Lullus: « Sicut in » Sacramento Altaris color, ſapor, figura, & quantitas, ſignificant & » demonſtrant panem quoad ſenſitivum, & imaginativum (id eſt, » ſenſui & imaginationi percipientibus ea) ſic in primo pronomine » & ultimo ſucceſſivè per *eſt* & per *Corpus*, ſignificatum & demonſ- » tratum eſt corpus Chriſti quoad intellectivum (id eſt intellectui) » in quo perficitur demonſtratio, licèt ſit falſa ſignificativè & de- » monſtrativè quoad ſupra dicta accidentia panis, *quæ exiſtunt ſine* » *ſubjecto*, quæ falsò modò quoad ſenſitivum, & imaginativum ſig- » nificant, ſe ipſa naturaliter eſſe in proprio ſubjecto; ſed hoc pro- » nomen *hoc*, & hoc verbum *eſt*, & hoc nomen *Corpus*, & hoc » pronomen *meum*, ſignificant, & verò modò & ſupra curſum na- » turæ, intellectui corpus Chriſti, qui intellectus eſt fortior, verior » & nobilior ad recipiendum veritatem & demonſtrationem, quàm » ſenſitivum, & imaginativum, quæ quoad eorum naturam frequen- » ter decipiuntur; ſed intellectus quoad ſuam naturam nunquam de- » cipitur, immò quandoque attingit veritatem *ſupra ſuam naturam* » *per fidem*; & ideo tua ratio non valet. »

XXVIII. Ex hac reſponſione *Primò* conſtat, duplicem eſſe ſignificationem & demonſtrationem; unam ex parte accidentium, quæ ſenſui & imaginationi ſignificant, ſe ipſa eſſe naturaliter in proprio ſubjecto, & hæc ſignificatio & demonſtratio eſt falſa, quia accidentia falſo modo ſignificant ſe eſſe in proprio ſubjecto; alia ſignificatio & demonſtratio eſt ex parte verborum: *hoc eſt Corpus meum*, quæ intellectui ſupra ſenſum & imaginationem ſignificant & demonſtrant corpus Chriſti ſupra naturam, atque ita demonſtratum per pronomen *hoc* eſt corpus Chriſti, & hæc ſignificatio & demonſtra-

tio est vera quoad intellectum, licèt quoad sensum & imaginationem, percipientes accidentia, non appareat vera; quia licèt, dum profertur pronomen *hoc* & alia verba usque ad pronomen *meum*, non sit facta transsubstantiatio, quia tamen ordinantur ad pronomen *meum*, in cujus prolatione perficitur significatio & demonstratio, & in instanti, in quo profertur, fit transsubstantiatio, ideo pronomen *hoc* cum aliis verbis demonstrat corpus Christi, prout in ipsum est transsubstantiata panis substantia. *Secundò*, constat, substantiam panis quoad suum esse nullatenus manere, nedùm quia accidentia panis *existunt sine subjecto*, sed etiam quia *falso modo* sensui & imaginationi *significant seipsa naturaliter esse in proprio subjecto*; atque ita ex toto contextu deducitur non manere substantiam panis in Eucharistia secundùm esse suum, & solùm ibi esse corpus Christi sub ejus accidentibus, quia solùm corpus Christi est demonstratum per verba consecrationis, non autem panis substantia, ut prætenditur in objectione sibi proposita.

XXIX. Proindè ex sincera textûs notati inspectione patet, Lullum, dum dicit, quòd substantia panis est in corpore Christi realiter, tantùm in hoc pronomine *meum*, solùm & unicè intendere, quòd in eodem instanti, quo profertur pronomen *meum*, substantia panis est transsubstantiata in corpus Christi, non autem in instantibus antecedentibus, quibus proferuntur alia priora verba, quia in ipsis solùm significatur esse transsubstantiandam in pronomine *meum*, ad quod antecedentia verba ordinantur ad habendum perfectam significationem & demonstrationem; nihil autem cogitasse eumdem Lullum de remanentia substantiæ panis in Corpore Christi cùm contrarium doceat ejus perpetua & expressa sententia, juxta supra allegata, & contrarium pariter doceat in toto hoc contextu exposito. Si tamen quis insistere velit, quòd quamvis hæc fuerit ejus mens, modus tamen loquendi in verbis à laudato Censore notatis, insinuat substantiam panis quodam modo remanere, cùm dicat eam in pronomine *meum* esse realiter in corpore Christi, dico, quòd ex contextu solùm intelligitur substantiam panis transsubstantiatam & factam corpus Christi esse in corpore Christi, ac proinde solùm potest inferri, remanere substantiam panis prout transsubstantiatam, non autem secundùm suum esse; quia dicitur esse in corpore Christi tanquam in termino, in quem est conversa; atque ita dici potest remanere, non quia persistat suum esse, sed quia remanet terminus, in quem est transsubstantiata: in quo tamen intelligitur id ipsum, quod omnes

Catholici dicunt, quia omnes conveniunt in eadem doctrina, quæ resultat ex toto Lulli contextu, prout manet exposita.

XXX. Multi etiam explicando, qualiter in transubstantiatione non annihilatur substantia panis, simili modo loquendi, immò fortè notabiliori, utuntur ac Lullus, ut Henric. Gandav. Quodlibet 9. quæst. 9. Quodlibet 11. quæst. 4. & quodlib. 12. quæst. 10. ubi sic scribit: » Non est ergo dicendum simpliciter, quòd istâ conversione factâ, » substantia panis non manet, sicut nec est dicendum, quòd manet, » sed dicendum est, quòd quodammodò manet, & quodammodò » non manet. Nihil manet substantiæ, nec ipsa manet aliquid om- » ninò, vel quod priùs erat, vel quod posteà facta est; nec tamen » annihilatur, quia manet in aliquo, quia in eo, in quod est con- » versa; quod tamen nec priùs erat, nec postmodum facta est. » Posteà in responsione ad primum argumentum ita habet: « Et quia » panis non annihilatur, manet quoquo modo in eo, in quod conver- » titur, ut propterea videatur posse dici (quod tamen non assero) » quòd ly *hoc* dicendo *hoc est corpus meum*, non solùm demonstrat » quod est sub speciebus pro instanti finitæ prolationis, & conver- » sionis factæ in ipsum corpus Christi, in quod facta est conversio, » secundùm quod aliàs exposuimus; sed quod pro tempore prola- » tionis demonstrat substantiam panis pro ipsa; & in dicto instanti » demonstrat eam ut jam est conversa in corpus Christi, & sic non » pro substantia panis, sed tantummodo pro eo, in quod jam con- » versa est, in quo manet quoad hoc, quòd non annihilatur.

XXXI. Doctor Angelicus, 3. part. quæst. 75. art. 2. ad 3. ait: » Ad tertium dicendum, quòd licèt post consecrationem hæc sit » falsa: *substantia panis est aliquid*, id tamen, in quòd substantia panis » est conversa, est aliquid, & ideò substantia panis non est annihi- » lata. » Cajetanus ibi, relatis D. Ambrosii verbis ex cap. *Panis*. dist. 2. *de consecrat.*, videlicet: *si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperet esse, quod non erat, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis, jam corpus Christi est, quia sermo Christi creaturam mutat*, &c. sic advertit: » Ubi nota. *Primò*, ly *ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur*: » hîc enim manifestè habes Ambrosium dicere, quòd sunt quæ erant » & in aliud sunt commutata; & hinc apparet figmentum esse dicere, » quòd quæ erant & in aliud sunt commutata, nihil sunt; nam si » sunt, ut Ambrosius asserit, sequitur quòd non sunt nihil. » Prætereà D. Thomas, ibidem, art. 4. ad 3. dicit. « Quòd virtute agentis fi-

» niti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam,
» sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens,
» potest talis conversio fieri, quia utrique formæ, & utrique mate-
» riæ est communis natura entis, & id quod est entitatis in una po-
» test actor entis convertere in id, quod est entitatis in altera, su-
» blato eo per quod ab illa distinguebatur. » Cajetanus prædicta ex-
plicans verba sic scribit: « Quod autem subditur: *sublato eo per quod*
» *ab illa distinguebatur*, proculdubio ad differentiam proprii distinc-
» tivi à communi natura entis subjunctum est. Sed hujusmodi diffe-
» rentia non consistit in hoc, quod entitas rei, putà panis, conver-
» tatur in entitatem alterius rei, puta corporis Christi, panis verò
» proprium constitutivum, per quod specie distinguitur ab altera re,
» puta corpore Christi non convertatur in alteram rem, puta corpus
» Christi, sed tollatur, non conservando ipsum in esse; sed consistit
» hujusmodi differentia in hoc, quòd, dum tota res, quæ est panis,
» convertitur in corpus Christi, formalis ratio naturæ entis salvatur,
» formalis verò ratio proprii constitutivi & distinctivi panis non sal-
» vatur; post conversionem enim panis in corpus Christi, *panis en-*
» *titas conversa, entitas quædam est*, panis verò conversus, panis non
» est; sic enim verificatur, quòd sit conversio entitatis in entitatem;
» sublato eo per quod distinguebatur.

XXXII. Denique Clariss. Berti de Theolog. disciplin. lib. 33. cap. 10. objec. 5. respondens ad argumentum ex Patrum verbis, qui videntur dicere in Eucharistia remanere panem, ut Ambrosius loco citato, à Cajetano, ita scribit: « Respondeo juxta Patres re- » manere panem & vinum in genere, & non in specie; & quòd » prior substantia non redigatur in nihilum, sed persistentibus acci- » dentibus fiat corpus Christi. » Itaque si juxta prædictos verificatur, quòd panis substantia quodammodò manet, in eo scilicet, in quod est conversa; quod non est nihil, sed quodammodo est, quia id, in quod est conversa, aliquid est; & sic panis entitas conversa, entitas quædam est; & quod panis & vinum manent in genere, licèt non in specie; quid mirum, si Lullus, ut explicaret realem panis conversionem solùm fieri in instanti, quo in verbis consecrationis profertur pronomen *meum*, non autem dum antecedentia proferuntur verba, dixerit quòd non in antecedentibus, sed in ipso pronomine *meum*, *est substantia panis in corpore Christi realiter*, id est realiter est in ipsum transsubstantiata; & sic dicere quod panis substantia,

non secundùm suum esse, nec in sua natura & essentia, sed quatenus transsubstantiata & conversa, est in corpore Christi?

XXXIII. Tandem, laudatus Censor notatam propositionem deducit ex alio Textu extracto ex q. 129: *Utrùm Deus posset transmutare substantiam panis eamdem numero in plura Corpora?* Ut autem mens Lulli videatur, considerandus est integer Textus. Itaque, num. 1. sic discurrit: « Dixit Raymundus: in 63. quæstione (in qua resolvit, » quòd non sola materia est causa individuationis) solutio hujus quæs» tionis est significata: Unde quando sacramentaliter fit transmuta» tio de substantia panis in corpus Christi, fit *formaliter* & *materia*» *liter*, ut *tota essentia substantiæ panis transmutetur*, aliàs non posset » fieri transmutatio substantiæ *totaliter*, nec *substantialiter*: & ideo » Eremita, in illo instanti, in quo fit transmutatio, substantia tran» sit ad unum individuum tantùm, scilicet ad corpus Christi, de » pane in carnem, & ipsa substantia in illo instanti non potest trans» mutari in aliud corpus, quia ipsa substantia existens unum indivi» duum per formam & materiam individuatum (per sui conversio» nem) in corpus Christi sacramentaliter & totaliter, non potest » esse idem in pluribus corporibus individuatis; aliàs, si unum in» dividuum individuatum & transmutatum in aliud posset esse in eo» dem instanti transmutatum in plura individua, sequeretur contra» dictio, scilicet quòd esset unum individuum & plura; & ideo, Ere» mita, quoad talem transmutationem negatio quæstionis est tenenda.

XXXIV. Nota *primò*, quòd hic Textus, quoad substantiam habetur eodem modo in citata editione Panormitana, licèt aliqualiter confusus, dum loquens de transmutatione panis dicit, panem esse transmutatum & individuatum *in corpore Christi*, cùm in hoc alio Textu dicatur *in corpus Christi*, nota *secundò* propositam quæstionem duplici sensu posse intelligi, an videlicet in eodem instanti & simul possit eadem substantia panis transmutari in plura corpora; an verò in diverso instanti & successivè: in adducto Textu, num. 1. resolvit Lullus negativè quoad primam partem; in secundo autem numero infra referendo resolvit affirmativè quoad secundam. Nota 3. rationem, quâ fundat Lullus eamdem substantiam panis non posse simul & in eodem instanti transmutari in plura corpora, esse, quia *tota essentia panis formaliter, & materialiter*, ac proinde *totaliter* transmutatur in corpus Christi; & quia ipsa substantia, quæ est unum individuum per formam & materiam, per conversionem sacramentalem individuatur *totaliter* in corpus Christi; ita quòd per conversionem

nem sit ipsum Christi corpus, quod est unum individuum, propterea non potest simul transmutari, & individuari in plura corpora. Nota 4. Lullum tenere clarissimè & ex professo doctrinam oppositam illi, quæ eidem tribuitur in præfata Censura; docet enim apertissimè, panem *totaliter*, hoc est *formaliter & materialiter* transmutari in corpus Christi, ita ut *tota essentia substantiæ panis* transmutetur in ipsum corpus Christi: perpendat ergo sincerus Lector, quomodo possit sentire, substantiam panis secundùm suum esse remanere in Eucharistia. Nonne æquitas postulat, ut quæcumque dicat subdubia, conformiter ad sententiam adeo claram intelligantur?

XXXV. Pro resolutione expositæ quæstionis quoad secundam partem, videlicet quòd eadem substantia panis successivè & in diverso instanti potest transmutari in plura corpora, sic num. 2. scribit Lullus: *Verumtamen secundùm aliud eveniens instans eadem substantia panis post transmutationem factam in corpus Christi, potest transmutari in aliud corpus, scilicet in corpus panis, & recuperare prima accidentia panis, quæ dimisit sine subjecto, sicut substantia argenti, quæ existebat sub figura scyphi, & fuit deducta in figuram cissorii, quæ potest reduci sub figuram scyphi, dimittendo figuram cissorii; non tamen sub figura primi scyphi, sed sub figura novi scyphi: & ideo eadem substantia panis potest dimittere panem, & transmutari in carnem Christi; & dimittere carnem Christi, & recipere speciem panis; non tamen primum panem, sed panem secundum & novum; & in ipso est incepta ad corruptionem panis naturaliter, tendente ipsâ substantiâ panis ad aliam speciem per viam generationis, in quam naturaliter est transmutata* (per novam scilicet generationem) *sicut in speciem carnis Martini vel Guillelmi, vel canis, & sic de aliis comedentibus panem; & de hoc possumus habere experientiam, sicut Martinus, qui posset vivere, & pinguis fieri de pluribus hostiis, & panibus sacratis.* 3. Text. prop. 13.

XXXVI. Ex hoc Textu, qui idem quoad substantiam est in citatis editionibus, licèt non integrè adducto num. 14. à laudato Censore, infert ipse notatam propositionem; at, pace tanti viri, contrarium omninò inferri debet; & dimissâ pro nunc explicatione, qualiter fiant vel fieri possint transmutationes, quas innuit Lullus in hoc Textu, de quibus infra, §. 4. à num. 50. est agendum; ac ad propositionem Lullo impactam propter relatum Textum unicè attendentes, notandum est, ut ex dicendis liquidè constabit, sensum Lulli hîc unicè esse, substantiam panis primò converti in corpus Christi, & quod posteà, dum corrumpuntur species sacramentales, fit nova

transmutatio in panem noviter productum, ut plures cum ipso sentiunt; panem quidem novum vergentem ad corruptionem, vel in quo jam est incepta corruptio; & quòd posteà ex hoc pane incepto corrumpi, fit nova transmutatio in carnem illius qui comedit hostiam sacratam, qui sic nutritur; & quia hæc series & successio transmutationum incipit in substantia panîs, & posteriores transmutationes connaturaliter consequuntur ad primam, ideo dicitur eamdem substantiam panîs primò transmutari in corpus Christi, deinde in novum panem, & tandem in carnem comedentis hostiam sacratam: non quod eadem substantia panîs secundùm suum esse persistat in dictis transmutationibus, cùm supponatur conversa in prima transmutatione; sed quia in ipsa eàdem incipit prima transmutatio, ex qua connaturaliter sequuntur posteriores, dicitur ipsa in omnibus transmutari: sicuti dicimus, eamdem herbam primò converti in carnem arietis ipsam comedentis, & posteà in carnem hominis edentis carnem arietinam; non quia herba secundùm suum esse subsistat, dum ex carne arietina fit transmutatio in humanam carnem, sed quia in ipsa incepit prima transmutatio, ex qua sequitur secunda; & sic de eodem rectè dicitur transmutari in varia corpora secundùm transmutationes ad primam naturaliter consequentes.

XXXVII. Quòd autem mens Lulli non fuerit, substantiam panîs secundùm suum esse remanere in Eucharistia ad sequentes transmutationes, nec hoc ex ejus verbis rectè inferatur, constat *primò* evidenter ex hac eadem quæstione, ubi num. 1. per verba adducta n. 33. dicit Lullus, substantiam panîs *formaliter & materialiter*, ac proinde *totaliter*, converti in corpus Christi, ita ut tota essentia substantiæ panîs transmutetur in corpus Christi: quomodo ergo ex mente Lulli potest remanere cum corpore Christi in Eucharistia panîs substantia, quæ totaliter & essentialiter supponitur & affirmatur conversa? Huc accedit quòd mens Lulli, ut ex supradictis evidenter constat, est, quòd per transubstantiationem taliter convertitur substantia, quòd nihil ipsius maneat, & ipsa quoad suum esse nihil sit, ad differentiam aliarum operationum, ex dictis num. 7. & quòd accidentia maneant sine subjecto. *Secundò*, quia in eodem Textu dicitur, quòd *eadem substantia panîs post transmutationem factam in corpus Christi, potest transmutari in aliud corpus, scilicet in corpus panîs, & recuperare prima accidentia panîs:* ex quo sequitur, quòd non manet substantia panîs in Eucharistia, quia, si maneret, cùm substantia panîs ex num. 1. hujus quæstionis sit corpus constans ex forma &

materia, non transmutaretur in aliud corpus panîs, & recuperaret prima accidentia, quæ dimisit, sed idem corpus panîs præexistens persisteret & perseveraret ad sequentes mutationes. *Tertiò*, dicit Lullus, fieri novi panîs productionem, ut ex ipso incepto corrumpi, fiat nutritio hominis comedentis hostiam sacratam; si autem substantia panîs primi conversi in corpus Christi maneret in Eucharistia, non requireretur novus panîs, sed ipsa substantia præexistens per suî corruptionem nutriret hominem, in cujus carnem converteretur. *Quartò*, dicitur in hoc Textu, quòd substantia panîs dum transubstantiatur dimittit ac relinquit sua accidentia: quomodo autem ea relinqueret, si cum ipsis persisteret in Eucharistia? *Quintò*, dicitur in eodem Textu, quòd accidentia manent *sine subjecto*: quomodo autem manerent sine subjecto, si persisteret cum ipsis in Eucharistia idem subjectum secundùm suum esse?

XXXVIII. Hinc pronum est cognoscere laudatum Censorem non rectè intulisse notatam propositionem ex eo quòd dicat Lullus in hoc Textu, ut notat supra, num. 14. *eamdem substantiam panîs post transmutationem in corpus Christi posse in aliud corpus transmutari*; quia secunda transmutatio in aliud corpus non est immediata, sed mediata; nec peragitur in substantia panîs jam conversâ, tanquam termino à quo, sed in corpore in quod fuit transmutata; quia substantia panis *primò*, transmutatur in corpus Christi ut sacramentaliter existens; *secundò*, dum corrumpuntur species, corpus Christî, prout desinens esse sacramentaliter, transmutatur in novum panem, quæ tamen transmutatio à Lullo nec dicitur conversio nec transubstantiatio, sed pura transmutatio; & *tertiò* novus panîs transmutatur in carnem comedentis: atque ita dicitur, *eamdem substantiam panîs* transmutari, mediatâ quidem transmutatione, quia in ipsa *eadem* incepit prima transmutatio, ad quam connaturaliter succedit secunda: sicut dicitur eamdem herbam post transmutationem in carnem arietinam transmutari in carnem humanam. Nec juvat laudati Censoris intentum, quòd in Textu dicatur, eamdem substantiam panîs, per novam transmutationem in corpus novi panîs, *recuperare prima accidentia panîs, quæ dimisit sine subjecto*; quia dicitur ipsam recuperare prima accidentia, non quidem in seipsa, sed in novo pane, in quem mediatè est transmutata: dicitur etiam eadem, non in individuo sed in specie, cùm revertatur eadem species panîs in novo pane in individuo; & tandem dicitur recuperare accidentia, quia in eadem incepit prima transmutatio, ad quam connaturaliter succedit secun-

da, in qua à novo pane recuperantur ipsa accidentia. Neque juvat exemplum, ut opponit laudatus Censor: *Sicut substantia argentea scyphi, quæ figuram dimissam recuperare potest;* quia est purum exemplum, quod non tenet in omnibus, & solùm adducitur ad explanandum mutationem successivam, quæ potest esse; & simultaneam, quæ non potest esse, quatenus substantia argentea simul non potest esse sub figura scyphi & cissorii; post transitum tamen à figura scyphi ad figuram cissorii, potest redire ad figuram scyphi, non quidem primi, sed novi: ita post transmutationem substantiæ panîs in corpus Christi, quando per novam transmutationem redit panis, non redit tamen primus panis, ille scilicet, qui fuit conversus in corpus Christi, sed secundus & novus: Unde non intendit Lullus, quòd, sicut substantia argentea manens eadem in seipsa, à figura scyphi mutatur in figuram cissorii, & à figura cissorii in figuram novi scyphi: ita substantia panîs manens eadem transmutetur in corpus Christi, & à corpore Christi in novum panem; quia ex ipso, transmutatio panîs in corpus Christi est substantialis, & ex hac eadem quæstione num. 1. fit formaliter & materialiter, ac totaliter, ita ut tota essentia substantiæ panîs transmutetur: quod non evenit in mutatione substantiæ argenteæ. Deinde ex ipso Lullo juxta verba relata num. 7. per hoc differt transmutatio eucharistica ab aliis operationibus, & signanter ab artificiali, qualis est relata mutatio argentea, quòd hæc fit *permanente essentiâ & naturâ operabilis in operato;* transubstantiatio verò fiat *non permanente essentiâ & naturâ factibilis in facto*, hoc est transubstantiabilis panîs in corpore Christi, in quod est transubstantiatus: Unde, sicut ex eo quòd plures Patres & Doctores explicent hanc transubstantiationem ad modum quo substantia alimenti convertitur in substantiam aliti; & quo virga Moysis fuit versa in Draconem, in quibus conversionibus eadem materia manet in termino à quo & ad quem, non tamen infertur ipsos tenere eamdem materiam panîs remanere in Eucharistia: ita neque ex Lulli exemplo infertur remanere in Eucharistia eamdem panîs substantiam quoad suum esse.

XXXIX. Tandem, ut faciliùs intelligantur transmutationes, quas innuit Lullus in notato Textu, & reliqua, quæ in ipso continentur, notandum, apud omnes esse difficillimam explicationem transmutationis panîs in corpus Christi, & mutationis, quâ, dum corrumpuntur species sacramentales, succedit nova substantia. Conveniunt profectò omnes Catholici, & Lullus expresse docet, quòd tota substantia panîs totaliter transubstantiatur in corpus Christi. Conveniunt etiam

omnes in hoc, quòd ex pane & vino consecratis potest homo vivere & nutriri, ut exponit Lullus in adducto Textu, & docet D. Thomas, 3. part. q. 77. art. 7. & cum ipso omnes ejus Discipuli, ac plures SS. Patres. Conveniunt quoque communiter omnes in hoc, quòd corpus Christi perseverat sub speciebus sacramentalibus, ùsque dum ipsæ corrumpuntur in stomacho. Conveniunt similiter in hoc, quòd, cùm desinit esse corpus Christi sub speciebus, fit aliqua mutatio, quam aliqui dicunt esse conversionem & transmutationem, imò transubstantiationem, in illam novam substantiam, quæ succedit: quia communiter supponitur, ad illam desitionem corporis Christi succedere novam substantiam, ut videri potest apud Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 54. atque ita sensus multorum est, quòd, sicut panis transmutatur in corpus Christi, prout sacramentaliter existens, ita corpus Christi, prout sacramentaliter existens, transmutatur in corruptione specierum ad novam substantiam, quæ succedit. Difficultas, quæ omnes torquet, stat in explicatione, qualiter ibi succedit nova substantia, & fit hominis nutritio & augmentatio; Lullus innuit in hoc Textu, quòd, desinente corpore Christi esse sub speciebus, fit productio novi panis, ex quo recipiens Eucharistiam nutritur & augmentatur, prout infra, §. 4. à num. 50. explanabo, sicut & relatas transmutationes.

XL. Ex hoc, ut puto, potest clariùs intelligi notatus Lulli Textus; nam quia, dum corrumpuntur species sacramentales, succedit juxta omnes, nova substantia, quæ juxta ipsum est novus panis, ideo rectè dicit: *Verumtamen secundùm aliud eveniens instans eadem substantia panis, post transmutationem factam in corpus Christi* (dum scilicet corrumpuntur accidentia, & fit nova transmutatio) *potest transmutari in aliud corpus, scilicet in corpus panis* (qui de novo tunc producitur) *& recuperare* (in pane videlicet novo) *prima accidentia, quæ dimisit sine subjecto* (panis primus dum fuit conversus in corpus Christi) *& ideo eadem substantia panis potest dimittere panem* (per suî videlicet conversionem) *& transmutari in carnem Christi* (prout sacramentaliter existentem in Eucharistia) *& dimittere carnem Christi* (dum scilicet corrumpuntur accidentia, & desinente ibi esse sacramentaliter carne Christi, fit transmutatio à carne Christi, prout sacramentaliter existente, ad novam substantiam) *& recipere speciem panis* (per hoc videlicet quòd tunc producatur novus panis: qui, cùm producatur sub accidentibus inceptis corrumpi) *ideo in ipso* (substantia panis) *est incepta ad corruptionem panis naturaliter, ten-*

dente tunc ipsâ substantiâ panis ad aliam speciem per viam generationi (quæ subsequitur ad ejus corruptionem) *in quam* (speciem) *naturaliter transmutatur, sicut in speciem carnis Martini, &c. & hoc modo posset homo vivere & pinguis fieri de pluribus hostiis & panibus sacratis.* Unde ex toto contextu patet quòd, quia omnes subsequentes mutationes & operationes connaturaliter consequuntur ad primam, in qua panîs substantia fuit conversa in corpus Christi, ad ipsam panîs substantiam referuntur, & de ipsa dicuntur, mediatè quidem & ratione corporis per mutationem ipsi succedentis; non autem immediatè & in seipsa, quia in prima mutatione supponitur totaliter conversa, & quoad totam essentiam, & nihil proinde existens in seipsa.

XLI. Credo sanè hucusque dictis patere, non rectè deduci ex textibus notatis propositionem à laudato Censore notatam, videlicet *substantiam panîs secundùm suum esse remanere post consecrationem in Eucharistia certô quôdam modô novô*; imò oppositum manifestè deduci ex eisdem textibus, ad contextum & ad Lulli mentem adeò expressam collatis; nam in primo textu, ut constat à num. 20. non debet intelligi, quòd substantia panîs absolutè, nudè, & quòad suam naturam sit corpus Christi, & existat sub ejus accidentibus, sed quòd *substantia panîs transubstantiata in corpus Christi est corpus Christi, & existit sub accidentibus corporis Christi*; hæc autem propositio est vera & catholica, eamque omnes amplectuntur, ut scitè notat Bellarminus, de controvers. tom. 2. controv. 3. de Sacram. Eucharist. lib. 2. cap. 6. in fine, ubi ad objectionem ex textibus D. Irenæi exprimentibus, panem esse corpus Christi, ut infra referemus, respondet: » Irenæus non significat, panem simpliciter esse corpus Christi, » sed panem, in quo gratiæ actæ sunt, id est, panem sanctificatum, » & factum Eucharistiam, ut Justinus loquebatur: porrò panis factus Eucharistia verè & propriè est corpus Christi. Similis locutio » esset, si quis diceret: Virga Moysis conversa in draconem ambu- » labat & comedebat; & aqua à Christo in vinum conversa colorem » & saporem vini habebat. » ex hoc infero, quòd benè potuit dicere Lullus substantiam panîs transubstantiatam in corpus Christi existere sub accidentibus corporis Christi. Ipse Bellarminus, ibid. lib. 1. cap. 14. §. *Decimus-tertius*, ad objectionem ex 1. Corinth. 10. & 11. ubi aliquoties Eucharistia vocatur panis, etiam post consecrationem, sic scribit: « Respondent nonnulli, Eucharistiam vocari panem per » tropum, quia fit ex pane, sive quia antea fuit panis. Afferunt » multa exempla scripturæ, ut quod Gen. 3. Eva dicitur os Adami;

„ Exod. 7. Virgæ converſæ in dracones adhuc vocantur Virgæ; quòd „ Matth. 11. dicantur cæci videre, claudi ambulare; quòd Matth. „ 21. dicantur Publicani, & Meretrices præcedere in Regnum „ Cœlorum: „ Et hanc reſponſionem affirmat eſſe valde probabilem; qui etiam, lib. 3. cap. 18. §. *Hinc intelligimus*, dicit: *Verè enim dici poteſt: quod fuit panis, nunc eſt corpus Chriſti, licèt omninò nihil maneat quod priùs fuerit panis.*

XLII. Notata etiam propoſitio non deducitur ex textu relato, num. 25. nam, ut ibi conſtat, non intelligitur quòd ſubſtantia panîs abſolutè, & quoad ſuam naturam, ſit in corpore Chriſti realiter, ſed quòd *ſubſtantia panîs tranſubſtantiata & facta corpus Chriſti, eſt realiter in corpore Chriſti;* hæc autem propoſitio eſt vera & catholica, quia dicitur ſic ſubſtantia eſſe in corpore Chriſti, quatenus eſt facta ipſum corpus, vel eſt in ipſo, ut in termino in quem eſt converſa. Simili modo exponit Irenæum, lib. 4. contra hæreſ. cap. 34. & ſimile dictum Cypriani, lib. 2. Epiſt. 3. ſapientiſſimus Gavardi, tom. 6. de Sac. Euchar. quæſt. 3. art. 2. §. 1. pag. 311. dicens: *Ad Irenæum dicitur nihil aliud velle, niſi quòd Euchariſtia componitur ex materia terrena, quæ tranſit & convertitur; & ex materia cœleſti, in quam convertitur. Idem aſſerit S. Cyprianus.* Neque ſequitur eadem notata propoſitio ex textu relato, num. 33. quia, ut ibi conſtat, non intelligitur, quod ſubſtantia panîs poſt ſuî tranſmutationem in corpus Chriſti, immediatè & ſecundùm ſuum eſſe tranſmutetur in aliud corpus panîs, & poſteà in carnem comedentis Euchariſtiam, ſed mediatè tantùm, & ratione ſubſtantiarum ad ſuî primam tranſmutationem ſuccedentium; & ſolùm quia poſteriores tranſmutationes connaturaliter conſequuntur ad primam, in qua ſubſtantia panîs fuit converſa in corpus Chriſti, ad ipſam ſubſtantiam referuntur omnes conſequentes mutationes, & de ipſa dicuntur mediatè quidem, & ratione ſuccedentium ſubſtantiarum ad ipſam. Tandem, nunquam poteſt Lullo attribui notata propoſitio ex conſequentiis illatis ex ejus dictis; cùm ipſa dicta ex contextu bonum habeant ſenſum, & Lullus neget conſequentias, ut totaliter oppoſitas ipſius doctrinæ operosè & ex profeſſo traditæ.

§. III.

Lulli loquendi modum conformem eſſe SS. Patribus, oſtenditur.

XLIII. Nedùm ſubſtantia doctrinæ Lullianæ vacat Cenſurâ; ſed

etiam ejus loquendi modus in materia subjecta juxta contextum, quia similis est modo loquendi multorum Patrum, qui videri possunt apud eximium Joannem Gropperum Canonicum Coloniensem & Cardinalem designatum, Lib. de Eucharistia, art. 1. à cap. 28. & apud Bellarminum citatum : ex quibus S. Justinus Martyr. Apolog. 2. postquam breviter retulit modum, quo conficitur Eucharistia, ait: „ Si, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui „ adsunt, percipiendum *panem*, *vinum*, *& aquam*, quæ cum gratiarum „ actione consecrata sunt . . . neque hæc, ut communem usitatum- „ que panem, usitatamque potionem capimus, sed quemadmodum „ per Dei verbum, homo factus Jesus-Christus Conservator noster, „ & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit; sic etiam cibum, „ qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus „ est, *& quô sanguis carnesque nostræ Communione aluntur*, *Jesu-* „ *Christi ejus*, *qui homo factus est*, *& carnem*, *& sanguinem esse* „ *accepimus.* „

XLIV. Tertullianus, lib. 4. *advers. Marcion.* sic scribit: « Non „ intelligit Marcion panem fuisse veterem figuram corporis Christi „ dicentis per Jeremiam : adversum me cogitaverunt cogitatum, di- „ centes : *Venite conjiciamus lignum in panem ejus*, *scilicet Crucem* in „ corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit „ significasse panem, satis declaravit, *corpus suum vocans panem.* „ D. Irenæus, *advers. hæres.* lib. 4. cap. 32. scribit „ Eum, qui est „ creatura, panem accepit, & gratias egit dicens : hoc est corpus „ meum, & calicem similiter, qui est ex creatura quæ est secun- „ dùm nos, *suum Sanguinem confessus est*; & cap. 34. Quomodo „ autem constabit eis, *eum panem*, in quo gratiæ actæ sunt, *corpus* „ *esse Domini sui*, & calicem Sanguinis ejus, si non ipsum Fabrica- „ toris mundi Filium dicant? Et cap. 57. quomodo Dominus, si „ alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundùm nos, „ accipiens *panem*, *suum corpus confitebatur ?*„ D. Ambrosius, lib. *de his qui myster. initian.* cap. 9. scribit: « Ipse clamat Dominus Jesus: „ *Hoc est Corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœlestium, „ *alia species nominatur*, post consecrationem, *corpus Christi signifi-* „ *catur.* Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem *aliud dicitur*, „ *post consecrationem*, *sanguis nuncupatur*, & tu dicis Amen, hoc est, verum est. « Item, lib. 4. de *Sacram.* cap. 4. « Sed panis iste, panis „ est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane „ fit caro Christi: hoc igitur adstruamus, quomodo potest, *qui panis*

est

» *est*, *esse corpus Christi* consecratione. » Et cap. 5. « Antequam consecretur *panis est*; ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est » Christi. D. Hieron. in Ps. 109. scribit : » Quomodo enim Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum, sic & tu offeres corpus » tuum & sanguinem, *verum panem*, *& verum vinum*. » D. Crysost. in 1. *Corinth. Homil.* 24. ait: *quid est panis? corpus Christi.*

XLV. Theodoretus, *Dialog.* 2. loquens de pane & vino in Altari oblatis, ait : « Eranist. post sanctificationem autem, quomodo ea » appellas? Ort. *corpus Christi & sanguis Christi.* » D. Damascen. lib. 4. *de Fide Orthodod.* cap. 14. « Non est figura, *panis & vinum*, corporis » & sanguinis Christi : absit enim hoc ; *sed est ipsum corpus Domini* » *deificatum*; ipso Domino dicente : *hoc est corpus meum.* » Theophilact. in Matth. cap. 26. « Porrò dicens : *Hoc est corpus meum*, ostendit, » quòd *ipsum corpus Domini est panis*, qui sanctificatur in Altario, » & non respondens figura. » Prætereà, cap. *Ego Berengarius*, dist. 2. de consecrat. ex Concil. Rom. sub Nicolao II. ita habetur: « Profiteor . . . . . scilicet *panem & vinum*, quæ in Altari ponuntur, » post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum » *corpus & sanguinem Domini Nostri Jesu-Christi esse.* » Et in alio Concilio Rom. sub Gregorio V. Jussu Concilii aliam fecit idem Berengarius professionem fidei sic : « Ego Berengarius corde credo, & » ore confiteor, *panem & vinum*, *quæ ponuntur in Altari*, per mysterium sacræ orationis, & verba Nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & » sanguinem Jesu-Christi Domini Nostri, & post consecrationem, » *esse verum Christi corpus*, quod natum est de Virgine. »

XLVI. In Liturgiis Græcis apud Cardinalem Cienfuegos, lib. *vita abscondita*, disp. 15. sect. 4. §. 1. num. 60. Sacerdos post consecrationem panis & vini orat Deum, ut mittat Spiritum Sanctum, qui, ex Liturgia S. Jacobi, *sanctificet*, *& efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui*, *& Calicem hunc prætiosum Sanguinem Christi tui*; & ex Liturgia S. Marci : *& faciat panem quidem corpus*, *calicem autem sanguinem*; ex Liturgia S. Chrisostomi : *fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui*, *quod autem in calice est isto*, *prætiosum sanguinem Christi tui*; & ex Liturgia S. Basilii : *Atque faciat hunc panem corpus prætiosum Domini Nostri Jesu-Christi*, *& calicem hunc sanguinem prætiosum.* Apud Cienfuegos, ibidem, num. 62. Sanct. Cyrillus Hierosolim. Catech. 3. ait : *Panem post invocationem Spiritûs Sancti non esse panem communem*, *sed corpus Christi.* Eadem,

quæ in Liturgia Græca, reperiuntur in Missali Mosarabico, ut notat Cardinalis Bona, lib. 2. *de rebus Liturgic.* cap. 13. in dictis autem Liturgiis, ex Cienfuegos, ibidem, num. 68. corpus Christi vocatur panis, *eò quòd fuerit, & eò quòd persistant ejus accidentia*, *uti & in Ecclesia latina post consecrationem nominatur, tum panis sanctus, tum panis cœlestis;* sicuti etiam, ex Bona, ibidem, cap. 9. num. 3, in Canone Missæ, panis ante consecrationem vocatur *immaculata Hostia*, quia futurus est corpus Christi, prout respondet Joannes Hostmeister ab eodem citatus: *Non panem & vinum vocamus immaculatam Hostiam, sed corpus & sanguinem Domini, quæ ex illis conficiuntur. Igitur non ob hoc, quod jam sunt, sed quod paulò post futura sunt, tali digna estimantur appellatione.*

XLVII. Ex citatis sanè Patribus & Liturgiis, constat, panem vocari corpus Christi, & corpus Christi, panem, quæ rectè intelliguntur, quia ex contextu, vel sensu ipsorum aliunde noto, agitur de pane sacrato, & sanctificato, vel eò quòd fuerit panis, non autem de pane absolutè & in sua natura sumptô: unde, cùm Lullus, nec in citatis textibus, nec in aliis unquam dixerit panem absolutè esse corpus Christi, vel corpus Christi esse panem simpliciter sumptum; & aliunde ex contextu, & ex aliis libris ejus constet, ipsum tenere totalem transsubstantiationem substantiæ panis in corpus Christi, non rectè infertur ipsum sentire, substantiam panis quoad suum esse remanere in Eucharistia, per hoc quòd de substantia panis consecrata, ut expressè loquitur in textibus notatis, dicat existere sub accidentibus corporis Christi, & esse in corpore Christi; quia substantia panis consecrata, est ipsum Christi corpus, atque ita, sicut ipsum corpus, ipsa est sub ejus accidentibus; & sic est in ipso corpore tanquam in termino, in quem est transsubstantiata; & quoad tertium textum, ex quo deducitur notata propositio, in quo agitur de transmutationibus, quæ fiunt post transsubstantiationem Eucharisticam, infra à num. 50. videbitur plures celebres Doctores cum ipso convenire: unde immeritò notata fuit ejus doctrina, cum ex certa critices regula non debeant Autorum verba à textu avulsa simpliciter examinari, sed juxta contextum sunt perpendenda, & secundùm modificationem, quâ ex contextu sunt affecta.



§. IV.

Elucidatur quod supereſt ex notatis Lulli textibus, ſicut etiam aliqui alii ex variis libris deprompti ad Euchariſtiam ſpectantes, ut omnis offendiculi ſcrupulus auferatur.

XLVIII. Contra relatum Lulli textum, num. 24. ex quæſt. 127. *libri Sententiarum*, objici fortaſſe tentabitur, Lullum docere in verbis conſecrationis pronomen *hoc* demonſtrare panem, quia ibi dicit: *ideo hoc pronomen* hoc *demonſtrat quòd hic panis ſit tranſubſtantiabilis in corpus Chriſti in ultimo pronomine;* quod eſt contra communem Theologorum ſenſum. At ibi jam dictum eſt pronomen *hoc* ſignificativè, & aſſertivè cum aliis verbis demonſtrare corpus Chriſti, quatenus in ipſum eſt panis tranſubſtantiatus; quia tamen dicta verba nedùm ſignificant, ſed etiam efficiunt tranſubſtantiationem, ideo ſub hac ratione ly *hoc* quodam modo demonſtrat panem prout fit corpus Chriſti per converſionem in ipſum; niſi enim ſuper panem dicantur præfata verba, tranſubſtantiationem non efficiunt, nec habent veram ſignificationem, & ſic de pane dicuntur quodammodo præfata verba, ut docet D. Cyril. Hieroſol. Catec. 4. dicens: *Cùm igitur ipſe Chriſtus ſic affirmet atque dicat de pane: hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare*: & alii plures Patres: unde cum de pane dicantur, ly *hoc* demonſtrat panem per tranſubſtantiationem fieri corpus Chriſti; demonſtratum autem per dicta verba ſignificativè & aſſertivè, ut docet Lullus in citata quæſtione, prout à num. 24. expoſuimus, eſt corpus Chriſti.

XLIX. Præterea apud Suarez, tom. 3. in 3. part. diſp. 58. ſect. 7. varii ſunt modi explicandi, quid demonſtrat ly *hoc*; & multi fatentur demonſtrare panem, cum quibus ſentit D. Bonaventura, cujus ſententiam approbat Palacios, in 4. diſt. 8. diſp. 3. à pag. 244. addens, quòd Hugo Victorinus, lib. de *Sacram.* part. 7. cap. 9. dixit, panem eſſe corpus Chriſti, non per unionem, ſed per tranſitionem (hoc eſt converſionem in corpus Chriſti) & in hoc idem, ait Palacios, conſpirare D. Ambroſium. Clariſſimus etiam Berti, lib. 33. *de Theolog. diſciplin.* cap. 9. §. *Nunc ad argumenta*, ſic ſcribit: « Et » ſi quidem Catholici putant eò pronomine demonſtrari panem, » cenſent quoque ampliandam propoſitionem, ita ut ſenſus ſit: *Hic* » *panis, qui, loquente me, panis eſt, in termino prolationis eſt corpus*

» *meum.* Nullam proindè cum Hæreticis movebo quæstionem, an » verborum consecrationis panîs sensus sit: *Hic, qui modò est panis, fit* » *corpus meum* aut *hoc* scilicet, *hæc res est corpus meum*, & in consecratio- » ne calicis: *hic est sanguis meus*, an verò: *hoc*, id est, *hæc res est sanguis* » *meus;* ac modò intelligatur sensu exposito, admittam utrumque.»

L. Adversus relata num. 33. objici etiam potest, esse contra communem Theologorum sensum doctrinam Lulli, quòd videlicet, dum corrumpuntur species sacramentales fiat transmutatio in novum panem. At circa hoc notandum est, quòd licèt D. Thomas, *part.* 3. *q.* 77. *artic.* 5. impugnet reditum, tam ejusdem, quàm novæ substantiæ panîs, addit tamen: *nisi fortè dicatur, quòd in ultimo instanti corruptionis specierum redit, non quidem substantia panîs & vini (quia illud idem instans est, in quo primò habent esse substantiæ generatæ ex speciebus) sed materia panîs & vini, quæ magis de novo creata diceretur, quàm rediens propriè loquendo; & secundùm hoc posset sustineri prædicta positio.* Unde non notat, licèt impugnet, reditum substantiæ panîs, saltem quoad hoc quod dicatur, de novo produci materiam panîs & vini, quæ, cùm debeat esse materia specifica panîs & vini, aliàs non magis esset materia panîs & vini, quàm cujuslibet alterius, parum differt sententia, quam non improbat D. Thomas, à productione novi panîs, quam asserit Lullus. Deinde tanta est difficultas, ad explicandum qualiter corruptis speciebus sacramentalibus succedit ibi nova substantia, quòd in varias abierint Doctores vias; & sententia, quam ibi exponit ipse D. Thomas, videlicet, quòd *in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati panîs & vini, quòd sit primum subjectum subsequentium formarum*, communiter rejicitur apud Suarez.

LI. Attamen sententia, de reditu substantiæ panîs nobilem habet Patronum, referente Palacios in 4. dist. 12. §. *Est autem*, nempè Innocentium Papam, lib. 4. de *Offic. Miss.* cap. 11. eamque amplectitur Alensis, *part.* 4. *quæst.* 40. *memb.* 2. & ipsam valde probabilem censet D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 12. *ar.* 2. *quæst.* 1. Hanc opinionem etiam tenet citatus Joannes Gropperus Cardinalis designatus in egregio opere de Eucharistia, art. 1. cap. 54. pag. 198. ubi ad objectionem sui temporis Lutheranorum, videlicet, Eucharistiam aliquando à muribus corrodi, corrumpi, & cremari, & cùm hoc non possit in vero Christi corpore fieri, solùm verificari potest de pane, qui proptereà debet dici non esse in Christi corpus conversus: respondet, eorum scomma « hàc me ratione non absurdè posse

„ refellere, ut dicam, quamdiu externa panîs species divino Mysterio & Sacramento, ita ut instituta est, subservit, hoc est quamdiu venerabile Sacramentum eâ, quâ par est, reverentiâ asservatur, & externæ species manent incorruptæ eo animo, ut opportuno tempore suscipiantur, esse illîc, & permanere corpus Christi; at verò, ubi illud divinum Sacramentum & Mysterium, quod eo nomine præparatum est, ut possit salutariter accipi, non eo studio asservatur neque sumitur, sed ob negligenter habitas externas species, aut alioqui commodè sumi non potest, non debet id nobis videri incredibile, modò divinam pensitemus potentiam, Deum his casibus corpus suum à speciebus externis subducere, & pristinam panîs naturam ad illas redire permittere: perindè ut Virgæ naturam, quæ jam in serpentem transierat, in id quod ante erat, jussit reverti, quando illa divina mutatio jam illos non erat usus habitura, quibus divinitùs destinata fuerat „. Ad hoc citat D. Cyprianum, *serm. de Lapsis*, & pag. 201. advertit, hunc panîs reditum non ita necessariò fieri opportere; quin Deus pro divina sua virtute possit aliud efficere. Suarez, to. 3. in 3. par. disp. 57. sec. 3. docens, dum corrumpuntur species, creari eamdem numero primam materiam quæ ante consecrationem fuit sub speciebus panîs, dicit veterum Sententiam de reditu substantiæ panîs interpretari posse de reditu ejusdem materiæ. Alii ex ipso, disp. 55. sec. 5. supponentes, ad desitionem corporis Christi sub speciebus fieri transmutationem, non admittunt redire substantiam panîs ad nostram nutritionem, sed, ut ipse ait, *Aliqui moderni ausi sunt concedere, corpus Christi converti & transubstantiari in nostram substantiam, quando illud communicamus*: quam sententiam, estò non amplectatur, dicit posse confirmari ex Doctrina plurium Doctorum tenentium, posse corpus Christi, ut est in Sacramento, converti in aliquam substantiam, quin tamen suum proprium esse deperdat.

LII. Ut autem Lulli sensus in dicto Textu clariùs intelligatur, noto cum Doctoribus à Suarez relatis dictâ disp. 55. dum corrumpuntur species sacramentales & desinit ibi esse corpus Christi, ac succedit nova substantia, fieri ibi aliquam mutationem, etiam in corpore Christi prout sacramentaliter existente, quatenus videlicet desinit ibi esse sacramentaliter. Noto etiam ex ipso ibidem sec. 3. esse sententiam à multis Theologis receptam « posse scilicet corpus Christi ut est in Sacramento, converti in aliquam substantiam, etiamsi in Cœlo maneat; quod alii dicunt posse converti secun-

„ dùm esse sacramentale, quod hîc habet, etiamsi non converta- „ tur secundùm esse simpliciter, quod habet in rerum natura, ita „ Paluda. in 4. dist. 11. quæst. 3. num. 23. Capreol. quæst. 1. art. „ 3. ad 1. Scoti, & ad 1. & 7. Durandi, contra secundam con- „ clusionem; Cajet. hîc, quæst. 75. art. 4. ad 3. Durandi, & infra „ quæst. 77. non apparet autem (addit Suarez) quo alio modo pos- „ sit converti corpus Christi in aliam substantiam sibi succedentem „ quam nunc fiat „. Et sanè Cajetanus, loco citato à Suarez, possibilem reputat reconversionem corporis Christi in eumdem panem. Noto quoque, Lullum mediâ incedere viâ, tenendo quòd, dum species sacramentales corrumpuntur, à corpore Christi, prout sacramentaliter existente sub illis, fit trânsmutatio in novum panem ibi succedentem, quæ tamen transmutatio nec est conversio, nec transubstantiatio, sed pura transmutatio; quia corpus Christi nec convertitur nec transubstantiatur in novum panem, sed ad ipsum corpus desinens esse sacramentaliter ob corruptionem specierum, connaturaliter succedit novus panis, ut fiat hominis nutritio, vel aliæ operationes, quæ subsequuntur; quia ex ipso Lullo *in Lect. Ar. Inven. & Tab. gen.* dist. 3. par. 1. quæst. 5. in ejus quæst. 3. num. 12. corpus Christi non est transubstantiabile; & licèt in citato Textu adducto num. 3. tantùm exprimatur novi panîs productio ad recipientîs nutritionem, cùm tamen uniformis videatur debere esse mutatio ad omnes mutationes, quæ subsequuntur, videlicet dum generantur vermes, vel aliquid aliud generatur ad corruptionem specierum, videtur dicendum, quòd semper producitur novus panis, ex quo cæteræ mutationes oriuntur: quare in materia explicatu difficillimâ non improbabilem viam arripuisse videtur Lullus, ut ex dicendis ampliùs apparebit.

LIII. De regressu in panîs speciem non loquitur iterum Lullus, quantùm observare potui, nisi in *Lect. Art. Inven. & Tab. gen.* dist. 3. part. 1. quæst. 5. *de Sacram. Altaris*, in ejus quæst. 3. *de quo est Sacram. Altaris*, num. 14. ubi loquens de substantia panîs & vini, quæ per suî conversionem in corpus Christi relinquit sua accidentia, ita scribit: *Unde, quando accidentia, quæ dimittit, corrumpuntur, substantia revertitur in speciem in qua solebat esse* (videlicet per productionem novi panîs, & vini) *& est corruptibilis sub illis primis accidentibus; & convenit quòd ipsa revertatur* (quoàd panem noviter productum) *ad illa, quia sunt viciniora & propinquiora ipsi substantiæ* (cùm sint accidentia propria speciei panîs) *& de hoc habemus*

experientiam, *in quantum homo naturaliter potest vivere de illis primis principiis tunc*, *quando Sacramentum est finitum*; Eadem planè sententia continetur in hoc Textu, ac in relato num. 33. dicitur autem illa substantia, quæ fuit conversa in corpus Christi, reverti quatenus redit eadem species panis in novo individuo panis, quod noviter est productum; & probat, eamdem panis speciem præ alia redire ad illa accidentia, quia illa, utpote accidentia specifica panis, sunt viciniora & propinquiora speciei panis; & quia inde homo posset nutriri, sicut nutritur, dum panem comedit, comprobatur reditus speciei panis in novo individuo, quod cum ipsis accidentibus inceptis corrumpi, etiam corrumpitur; & inde procedit hominis nutritio.

LIV. Iterum loquitur Lullus de hujusmodi nutritione in *Arb. Scient. in Arb. Apostolic.* in ejus foliis, part. 1. tit. de *Eucharistia*, ubi num. 3. ita scribit: *In Sacramento* (Eucharistiæ) *participat Deus*, & *homo in magnitudine durationis*, *quoniam valde magna est duratio* & *conversatio*, *quòd Christus*, *qui est homo Deus*, *remaneat sine cremento* & *diminutione suî ipsius in Sacramento*, *homine recipiente illum Christum*; *qui non crescit per transmutationem substantialem panis in carnem Christi*, *nec vini in Sanguinem Christi*; *nec diminuitur in quantum ille*, *qui ipsum recipit*, *materiam* (substantiam) *panis transmutatam in Christum* (factâ productione novi panis) *transmutat in carnem suî ipsius recipientis*; & *idem est de vino in sanguinem*. In hoc Textu compendiosè explicatur hominis nutritio ex pane consecrato, suppositis aliis, quæ alibi, precipuè in Textu relato num. 33. & 53. docet Lullus. Dum ibi dicitur *materiam panis* transmutari in Christum, non intelligitur *materia* in sensu physico, prout contradistinguitur à forma, sed generaliter pro eo, ex quo aliquid fit; atque ita hîc materia panis est idem ac substantia panis, quæ in Christum transmutatur; substantia autem seu materia panis in Christum transmutata dicitur transmutari in carnem recipientis Eucharistiam, quia, ut supra docuit ipse Lullus, dum corrumpuntur species in stomacho, producitur nova substantia panis, ex qua nutritur homo, & quia hæc nova substantia panis est eadem in specie cum prima, & succedit ad ipsam, ideo illa substantia in Christum transmutata transmutatur in carnem comedentis, non immediatè & per seipsam, sed mediatè quatenus ad ejus conversionem in corpus Christi subsequitur, dum accidentia corrumpuntur, transmutatio in novam panis substantiam, quam immediatè transmutat in suam carnem comedens panem con-

ſecratum; Lullus autem hîc ſub compendio explicat hominis nutritionem, & ideo ad converſionem panîs in Chriſtum immediatè ſubnectit transmutationem in carnem comedentis, quia ex alibi dictis ſupponit alia prærequiſita; & conſequenter neque intelligit in hoc Textu manere in Euchariſtia ſubſtantiam panîs, quæ convertatur in carnem comedentis, quia ex ſupradictis tota panîs ſubſtantia, convertitur in corpus Chriſti; ac proinde non manet, ſed tantùm, modo dicto, tranſmutari in carnem comedentis.

LV. De eadem nutritione iterum tractat, quamvis obiter, Lullus in *Diſp. Fidel. & Infidel.* (tom. 4.) part. 5. de Sacramentis, num. 4. pag. 37. ubi, prout verba retulimus, num. 6. arguit Infidelis; quòd ſi ſubſtantia panîs tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti, cùm iſtud habeat determinatam quantitatem ad ſuam perfectionem, aut tantùm augetur ex tanta panum tranſmutatione, ut excedat determinatam ſuæ perfectionis quantitatem, quod eſſe nequit; aut, factâ tranſubſtantiatione, tota illa materia, quæ ſuperfluit ultra quantitatem determinatam corporis Chriſti, devenit in nihilum. Ad utramque partem hujus dilemmatis reſpondet Lullus per verba ibidem relata: explicitè quidem ad primam, & implicitè ad ſecundam. Ad primam dicit, quòd in ſupernaturali operatione tranſubſtantiationis, ſubſtantia panîs ſine quantitate ipſius panîs tranſit in ſubſtantiam veri corporis Jeſu-Chriſti, & propterea non augmentatur ipſum corpus, quia ſine nova quantitate eſt impoſſibilis augmentatio corporis; & hâc reſponſione implicitè ſolvit ſecundam partem dilemmatis, quia, cùm tota panîs ſubſtantia ſine quantitate convertatur in corpus Chriſti, ſicut nihil in ipſo augetur, ita nihil ipſi ſuperfluit, & ita materia ſeu ſubſtantia panîs non annihilatur, quia tota convertitur totaliter in corpus Chriſti. Poſt relata verba, addens Lullus aliam rationem, cur dicta panîs ſubſtantia non annihilatur, immediatè ſubjungit. *Nec materia* (ſubſtantia videlicet panîs) *annihilatur, quia convertitur* (non immediatè, ſed mediatè, cùm producitur nova panîs ſubſtantia dum corrumpuntur accidentia, quæ nova panîs ſubſtantia convertitur immediatè in carnem comedentis) *ſine accidentibus ipſius Jeſu-Chriſti in nutrimentum corporis hominis recipientis ipſum corpus Chriſti; ſicut priùs converſa fuerat ſine accidentibus panîs in ſubſtantiam Jeſu-Chriſti, ita quòd anima vivat de tranſmutatione, & corpus de nutrimento.*

LVI. Profectò in hoc textu ſub compendio explicat Lullus nutritionem, quam habet recipiens Euchariſtiam, dum corrumpuntur ſpecies;

ſpecies ; & ſupponens ac prætermittens mutationem, quæ, dum corrumpuntur ſpecies, fit in novam ſubſtantiam panîs, ex qua immediatè nutritur homo : hanc nutritionem immediatè ſubnectit & refert ad ſubſtantiam panîs, poſtquam eſt in corpus Chriſti converſa; licèt enim ſubſtantia panîs in corpus Chriſti converſa, in ejus & omnium ſenſu, ſit ipſum verum corpus Chriſti, non propterea ſentit cum Autoribus ſupra, num. 51. relatis, qui dicunt corpus Chriſti converti & tranſubſtantiari in noſtram ſubſtantiam ; ſed intelligit juxta ejus doctrinam ſupra operosè expoſitam, videlicet quòd priùs, dum corrumpuntur ſpecies, fit tranſmutatio in novam panîs ſubſtantiam, ex qua immediatè fit nutritio, quam novam tranſmutationem, compendiosè loquens, ſuppoſuit ex alibi dictis ; hanc autem nutritionem refert ad panîs ſubſtantiam, quæ fuit converſa in Chriſti corpus, & de ipſa illam affirmat, tum quia in ipſa incepit prima tranſmutatio, ad quam, mediante alia, hæc ultima ſubſequitur ; tum etiam quia hæc nutritio fit èx eadem in ſpecie ſubſtantia panîs, licèt non ex eadem in individuo, quia illa prima individua ſubſtantia panîs fuit totaliter converſa in corpus Chriſti, atque ita illa ſubſtantia panîs converſa in corpus Chriſti, ſine accidentibus Chriſti convertitur (non immediatè, & per ſe ipſam, quia per ſe ipſam nihil eſt, ſed mediatè, videlicet mediante novâ ſubſtantiâ panîs productâ, ad quam priùs, dum corrumpuntur accidentia, fit nova tranſmutatio) in ſubſtantiam recipientis corpus Chriſti ; ac proinde non debet inferri quòd illa prima ſubſtantia panîs ſecundùm ſuum eſſe permaneat, quia ex Lullo in hoc eodem libro & ex ſupra relatis totaliter tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, & nihil eſt quoad ſeipſam, ſed per converſionem eſt ipſum corpus Chriſti verum.

LVII. Hoc, præterquam quod conſtat ex omnibus ſupra relatis Lulli textibus, ſub omnimoda expreſſione manifeſtatur in ſubſequentibus, ex quibus fit evidens, quòd juxta ipſum ſubſtantia panîs tranſubſtantiata in corpus Chriſti jam non eſt panîs ſubſtantia, ſed tantùm ſubſtantia Jeſu-Chriſti. *In Lect. art. inven. & Tab. gen.* Diſt. 3. p. 1. q. 5. in ejus, q. 5. num. 1. ſcribit, quòd per tranſubſtantiationem *ſubſtantia, quæ dimittit quantitatem panîs & vini, non eſt alia ſubſtantia quàm ſubſtantia Jeſu-Chriſti* ; & num. 2. *ſicut ſubſtantia panîs & vini tranſubſtantiata exiſtit ſubſtantia Jeſu-Chriſti.* Et q. 9. num. 6. *Et illa tranſubſtantiata ſubſtantia eſt corpus Chriſti.* Ex dictis conſtat quòd tranſubſtantiata panîs ſubſtantia eſt ipſum corpus Chriſti, & quidem conformiter ad D. Thom. in 4. diſt. 11. q. 1. art. 2. circa

annihilationem panîs, ubi ad 1. ita respondet: „ Unde cùm in hac „ conversione id quod est terminus à quo, scilicet substantiam panis, „ convertatur secundùm se totum in terminum ad quem, scilicet „ corpus Christi, non quidem ut fit sub ipso, *sed ut sit ipsummet*, „ patet quòd non est annihilatio substantiæ panîs „. Quod autem jam non sit ibi panîs & vinum docet Lullus, ibidem, q. 6. num. 6. dicens: *In Sacramento Altaris, odor panîs & vini sustentatur in odorativo, & in odorabilitate naturalis potestatis & virtutis, sed non in pane & vino, quia, confectô Sacramentô, facta est transubstantiatio panîs & vini*; & num. 7. *Et gustabile est sapor, qui fuit panîs & vini, antequam fuisset Sacramentum*; & num. 8. *Quia tactus non tangit corpus Christi, quod non est tangibile sub tangibilitate panîs & vini, postquam jam facta est transubstantiatio . . . . . tangit accidentia, quæ erant panîs & vini*; & q. 7. num. 18. *Quia illa concordantia est de corpore transubstantiato in aliam speciem, quæ non est panîs & vinum, sed est corpus Jesu-Christi*: Si ergo substantia panis transubstantiata jam non est panîs, sed corpus Christi, ipsa secundùm suum esse & immediatè non convertitur in carnem recipientis Eucharistiam, sed mediatè, quatenus panis noviter productus per novam transmutationem subsequentem convertitur in carnem recipientis; neque manet ipsa panîs substantia secundùm suum esse, sed solùm manet substantia corporis Christi, in quam est conversa, & quia convertitur in corpus Christi, licèt nihil sit secundùm suum esse, propterea non annihilatur, ut cum omnibus docet Lullus in supra adductis. Præter hanc autem rationem, aliam subnectit in hoc textu, num. 55. relato, quia videlicet convertitur in carnem recipientis Eucharistiam, modo explicato, id est, quia nedùm convertitur in corpus Christi immediatè, sed etiam mediatè convertitur in carnem recipientis ipsum, quatenus, dum corrumpuntur species, fit nova transmutatio in novum panem, qui immediatè convertitur in carnem recipientis Eucharistiam.

LVIII. Ex hucusque dictis explicatum manet, juxta Lulli sensum, qualiter fit nutritio recipientis Eucharistiam, & aliæ peraguntur generationes, quæ eveniunt, vel evenire possunt, dum corrumpuntur species sacramentales; videlicet, quia dum istæ corrumpuntur fit nova transmutatio in novum panem, ex quo, incepto corrumpi sub illis accidentibus, generatur per nutritionem caro recipientis, & aliæ oriuntur generationes; quia tamen in locis adductis, nec alibi, quantùm observare potui, explicitè declarat Lullus, qualiter fiat hic

novus panis, an ſcilicet per creationem, an alio modo: abſque violentia poſſunt ejus verba intelligi eo meliori ſenſu, quo juxta catholicam Doctrinam intelligi poſſint, ſive quòd generetur per novam transmutationem novus panis, ſive quod creetur; vel ſenſû accommodatiori ad Doctrinam eximii Suarez & aliorum Theologorum, quòd creetur de novo eadem panis materia in illa nova tranſmutatione, ex qua affecta illis accidentibus, quæ corrumpuntur, fiat nutritio recipientis, & aliæ poſſibiles generationes: dico hoc poſſe intelligi in verbis Lulli; tum quia, dum loquitur de his ſubſequentibus generationibus, illas agnoſcit ſæpè in *materia* panis, noviter videlicet productâ in tranſmutatione, quæ habetur, dum corrumpuntur ſpecies; tum etiam, quia, licèt dicat Lullus quod tunc fit novus panis, ex quo habetur nutritio, cùm tamen ille novus panis dicatur inceptus corrumpi, non incongruè poteſt dici materia panis noviter tunc producta per creationem, ſi hac intelligentia ſit aptior ad ſenſum catholicum; cùm enim Lullus explicitè hoc non declaret, æquitas poſtulat, ut intelligatur aptiori ſenſu, quem certè ejus verba non abhorrent, ut immunis habeatur ejus doctrina.

LIX. Si tamen Philoſophari licet in re tam abſtruſa, conabor eruere, quid, meo videri, dici poſſit conformiùs ad ejus mentem, examinatis aliis textibus, qui etiam aliquâ indigent explicatione. Itaque in citata *Lect. art. inven. & Tab. gen.* diſt. 3. p. 1. q. 5. *de Sacram. Altar.* in ejus, q. 7. *De tempore in Sacramento Altaris*, num. 11. ita ſcribit: *Subſtantia panis in Sacramento Altaris in illo tempore, quo dimittit accidentia panis, dimittit elementalem potentiam* (videlicet generalem ſubſtantiam elementalem, ſeu chaos univerſale diffuſum per totum lunæ concavum) *quæ erat induta ſpecie panis, & illa potentia eſt ſubjectum* (non inhæſionis, ſed puræ continentiæ) *accidentibus, quæ fuerunt panis, & generationi & corruptioni eorum; & ideo in illo tempore, quo eſt conſumptum hoc Sacramentum, poſſet homo per magnam concordantiam virtutis & naturalis inſtinctûs corporaliter vivere de illa elementali potentia* (mediante quidem novo pane producto, ut ſupra eſt dictum) *& de accidentibus ſuſtentatis in ea* (tanquam in continente) *extra ſpeciem panis; de Sacramento autem poteſt vivere rationalis anima cum concordantia virtutis, memorando & intelligendo, & amando illud Sacramentum.* Antequam explicem modum nutritionis, qui hic innuitur, ex potentia elementali, noto, Lullum in hoc textu ſolùm intendere, quod ſubſtantia panis, dum convertitur in corpus Christi & relinquit accidentia panis, relinquit etiam poten-

tiam elementalem, id est substantiam generalem elementariam, quæ est chaos universale diffusum per totum concavum lunæ, in qua generali substantia continebatur substantia panis cum suis accidentibus: unde, cum remaneant ejus accidentia, dicta substantia elementalis tunc est subjectum continens ipsa, sicut ea continebat antequam substantia panis transubstantiaretur; & est subjectum concurrens ad generationem, & corruptionem eorum, & ad mutationes, quæ subsequuntur, ut postea explicabimus.

LX. Proinde, dum dicit Lullus in dicto textu, quòd substantia panis in illo tempore, quo transubstantiatur & dimittit accidentia panis, dimittit elementalem potentiam, quæ erat induta specie panis, non intendit quòd esse substantiale elementale panis remaneat, sicut remanent accidentia; quia, cùm in ejus sententia, elementa sint formaliter in mixto, & ex ipsis substantialiter constituatur mixtum: esse substantiale panis, sicut & cujuslibet alterius elementati, consistit in quadam portione substantiæ elementalis informata formâ substantiali panis; ita ut illa portio elementalis substantiæ sit materia proxima formæ panis: unde, cum, ex ipsius sententia toties repetitâ, in transubstantiatione tota substantia panis formaliter & materialiter convertatur in corpus Christi, ideo non potest in dicto textu intelligere, quòd esse substantiale elementale panis remaneat, imò præter supra adducta, in quibus ex ipsius mente constat materiam panis converti & non manere, in hac eadem quæst. 5. de *Sacram. Altar.* expressè fatetur quòd esse elementale panis transubstantiatur, nam in ejus quæst. 9. num. 13. postquam exposuit modum, quo frumentum convertitur in carnem comedentis, ait: *Iste modus in vegetatione est figura, in qua repræsentatur modus Sacramenti Altaris, cujus modus est, quòd elementatum, quod est sub specie substantiati panis, transubstantiatur in substantiam, quæ existat sub specie carnis, & hoc secundùm modum . . . . . removendi minoritatem ab illo elementato transubstantiato in corpus Jesu-Christi*; & num. 18. *Et per istum modum possumus considerare modum Sacramenti Altaris sustentatum in modo principiandi . . . . elementatum transubstantiatum in elementatum indutum corporalitate Christi*: id est inesse elementatum corporis Christi; dicitur autem de potentia elementali, quam dimittit substantia panis, quòd *erat induta specie panis*, non in sua generalitate, sed in sua portione, quam habebat in pane, & hæc portio est, quæ fuit transubstantiata.

LXI. Dum etiam dicit in citato textu, quòd *illa potentia elementa-*

lis est subjectum accidentibus, quæ fuerunt panis, non intendit quòd sit subjectum inhæsionis accidentium, quod ipsa afficiant & informent; quia ex ipsius repetita sententia in relatis à num. 1. accidentia manent sine subjecto, & sæpè repetit in hac eadem quæst. 5. expressè, ut quæst. 2. num. 1. & quæst. 9. num. 20. quòd *accidentia manent sine proprio subjecto*; quæst. 16. num. 4. *extra substantiam*; quæst. 3. num. 4. & 6. quòd *durant per se*, & sunt *separata à subjecto*; quæst. 4. num. 3. & quæst. 6. num. 12. quòd *sustentantur in seipsis*; & hoc, ut ait, citatâ quæst. 3. num. 6. ideo est, *quia subjectum, quod dimittunt accidentia, est transsubstantiatum in corpus Christi*. Hoc idem tenet ubicumque agit de hoc Sacramento, & signanter in lib. de articulis ab Episc. Parisiens. damnatis; nam ibi articuli 138. 139. 140. & 141. directè contra hoc Sacramentum statuunt, quòd accidens non potest esse sine subjecto, ut artic. 141. ubi ponitur *quòd Deus non potest facere accidens esse sine subjecto, nec plures dimensiones simul esse*; hos autem omnes articulos impugnat Lullus, asserens quòd Deus potest sustentare accidens sine subjecto, *& hoc vult facere in Sacramento Altaris*. Itaque substantia vel potentia elementalis, quam relinquit substantia panis, dum transsubstantiatur, non est subjectum inhæsionis & informationis accidentium panis, sed purè subjectum continentiæ in quo collocantur, ut explicat Lullus ibid. quæst. & *ubi est Sacram. Altar.* num. 5. dicens: *accidentia, quæ substantia panis dimittit tunc quando transsubstantiatur in corpus Christi, collocantur in elementali potentia* (seu chaos universali) *quam substantia panis dimittit, & in illa elementali potentia* (mediantibus accidentibus) *collocatur transsubstantiata substantia* (quatenus est corpus Christi contentum sub illis accidentibus) *& ideo corpus Christi, quod est in Cœlo* (mediantibus accidentibus panis) *est collocatum in illa elementali potentia* (quia succedit ubi fuit substantia transsubstantiata) *quæ est in terra, ita quòd corpus Christi non moveatur de Cœlo*; & num. 15. *In Sacramento Altaris dimittit transsubstantiata substantia vegetabilitatem panis in elementali potentia* (id est chaos universali, cujus influxû erat vegetabilis) *& in illo loco, in quo ipsam dimittit, remanet transsubstantiata substantia* (quatenus est facta corpus Christi, quod ibi succedit, & est) *non conjuncta cum vegetabili potentia panis*; quia corpus Christi non est vegetabile sub vegetabilitate panis.

LXII. Ad prædictorum & eorum, quæ circa textum, num. 59. relatum sunt dicenda, intelligentiam, sciendum est ex Lullo passim, & præcipuè in libro *chaos* quòd substantia elementalis composita ex

quatuor simplicibus elementis est universalis potentia & primordialis materia omnium sublunarium, & ex ipsa & in ipsa fit omnis eorum generatio & corruptio : ipsa pervadit omnia, & in ipsa subsistunt omnia, sicut & quatuor elementa sensibilia, seu massæ elementales, quas sensibus percipimus : unde elementata non sunt aliud, quàm portiones hujus elementalis substantiæ, quæ existens eadem essentialiter in omnibus, diversificatur in ipsis secundùm formas & naturas eorundem : hanc universalem substantiam elementalem vocat Lullus *chaos* ; *& istud chaos* (ut ait lib. *chaos* ,tit. *de esse chaos* , *num.* 2.) *est illud subjectum , in quo & de quo sunt omnia entia naturalia sublunari circulo , continens in se omnia quinque universalia vel prædicabilia* (scilicet realia) *& decem prædicamenta, atque omnia semina causalia . . . de eo possunt omnia fieri per diversas transmutationes ;* & tit. *de tribus gradibus chaos*, num. 1. scribit : *In isto siquidem gradu primo ipsius chaos* (videlicet universali elementali substantiâ per omnia diffusâ) *creavit Deus quidquid est naturali in corpore physico , scilicet per modum potentialem , habitualem , dispositivum , appetibilem , &c. ut ipsum chaos agenti naturale sufficeret , accipiendo de ipso chaos quidquid ipsum agens indiget ad generationem & conservationem specierum.* Unde , quia istud chaos seu elementalis substantia ex Lullo *est subjectum , in quo & de quo sunt omnia entia naturalia , continens in se omnia* , ita ut omnia sint in ipso sicut piscis in mari , ut sæpè explicat Lullus ; in ipsa continebatur & erat substantia panis cum suis accidentibus , & ideo , dum transubstantiatur , illam relinquit ; sed accidentia, quia non mutantur , remanent in ipsa , & ita ipsa *est subjectum accidentibus* , subjectum videlicet ea continens , sicut antea continebat ; & ideo in textu adducto , num. 61. dicitur quòd accidentia , quando substantia panis transubstantiatur , *collocantur* , videlicet per se sola, *in potentia elementali* ; & quia accidentia manent immota , & corpus Christi , in quod panis substantia transubstantiatur , succedit ubi erat illa substantia , ideo corpus Christi ponitur sub illis accidentibus , & illis mediantibus *est collocatum in illa elementali potentia ;* quia tamen non componitur cum ipsa , nec modo naturali sicut elementata continetur in ipsa , non subjicitur naturalibus mutationibus , quæ , ratione dictæ elementalis substantiæ , eveniunt corporibus elementatis.

LXII. Hæc elementalis substantia , cùm sit *subjectum , in quo & de quo sunt omnia entia naturalia , & de quo possunt omnia fieri per diversas transmutationes ;* ideo in textu relato , num. 59. dicitur esse *subjectum generationi , & corruptioni* accidentium , videlicet *generationi* ,

quæ fuit, dum ipsa fuerunt generata cum substantia panis in ipsa elementali potentia; & *corruptioni* eorum, quæ futura est in eadem & mediante ipsâ, sicut etiam *generationi*, quæ evenire potest ad ipsorum corruptionem, cùm ex ejusdem influxu fiant omnia naturalia; & propter hoc dicit ibidem Lullus, quòd, quando consumptum est Sacramentum, posset homo corporaliter vivere de illa elementali potentia, & de illis accidentibus; quia tamen hæc corporalis nutritio hominis ex mente Lulli suprà expressa, non fit nisi ex pane noviter producto, dum corrumpuntur accidentia, ideò hanc novi panis productionem videtur hìc supponere Lullus ex alibi dictis, ad hominis nutritionem, & innuere modum, quo producitur, dum dicit, quòd *per magnam concordantiam virtutis & naturalis instinctûs* posset homo vivere de illa elementali potentia. Ut hoc explicem, noto, ex ipso sæpissimè, & præsertim in libro *chaos*, tit *de generat. & corrupt. chaos*, & tit. *de universali transmutat. chaos*, quòd nedùm generationes regulares, in quibus est determinatum agens particulare producens, fiunt ex influxu ejusdem chaos seu substantiæ elementalis, sed etiam irregulares, dum non adest particulare agens determinatum producens, ut dum ex corpore corrupto alia diversæ speciei generantur. Hæç irregularis generatio ex ipso Lullo fit, ratione instinctûs & appetitûs ejusdem elementalis substantiæ, quæ per se tendit ad generationem elementatorum; & ratione etiam instinctûs & appetitûs seminum causalium in ipsa contentorum, quæ ad eamdem generationem inclinantur; & ratione concurrentiæ loci, temporis & aliorum comitantium, ita ut secundùm majorem omnium concurrentium dispositionem ad unam speciem præ alia, fit unius individui specifici generatio præ alio.

LXIV. Unde, cùm in dicto textu dicatur, quòd hominis nutritio, & consequenter novi panis productio ad eamdem prærequisita, fiat per *magnam concordantiam virtutis & naturalis instinctûs*, & ipse Lullus eôdem locô, quæst. 7. num. 16. dicat: *In Sacramento Altaris remanet naturalis instinctus in accidentibus, & in elementali potentia* (universali scilicet, in qua continentur) *in illo tempore, quô facta est transubstantiatio, & instinctus supra naturam remanet in transubstantiatione; & ideo est major instinctus, qui est supra naturam in Sacramento, quàm naturalis instinctus;* quatenus ratione supernaturalis transubstantiationis manent accidentia sine substantia panis, ad quam habent naturalem instinctum, & appetitum: videtur dicendum, quòd, dum corrumpuntur accidentia, & desinit esse sacramentaliter corpus

Christi, cùm tunc non obstet transubstantiatio supernaturalis, reddit naturalis vigor instinctûs & appetitûs naturalis accidentium ad substantiam panis, & per magnam hujus instinctûs & appetitûs concordantiam cum instinctu & appetitu substantiæ elementalis, habetur major dispositio & proportio ad generationem substantiæ panis in illa accidentium corruptione, quàm ad alterius substantiæ generationem; & quia semen causale panis in elementali substantia simpliciter & confusè contentum, habet etiam modo dicto majorem dispositionem, præ alio quocumque semine causali, ut per suum instinctum & appetitum influat in generationem novi panis: ideo tunc generatur novus panis, & non alia substantia; & quia in accidentibus jam incepta est corruptio, generatur novus panis inceptus corrumpi, & ex ipso sic disposito generat homo, recipiens Eucharistiam, suam carnem per nutritionem; vel alia generantur, quæ solent & possunt ad corruptionem specierum sacramentalium evenire.

LXV. Prædicta omnia dicta sunt sine præjudicio majoris intelligentiæ, & solùm quia mihi videntur conformiora doctrinæ Lulli, dum agit de generationibus irregularibus, cùm aliunde videatur supponendum ex ipso juxta supradicta, quòd, dum corrumpuntur species sacramentales, producitur novus panis vergens ad corruptionem, ex quo inmediatè fit hominis nutritio; quamvis ipse in variis locis supra citatis agens de hujusmodi nutritione, non exprimat productionem novi panis, quam ex aliis locis assertam tunc supposuit, tractans per compendium hujusmodi secretas operationes. Hæc etiam novi panis generatio, prout exposuimus, videtur conformis Waldensi, tom. 2. *de Sacram.* cap. 62. qui, referente Michaele Palacios in 4. dist. 12. disp. 2. dicit: « hominem posse nutriri ex speciebus sacramentalibus propter alteram ex duabus causis: vel quia » species sacramentales ex vi divinitùs influxa illis, aut aëri, vel vapori circumstanti, poterunt congregare vel humores in corpore, » aut aërem proximum per anhelitum; ex humoribusque hujusmodi, » vel ex aëre, attracto per virtutem specierum apta fit materia, quæ » transmutetur à calido naturali, unde fiat nutritio ». Hic modus nutritionis possibilis consideratur à Waldensi, qui videtur similis modo quem insinuat Lullus in variis locis, in quibus non explicat ante nutritionem fieri novum panem, ex quo fit nutritio; connaturaliùs tamen videtur fieri nutritio, prout explicuimus, quàm ut explicat Waldensis, & quàm dicunt plures Thomistæ apud Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 57. sec. 3. videlicet, quantitatem hostiæ consecratæ converti

verti in novam materiam, ex qua fit nutritio; solo tamen, apud ipsum, ait, novam materiam congenerari, & ex ipsa fieri nutritionem; & sic admittit generationem novam.

LXVI. Rediens iterùm ad explanandos Lulli Textus circa Eucharistiam, prænoto, quòd ipse non intendit remanere aliquam materiam vel substantiam panis post transubstantiationem, eò quòd hanc aliquoties explicet ad modum, quo panis convertitur in carnem comedentis, in qua conversione remanet materia; quia hoc est purum exemplum, quod non tenet in omnibus; & aliunde explicat differentiam, quia sacramentalis transmutatio fit sine digestione, alteratione, augmentatione, quantitate, &c. quæ interveniunt ad humanam nutritionem ex pane; & propterea sacramentalis transmutatio est majus miraculum, & major transmutatio, quàm alia quæcumque ex ipso in *Lectur. Ar. inven. & Tab. gener. dist.* 3. part. 1. quæst. 5. in ejus quæst. 2. num. 18. & adeo perfecta, quòd non potest imaginari, ex quæst. 3. num. 18. & propterea sæpè dicit, ut ibi quæst. 4. num. 4. quòd major captivitas & vis, quam patitur intellectus, est in assensu ad hoc Sacramentum. Nec solus est Lullus, qui prædicto exemplo explicat conversionem eucharisticam, quia eodem utuntur plures Patres, & præcipuè Nyssenus *Orat. Catech.* Damascen. lib. 4. *de fide Orthod.* cap. 14. Thephilact. in Joan. cap. 6. & hoc exemplum tamquam certum & firmum Patrum documentum exponit contra Hæreticos citatus Gropperus, pag. 369. §. *Tertiò docere eos.*

LXVII. Neque ad notatam propositionem alludit ipse Lullus, dum sæpè dicit, quòd de *pane* fit caro, & de *vino* sanguis Christi, vel *ex pane, & vino*; quia in dictis locutionibus solùm intendit, panem converti & transubstantiari in corpus Christi, & vinum in ejus sanguinem; non autem intendit panem & vinum esse materiam, ex qua vel de qua, sicut naturaliter vel artificialiter, unum fit ex aliquo vel de alio, ut patet ex ipsius doctrina, usque huc exposita; in hoc autem loquendi modo consonat Lullus Sanctis Patribus, qui ita frequentissimè loquuntur, ut D. Ambrosius, lib. 4. *de Sacram.* cap. 4. dicens: *Ubi accesserit consecratio de pane fit corpus Christi..... Ergo didicisti, quòd ex pane fiat corpus Christi.* Nyssenus, *Orat. Catechet.* ait: *Seipsum* (*Deus*) *impertit per carnem, quæ ex vino & pane constituitur.* Gaudentius, *Tract.* 2. *de Exodo*, scribit: *Ipse naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest & promisit, efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.* Adelmannus, *in Epist. ad Berengar.* ait:

Qui dixit in principio : fiat lux, & facta est lux de nihilo, non potuit dicendo de pane, hoc est corpus meum, *id fieri efficere?* Tandem Divus Anselmus, *Tract. de Azimo & ferment.* passim repetit, de pane fieri corpus Christi.

LXVIII. Non etiam notatam innuit Lullus propositionem, dum sæpè repetit, quòd per consecrationem, panis fit caro, & vinum sanguis Christi, & ex consequenti quòd panis consecratus & transubstantiatus est ipsa eadem Christi caro, & unum cum ipsa; nam panis dicitur fieri corpus Christi, quia in ipsum transubstantiatur; & dictâ expressione vividè & propriè explicatur transubstantiatio, prout communiter loquuntur Patres, qui apud cit. Gropperum & Bellarminum videri possunt; & in canone Liturgiæ Romanæ dicimus : *Ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui.* Undè, cùm panis fiat corpus, & vinum sanguis Christi, verum est, quòd panis consecratus & transubstantiatus est corpus, & vinum consecratum sanguis Christi, ut intelligit Lullus in Textu relato num. 20. & aliquibus aliis, quia sic vividè & propriè explicatur vera transubstantiatio, dum dicitur panem transubstantiatum, esse ipsum verum Christi corpus; esse unum & fieri unum cum ipso, non duo corpora, nec diversa, prout loquuntur plures Patres, ut *Proclus Constantinopol.* dicens : *Ut ejus divina præsentia propositum in sacrificio panem & vinum aquâ permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Salvatoris Nostri Jesu-Christi efficeret.* Sanctus Remigius Rhemen. in 1. Corint. cap. 10. sic scribens : *Caro, quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ Personæ, & panis, qui consecratur in Ecclesia, unum corpus sunt; sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus.* Primasius, in Epist. ad Hæbre. cap. 10. sic : *Est unum corpus Christi cum illo, quod suscepit de utero virginali, non multa corpora.* Basilius in Liturgia sic orat : *Fac panem hunc ipsum honorificum corpus Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu-Christi; quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem, &c.* Damascenus, lib. 4 *de Fide orthod.* cap. 14. sic scribit : *Sic & propositionis panis vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritûs Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed unum & idem.* Eusebius Emissenus, vel, ut aliis placet, Gallicanus, Homil. de Passione, sic : *Hic, inquit, est sanguis meus, qui fundendus est, non alius iste & alius ille, sed unus idemque est, & iste & ille.* Chrysostom. Epist. ad Cesar. Monachum, sic : *Et non duo corpora, sed unum cor-*

pus Filii prædicatur. Et D. Thomas, in 4. dist. 11. quæst. 1. ar. 2. ad 1. dicit, panem converti in corpus Christi, *non ut sit sub ipso*, *sed ut sit ipsummet*.

LXIX. Ex his pronum est intelligere phrasim Lulli, quâ, ut explicet, quàm vera & realis est transubstantiatio panis in corpus Christi, dicit in Textu notato, num. 20. substantiam transubstantiatam existere sub accidentibus corporis Christi, quia est ipsum idem corpus, quod eisdem subjacet accidentibus: intelligi quoque potest alia Lulli phrasis, quâ, ut vividè explicet veritatem & realitatem transubstantiationis, dicit aliquoties, panem taliter fieri corpus Christi per transubstantiationem, ut induat, assumat, & accipiat accidentia corporis Christi, id est, cùm panis per transubstantiationem fiat corpus Christi, quod est subjectum suis accidentibus, ipsisque indutum, fit subjectum ipsis accidentibus, & ponitur sub ipsis, ac proinde panis transubstantiatus induit, & assumit illa, quia fit ipsum verum Christi corpus ipsis subjectum, eisque indutum: atque ita panis, non secundùm suum esse, sed prout transit per conversionem in corpus Christi, illa induit, & assumit. Sic intelligendus est Lullus, *in Lect. Art. inven. & Tab. gen.* dist. 3. par. 1. q. 5. in ejus quæst. 5. *de quantitate in Sacrament. Altar.* num. 1. dicens: « Jesus » Christus, in quantum homo habet quantitatem, & sua quantitas » est in Sacramento Altaris, quam quantitatem assumit illa substan» tantia, quæ (per transubstantiationem) dimittit quantitatem pa» nis & vini; ad significandum magnam sapientiam & virtutem Dei» tatis in illo Sacramento, in hoc, quòd in hoc Sacramento fiat » *transmutatio* de pane in carnem, & de vino in sanguinem, sine mul» tiplicatione simplicis & compositæ, continuæ & discretæ quan» titatis, sic quòd nulla species quantitatis multiplicetur in corpore » Christi, in illa *transubstantiatione* Sacramenti; & hoc est intelligibile in magnitudine virtutis Dei, in hoc quòd substantia, quæ di» mittit quantitatem panis, & vini (post transubstantiationem) non » est alia substantia, quàm substantia Jesu-Christi ». Et ibidem, num. 20. dum dicit, quòd non posset esse transubstantiatio, si in pane & vino transubstantiatis, quæ jam sunt corpus & sanguis Christi, *remaneret quantitas panis & vini; & hoc quod transubstantiatum est, esset indutum aliâ quantitate, quàm quantitate Christi tantùm*; quia nisi ita esset, non esset transubstantiatum in ipsum verum Christi corpus, cujus indumentum est quantitas sua propria.

LXX. Sub eodem sensu loquitur ibidem Lullus, quæst. 6. num. 1.

dicens, quòd *substantia panis* (transubstantiata) *qualificatur sub qualitatibus corporis Christi*, & *num.* 2. *quòd substantia transubstantiata assumit accidentia corporis Christi, dum sensus attingunt accidentia illius substantiæ, quæ fuit panis, conjuncta cum transubstantiata substantia*, quatenus sensus illa attingunt, ac si adhuc essent in pane; & num. 6. *Transubstantiata substantia accipit naturalem odorem sustentatum in corpore Christi*; & num. 14. quòd hoc Sacramentum *est de transubstantiatione illius substantiæ, quæ dimittit accidentia panis & vini, & assumit illa, quæ sunt corporis Christi*; & num. 16. quòd *substantia panis & vini* (per transubstantiationem) *dimittat suas proprias qualitates, & accipiat alias qualitates, in quibus est magis amabilis, quàm in primis*. Similiter dum, quæst. 8. num. 7. scribit: *Substantia panis transubstantiata non est collocata in accidentibus, quæ dimittit, quia non est conjuncta cum illis; quia, si cum illis esset conjuncta & illa cum ipsa* (per inhærentiam scilicet & coextensionem in loco) *comprehenderet & terminaret ipsam quantitas panis in tam parvo loco, quòd corpus Christi ibi non posset recipi* (cùm ipsum quoad extensionem localem sit majus quàm quantitas panis) *sed quia est conjuncta cum quantitate corporis Christi* (quatenus est facta ipsum Christi corpus conjunctum cum sua quantitate) *& quia est transubstantiata per æqualitatem magnitudinis & veritatis, potest recipi*, (sacramentaliter scilicet, & non per localem coextensionem) *in illo loco, in quo quantitas, quæ solebat esse panis, est terminata & comprehensa*. Pariformiter dum, quæst. 9. num. 4. dicit: *In Sacramento Altaris habent potestas, & voluntas Dei modum in majorificando substantiam panis, in quantum ipsam removent à minoritate* (videlicet per transubstantiationem faciendo illam corpus Christi, quod est quid majus) *& illam denudant à quantitate, colore, & sapore panis, & illi tribuunt* (faciendo illam corpus Christi) *quantitatem corporis Christi, & hoc idem de substantia vini*. Tandem, dum, quæst. 10. num. 2. ait: *Et Sacramentum est cum accidentibus panis & vini, quæ* (eorum substantia) *dimittit, & cum accidentibus, quæ substantia* (transubstantiata) *sumit à corpore Christi*, (dum fit ipsum corpus) *& cum transubstantiatione substantiæ*.

LXXI. Profectò hæc omnia deserviunt ad explicandam veritatem & realitatem transubstantiationis, nam adeo verè & realiter substantia panis transubstantiatur in ipsum verum Christi corpus, quòd fit ipsummet Christi corpus affectum suis accidentibus, & ita fiendo ipsum corpus, assumit, induit, accipit & recipit ejus accidentia, ejusque conditiones sortitur; & postquam est transubstantiata, &

facta corpus Christi est ipsum corpus Christi, & est remota à minoritate panis, & adeo majorificata, quòd est ipsum corpus Christi; ac proinde de ipsa sic sumpta prædicantur, quæ corpori Christi conveniunt, prout, præter relatos Patres, num. 68. omnia prædicta simili phrasi explicant sequentes: Irenæus, lib. 4. *advers. hæreses*, cap. 57. ait: *Qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrenâ, & cælesti.* Cyprianus, *Serm. de Cæna Domini*, vel quicumque est ejus Autor, dicit: *Ante verba illa, cibus ille communis tantùm; sed post consecrationem, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit.* Eusebius Emissenus, vel Gallicanus, Hom. 5. *de Paschate*, explicat quomodo fit panis aliquid majus dicens: *Immò jam minoris esse videtur miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare.* Et D. Bernardus, Serm. *de Cæna Dom.* sic: *Creator vini est, qui vinum provehit in sanguinem Christi.* Fulbertus Carnoten. *Epist. ad Adeodatum*, sic: *Dubitari nefas est, ut ad cujus nutum cuncta subitò substiterunt, si pari potentiâ in spiritualibus Sacramentis terrena materies panis & vini, naturam & meritum generis sui transcendens, in Christi substantiam commutetur.* D. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 2. ad 2. scribit: *Conversio autem panis in corpus Christi non est mutatio opposita creationi, sed quodammodo perficiens ipsam, in quantum panis nobilius esse per hanc conversionem consequitur, & ideo non oportet, &c.* Et Cardin. Nicolaus de Cusa, lib. 6. *excitationum*, Serm. 4. *super una oblatione*, pag. 522. sic idipsum explicat: *substantia panis in confectione Sacramenti debet* in superiorem substantiam Christi transsumi, *alioqui non esset perfectum Sacramentum, in quo debet contineri omni modo possibili transsubstantiatio: quæ fit veraciter, quando natura nostra transit in gratiosam Dei filiationem: non dico, quòd natura pereat, sed quòd substantia* transsumitur in altiorem. *Sic hic natura panis quæ est in cibatione, non perit, sed substantia transsubstantiatur, hoc est in altiorem substantiam transsumitur.* Qualiter panis per transsubstantiationem sortiatur conditiones corporis Christi, sic explicat Divus Damascenus, lib. 4. de fide orthod. cap. 14. dicens: *Non est figura panis & vinum* (consecrata) *corporis & sanguinis Christi; absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum;* & infra: *sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati.* Gaudentius, *tract.* 2. *in Exod.* sic: *Ne terrenum putes quod cælestè effectum est per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum corpus, & sanguinem.* Stephanus

Heduen. lib. *de Sacram. Altar.* cap. 15. sic : *Itaque fides nostra est, & verè credendum est, quòd Sacerdote proferente hæc verba :* Hoc est corpus meum, *jam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de Cœlo descendit.* Alcuinus, lib. *de Divin. Offic.* cap. de Missa, ad illa canonis verba : *ratam, rationabilem, &c.* sic loquitur : *Panis per se irrationabilis est, sed erat Sacerdos, ut ab omnipotente Deo consecratus, rationabilis fiat, transeundo in corpus Filii sui.* Cardin. Cussanus, lib. 4. *excitationum*, Serm. *Memoriam fecit mirabilium, &c.* pag. 447. postquam variis exemplis explicuit transubstantiationem, præcipuè ad modum quo panis convertitur in nostram carnem, sic scribit Deum alloquens : *Nam quid est convertere panem in Te, nisi Te in panem? Quando enim tu Domine panem in tuum corpus convertis, non-ne Tu vitam pani tribuis? Nam quid est panem in nostram carnem converti, quàm animam vivificando in panem descendere?*

LXXII. Neque pariter notatam admittit Lullus propositionem, dum Sacramentum Eucharistiæ ad modum incarnationis exponit : per hoc Sacramentum explicans incarnationem, & per incarnationem Eucharistiam; quia similitudo, quam exponit, rectè tenet in utrisque, quamvis sit magna differentia, quam etiam explicat, quatenus humanitas assumpta à Verbo semper manet in seipsa distincta ab illo, licèt eidem unita; substantia autem panis, quæ fit corpus Christi, non manet in seipsa; sed totaliter convertitur in corpus Christi; & propterea panis substantia secundùm suum esse non est unita Verbo divino : At ut explicetur quàm verè & realiter panis substantia transubstantiatur in ipsum Christi corpus, quod est assumptum à Verbo, ipsique unitum, & quod in Sacramento est eadem ipsissima caro & sanguis Christi, quæ per transubstantiationem fiunt ex pane & vino, dicit aliquando Lullus, quòd Christus in Sacramento assumit carnem & sanguinem ex pane & vino, quatenus videlicet ex pane & vino facit suam carnem & sanguinem, non quòd alia sit caro ex pane à carne, quam assumpsit ex Virgine, sed quia eadem caro assumpta ex Virgine, per transubstantiationem fit ex pane, assumitur quodammodò ex pane; sicut, licèt eadem jam sit à tempore incarnationis producta, de novo tamen quodammodò ex pane producitur.

LXXIII. Ex hoc patet intelligentia textûs, qui habetur *in Lect. art. invent. & Tab. Gen.* dist. 3. p. 1. quæst. 5. in ejus quæst. 3. *De quo est Sacram. Altaris?* Ubi num. 10. sic scribit Lullus : *Igitur Sacramentum Altaris est de ista cognitione, videlicet ut homo in hoc Sacramento cognoscat, quomodò Deus sit homo, & homo sit Deus : quam*

cognitionem homo potest habere in Sacramento; nam, sicut humanitas est conjuncta Deo, sine hoc, quòd Deitas inde recipiat multiplicationem, & alterationem, sic, quoad istum passum, *Christus assumit carnem & sanguinem* (ex pane videlicet & vino) *in Sacramento sine augmentatione, & mutatione sui ipsius.* Planè comparatio, quæ fit in hoc textu, solùm est *quoad istum passum*, videlicet, quod Deitas non recipit *multiplicationem*, id est, compositionem, nec *alterationem*, per hoc quòd Deus fiat homo ex conjunctione humanitatis cum Deitate, sicut Christus non recipit *augmentationem nec mutationem sui ipsius*, per hoc, quòd ex pane & vino per transubstantiationem faciat suam carnem & sanguinem; seu assumat ex pane & vino suam carnem & sanguinem, faciendo ipsa ex pane & vino; non enim aliter Christum assumere carnem censendus est dicere Lullus, quam eo modo, quo tenet fieri carnem & sanguinem Christi in Sacramento; & cùm ex hucusque dictis evidenter constet, ex mente ipsius, carnem & sanguinem fieri per transubstantiationem ex pane & vino, & taliter quòd essentia panis transubstantietur & fiat ipsissima caro Christi, qui est in Cœlo, ideo *assumere* carnem & sanguinem in dicto textu non aliud significat, quàm Christum in Sacramento facere suam carnem & sanguinem ex pane & vino: non quòd alia sit caro ex pane à carne Christi in Cœlo, quia nedùm in textibus supra adductis, sed etiam in tota hac quæst. 5. sæpè repetit, quòd est eadem; ut in ejus quæst. 2. ubi num. 3. dicitur, quòd in hoc Sacramento principiatur Christus jam principiatus, & sanguis jam principiatus; num. 5. quòd ibi est Christus, qui est in Cœlo; num. 7. quòd ibi est corpus unitum cum anima & divinitate; quæst. 5. num. 1. quòd substantia transubstantiata *non est alia substantia, quàm substantia Jesu-Christi*; num. 2. idem dicitur; num. 9. quòd caro & sanguis sunt de *essentia* corporis Christi; & similia passim dicuntur.

LXXIV. Sanè non est ulla novitas in Lullo explicare Eucharistiam ad modum Incarnationis, easque ad invicem comparare, immò hoc est valde frequens apud Patres, ut Justinum, *in Apolog.* 2. Cyprian. in Serm. *de Cœna Domini*, Chrysost. *in Epist. ad Cæsarium Monachum*, & alios plerosque, qui dum comparationem instituunt, phrasi unionis & conjunctionis ad carnem & sanguinem in Eucharistia utuntur, quemadmodum in Incarnatione, sic Damasc. lib. 4. *de Fid. Orthodox.* cap. 14. de hoc loquitur: „ *Quomodò fiet mihi* istud, dicit Sancta „ Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondit Gabriël Archan- „ gelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obum- „ brabit tibi: & nunc interrogas, quomodò panis fit corpus Christi,

» & vinum & aqua sanguis Christi ? Respondeo tibi & ego : Spiritus » Sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligen- » tiam ; panis autem & vinum *transumuntur* ». Et postea subdit : » Et quemadmodum in baptismate (quia consuetudo est hominibus » aquâ lavari, & oleô ungi) conjunxit oleo & aquæ gratiam Spiri- » tûs Sancti, & fecit illud lavacrum regenerationis : hunc in modùm, » quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam » bibere, *conjunxit* his ipsis suam divinitatem, & fecit hæc suum » corpus & sanguinem.... Corpus enim secundùm veritatem conjunc- » tum est divinitati, quod ex Sancta Virgine corpus est : non quòd » ipsum corpus *assumptum* ex Cœlo descenderit, sed quòd ipse pa- » nis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei ». Et pos- tea dicit : *Sic panis Communionis non panis simplex est*, *sed unitus Divinitati*. Profectò hîc Damascenus dicit, ad modum Incarnationis panem & vinum *transumi*, quod videtur idem ac *assumi* per transi- tum in aliud, sive per transmutationem ; & subdit quòd Deus fa- ciendo panem & vinum suum corpus & sanguinem, eisdem *conjunxit* suam divinitatem ; ac deinde panem fieri *unitum* divinitati : in quibus omnibus eâdem utitur locutione, ac Lullus. S. Remigius Rhemensis, in 1. Corint. cap. 10. sic : » Sicut enim illa caro (sumpta » ex Virgine) Corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus » Christi, nec duo sunt corpora, sed unum corpus. Divinitatis enim » plenitudo, quæ fuit in illo, *replet & istum panem*, & ipsa Divinitas » Verbi, quæ implet cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, » ipsa *replet* corpus Christi, quod à multis Sacerdotibus per univer- » sum orbem sanctificatur, & facit unum corpus Christi esse ». Hîc etiam, nedùm dicitur, quòd Divinitas *replet* panem, sed quòd, *replente* divinitate corpus Christi, quod à Sacerdotibus sanctificatur, *facit* illum esse unum corpus cum corpore ex Virgine sumpto : in quibus, nedum quædam assumptio, sed etiam distinctio corporis à corpore quoad modum insinuatur. Guillermus ex Abbate S. Theo- dorici, Monachus Cisterciensis & D. Bernardi amicus familiaris, lib. *de Sacram. Altar.* cap. 5. sic : » Qui ergo divinâ pietate dignatus » est in humeros suos elevare ovem perditam, id est, in unitatem » Personæ suæ assumere corruptam naturam nostram, idem nunc » terrenam substantiam panis *suscipiens* in virtute divinæ potentiæ, » cui in omnibus & per omnia subest, cùm voluerit, posse, transf- » mutat in veritatem carnis suæ.

LXXV. Circa hoc idem alii PP. licèt expressè ad Incarnationem non

non comparent Euchariſtiam, ad illam tamen alludentes, hanc exponunt per quamdam unionem & conſociationem, ut Magnus Gregor. lib. 4. *Dialogor.* cap. 58. relatus, cap. *Quid ſit ſanguis*, diſt. 2. *de Conſecrat.* ibi ſic ait; » Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in » ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri: in » illo Jeſu-Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſumma & » ima *ſociari*, terrena cæleſtibus *jungi*, *unum* quoque ex viſibilibus » atque inviſibilibus *fieri?* » Præterea idem in eodem Decreti capite ſic Sacramentum exponit: » Unô eôdemque tempore ac momentô » in Cœlis *rapitur*, myſterio Angelorum, corpori Chriſti *ſociandus*, » & ante oculos Sacerdotis in Altari videtur.... licèt multis locis, » & innumerabilibus diebus illìc conſecretur corpus, non ſunt tamen » multa corpora Chriſti, neque multi calices, ſed unum corpus » Chriſti, & unus ſanguis cum illo, quod ſumpſit in utero Virginis, » & quod dedit Apoſtolis; Divinitas enim Verbi *replet* illud, quod » ubique eſt, & *conjungit & facit*, ut, ſicut ipſa una eſt, ita & unum » ejus corpus ſit in veritate ». Gillebertus de Hoilandia, Abbas Ciſtercien. *Serm.* 7. *in Cant.* ſic loquitur: » Nam per Sacramenti bene» dictionem accipit oblatus panis hanc ineffabilem mutationem, & » ex myſtica conſecratione, & Verbi viventis *copulatione*, hæc vi» vificatrix gratia in carne Chriſti redundat ». D. Gaudentius, locô citatô, num. 71. dicit: » Ne terrenum putes, quod cœleſte effectum » eſt per eum, *qui tranſit in aliud*, & fecit illud ſuum corpus & » ſanguinem ». Et Cardin. Cuſſanus, ibidem dicit, Deum pani *vitam* tribuere. Et D. Thomas, Opuſc. 59. cap. 7. adducendus Diſſert. ſequenti, num. 34. ait, quòd panis converſus *ſubſtantificatur* in ipſam & ab ipſa Perſona Filii Dei. Unde, ſicut præfatæ Patrum expreſſiones verificantur & uſurpantur; ut intelligatur panem per tranſubſtantiationem fieri idem corpus Chriſti à Verbo aſſumptum, eidem copulatum, unitum, ſociatum, &c. & propterea dicunt panem conſecratum, vel carnem & ſanguinem in Sacramento conjungi, uniri, copulari, &c. Verbo, ac à Divinitate repleri, eamque in ipſa tranſire: ita ſub eodem ſenſu & intelligentia dicit Lullus, Chriſtum in Sacramento carnem & ſanguinem aſſumere ex pane & vino. Expreſſiùs de hoc loquitur Rupertus Tuitien. lib. 6. in Joan. dicens: » Et ſicut Verbum, quod eſt panis Angelorum, caro fac» tum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem: ſic » idipſum Verbum jamdudum caro factum panis viſibilis fit, non » mutatum in panem, *ſed aſſumendo* & in unitatem Perſonæ ſuæ

„ transferendo panem. Proinde, ficut de carne noftra, quam Virgo „ Maria peperit, verè fatemur, propter unitatem Perfonæ, quia „ Deus eft, fic nihilominus de pane ifto vifibili, quem ejufdem „ Verbi invifibilis Divinitas *affumens*, in carnem fuam transfert, „ verè & catholicè confitemur, quia corpus Chrifti eft „. Et lib. 7. pag. mihi 146. fcribit: „ Licèt panis ifte vifibilis cum invifibili Filio „ Dei unum factus fit; aries autem ille cum Ifaac, pro quo eidem „ aræ impofitus, unum effe, vel fieri non poterit. Nam Dei Filius, „ id eft, Deus & homo, habet in fe virtutem, effectivam, quâ fibi „ *uniat* panem iftum vifibilem; Ifaac autem illum fibi concorporare, „ falvâ utrâque fubftantiâ, non poterat arietem.

LXXVI. Ad alios Lulli textus explanandos progrediendo, occurrit alius in citata lectura, & q. 5. in ejus q. 3: *de quo eft Sacramentum Altaris?* num. 1. ubi dicitur: *Et ambæ virtutes tamquam agens, quod producit Sacramentum de illa materia*, (fubftantia) *quæ dimittit accidentia panîs & vini, & eft tranfubftantiata, & informata in corpus Jefu-Chrifti.* In hoc textu ly *materia* folùm denotat materiam eô fensû, quô Theologi communiter dicunt, panem & vinum effe materiam hujus Sacramenti, videlicet illud, quod eft terminus à quo tranfubftantiationis eucharifticæ, ut patet ex toto decurfu hujus Differtationis; & fic ly *materia* non denotat illam, quæ talis dicitur in operationibus naturalibus, vel artificialibus, quæ permanet in operato, quia ex hucufquè dictis conftat eam materiam, de qua hîc agitur, videlicet fubftantiam panîs & vini, totam, & totaliter tranfmutari, ita ut nihil fit poftea quoad fuum effe; nec obftat, quòd in textu ipfa *materia dicatur informata in corpus Chrifti*; dicitur enim informata eô fensû, quô *tranfubftantiata*; & ita, ficut eft tranfubftantiata, quia eft facta fubftantia corporis Chrifti, ita eft *informata in corpus Chrifti*, quia eft facta ipfum formatum corpus Chrifti. Similiter fumitur *materia*, dum, num 2. dicitur: *Sacramentum Altaris eft de illa materia, quæ* (dum tranfubftantiatur) *dimittit accidentia panîs & vini, fine corruptione fuî ipfius, & ipforum accidentium*, & *affumit* (fiendo corpus Chrifti, ut fupra eft explicatum à num. 69.) *accidentia Jefu-Chrifti fine corruptione ipfius Jefu-Chrifti, & fuorum accidentium.* Dicitur autem illa materia, feu fubftantia panîs & vini non corrumpi, ficut, nec ejus accidentia, corruptione fcilicet phyficâ, quâ corrumpitur, dum in carnem comedentis, vel in aliud quodcumque naturaliter convertitur; non autem intelligitur de incorruptione fumptâ pro permanentia fecundùm fuum effe, quia

ex hucusque dictis constat totaliter converti, & non permanere.

LXXVII. Eodem sensu ibidem, num. 14. scribit Lullus: *In Sacramento Altaris substantia panis & vini dimittit accidentia sine corruptione, & ideo est hoc Sacramentum de illis principiis, quæ de una substantia possunt transire in aliam sine corruptione substantiæ, & accidentium*; nam hîc loquitur de corruptione physica, ad quam subsequitur naturaliter generatio; quæ quidem corruptio nec substantiam panis & vini, nec eorum accidentia afficit, quia, permanentibus accidentibus, substantia sine sua physica corruptione convertitur in corpus & sanguinem Christi, quòd autem hîc agat de corruptione physica, quâ non corrumpitur, substantia, quæ convertitur, patet ex immediatè subsequentibus his verbis: *Unde quando accidentia, quæ dimittit, corrumpuntur, &c.* prout explicavimus num. 53. quibus verbis docet, quòd quando accidentia eucharistica corruptione physicâ in stomacho hominis, vel alibi, corrumpuntur, tunc fit productio novæ substantiæ; atque ita, cùm hanc corruptionem, quam hîc affirmat evenire accidentibus post transubstantiationem, neget afficere substantiam & accidentia in ipsa transubstantiatione, evidens est ibi agere de hac physica corruptione, ut ampliùs patet ex quæst. 4. num. 3. ubi loquens de difficultate intelligendi hoc Sacramentum, eam ponderat, præter alia, quia in ipso *non possumus intelligere secundùm naturam nostri intellectus, quòd accidentia possint sustentari in seipsis, nec quòd de pane fit caro sine corruptione, & de vino sanguis & sic de aliis proprietatibus, quæ sunt supra naturam*: ubi negat illam corruptionem, quam intellectus secundùm suam naturam attingit, dum juxta naturam de pane fit caro.

LXXVIII. In eadem quæst. 5. num. 6. dicitur, *quòd Sacramentum sustentatur in subjecto, quod dimittunt accidentia, & est transubstantiatum in corpus Christi*: quibus verbis unicè intenditur, ad esse Sacramenti requiri, tamquam materiam, illud subjectum seu substantiam, quæ transubstantiatur, & persistere Sacramentum per hoc quòd fit transubstantiatum, & factum ipsum corpus Christi. Præterea, quæst. 5. num. 18. scribitur: *Christus est propinquior homini, qui amat Sacramentum, per amare, quàm corpori, quod sentit accidentia, quibus Sacramentum est spoliatum.* Dicitur autem Sacramentum spoliatum accidentibus, quæ à corpore hominis sentiuntur, quia corpus Christi, quod ibi intelligitur per Sacramentum, sicut etiam frequentissimè in hoc tractatu de Eucharistia, non est affectum per physicam inhærentiam ab ipsis accidentibus, nec est ipsis indutum &

informatum; & eisdem fuit spoliata panis substantia, quæ facta est ipsum corpus Christi, quod tamen sub eisdem accidentibus sacramentaliter perseverat, ut sæpè explicat ipse Lullus in hoc eodem tractatu de Eucharistia. Tandem ibidem, quæst. 9. num. 6. habetur ita: *Modus Sacramenti Altaris est figura, quæ significat modum Incarnationis; nam sicut substantia panis transubstantiatur in substantiam corporis Christi sustentata cum modo possificandi, gloriandi, & complendi, & illa transubstantiata substantia est corpus Christi, sic humanitas Christi est sustentata in Deitate, & ipsa est Deitas* (in concretò scilicet, quatenus in Christo homo est Deus, & Deus est homo) *& Deitas est ipsa; & hoc per modum possificandi, gloriandi, & complendi.* In hoc Textu substantia panis, quæ transubstantiatur, dicitur *sustentata*, non secundùm suum esse, sed secundùm quod *transubstantiata substantia, est corpus Christi;* & sicut, ut transubstantiata substantia, & prout est corpus Christi, sustentatur in Deitate, ita humanitas Christi sustentatur in Deitate; & sicut substantia panis per conversionem fit corpus Christi, ita humanitas per unionem cum Deitate quoad concretum fit Deus, quatenus homo fit Deus, & sic Deus est homo; non quòd Deitas in abstracto sit humanitas in abstracto, sed in concreto, ut docet ubique Lullus, & signanter in hoc eodem libro, dist. 3. par. 1. quæst. 2. *de Incarnatione*, quatenus Deus est homo, & homo est Deus. Neque intelligitur, quòd, sicut substantia panis convertitur in corpus Christi, ita humanitas convertatur in Deitatem; quia, ut amplè docetur in eadem quæst. 2. *de Incarnatione*, utraque perseverat inconversa & inconfusa. Neque tandem intelligitur quòd, sicut humanitas secundùm suum esse perseverat factâ unione, ita substantia panis secundùm suum esse perseverat factâ conversione, quia de substantia panis expressè dicitur transubstantiari, & prout est transubstantiata esse corpus Christi, & sic sustentari, ac proinde secundùm suum esse non permanet; unde non secundùm ista intelligitur comparatio, sed unicè modo explicato.

LXXIX. Ex hucusque dictis judico patere, Lullum non sensisse substantiam panis quoad suum esse manere post transubstantiationem in Eucharistia: neque in locis à laudato Censore notatis ex lib. *Sentent.* neque in aliis, quæ ultrò protulimus, quæ viderentur fortasse ansam præbere; neque in lib. *Proverbiorum*, par. 3. cap. 21. *de Sacram. Altar.* prout explicavimus Tom. 2. cap. 38. ad Art. 94. & 95. Eymerici; quia constans est sententia Lulli ubique ab ipsò propugnata, quòd substantia panis totaliter transubstantiatur, ita ut tota es-

ſentia ſubſtantiæ panis convertatur in corpus Chriſti, & nihil ſit quoad ſeipſam, nec remaneat in termino operato per tranſubſtantiationem, ſed ſolùm remaneant accidentia, quæ perſiſtunt ſine ſubjecto, ut abundantiſſimè eſt oſtenſum; & quia ex citata *Lec. Art. inven. & Tab. gen.* diſt. 3. par. 1. quæſt. 5. *de Sacramento Altaris*, plura videntur poſſe opponi loca, quæ ſupra explicuimus, iterum placet pro coronide eamdem Doctrinam manifeſtare, præter alios Textus ſupra adductos, ex eodem libro, & quæſt. 5. nam in ejus quæſt. 3. num. 3. explicans Lullus, qualiter fit hoc Sacramentum, dicit fieri, *in principiando ſacrificare de pane carnem, & de vino ſanguinem; non tamen ita carnem de pane, ſicut panis principiatur de farina & aquâ, quia ſic eſſet multiplicatio* (compoſitio) *in corpore Chriſti, ſed ſic de pane carnem, ſicut imaginari de ſentire, & intelligere de imaginari: quod imaginari non eſt de eſſentia ipſius ſentire, in quantum eſt per ſentire, & non poſſet eſſe ſine ſentire; & hoc idem eſt de intelligere; & ſimiliter de tranſubſtantiatione vini in ſanguinem.* In hoc Textu apertè proteſtatur Lullus, panis ſubſtantiam vel aliquid ipſius non manere in carne Chriſti, quæ fit ex pane, aliter caro fieret ex pane, ſicut panis fit ex farina & aqua, quæ manent in ipſo, & in eodem componuntur; totum autem hoc negat Lullus in carne Chriſti factâ per tranſubſtantiationem ex pane: unde ſolùm, ut explicat, caro Chriſti fit ex pane, ſicut imaginari fit ex ſentire, ita quòd imaginari non componitur, nec integratur ex eſſentia ipſius ſentire, ſed fit ex ſentire, quatenus eſt per ipſum, utpote ab ipſo oritur, & non poſſet eſſe ſine ſentire; & conſequenter nec ſubſtantia panis, nec aliquid eſſentiale ejuſdem, manet poſt conſecrationem in Euchariſtia.





DISSERTATIO IX.

An Lullus cum Ubiquiftis fenferit, corpus Chrifti effe ubicumque eft natura divina, in quæft. 128. Sententiarum, quoad Prop. 20.

§. I.

Demonftratur ex mente Lulli corpus Chrifti folùm effe in loco determinato, & non ubicùmque eft natura divina.

I. EX Ubiquiftis, cum quibus fenfiffe afferitur Lullus, aliqui, juxta Bellarmin. *tom.* 1. *Controver.* 2. lib. 4. à cap. 11. ftatuebant ubiquitatem humanitatis Chrifti ob idiomatum communicationem, dicentes unionem hypoftaticam ftare in hac communicatione, quâ humanitati fuerunt communicata divinitatis attributa, & ita dicebant, quòd humanitas formaliter eft omnipotens, omnifciens, ubique, &c. ficut divinitas. At facilè eft oftendere, Lullum cum iftis non fentire, quia paffim tenet, communicationem idiomatum in Chrifto non effe quoad naturas, fed quoad perfonam; quia, cùm fit una perfona in duabus fubfiftens naturis, quod de Deo dicitur, de homine prædicatur, & è converso; non autem de naturis, ratione unitatis Perfonæ, ut fignanter docet in eodem *lib. Sent.* ubi, à quæft. 101. oftendit, quòd, quia Chriftus eft unum fuppofitum, in ipfo Deus eft homo, & homo eft Deus, & alia plura ad hoc concernentia. Alii verò Ubiquiftæ dicebant, ad unionem hypoftaticam confequi hanc formalem idiomatum communicationem, ita ut vi unionis hypoftaticæ, humanitas verè, propriè, & formaliter fit omnipotens, omnifciens, omniprefens, &c. At ex dicendis conftabit cum neutris confentire Lullum.

II. Ad fequentium verò intelligentiam notandum eft, ex Bellarmin. ibid. cap. 19. quòd, dum quæritur utrùm Chriftus Homo fit ubique, *tres* regulæ pro modo loquendi habendæ funt præfentes: „*Prima* eft: „quando quæritur an Chriftus homo fit ubique, fi homo fit fubjec- „tum propofitionis, abfolutè concedendum eft effe ubique, quia tunc „vox *homo* fupponit pro fuppofito. Itaque ifta eft vera fimpliciter: „*Chriftus homo eft ubique*. *Secunda eft*: fi *homo* fit prædicatum, & „adverbium *ubique* teneat fe ex parte fubjecti, fimiliter concedenda

» est propositio. Itaque cùm dico *Christus ubique est homo*, verum » dico, si illud *ubique* tenet se ex parte subjecti, est enim sensus Christum, qui est ubique, esse hominem. *Tertia* est; si homo sit prædicatum, & *ubique* teneat se ex parte prædicati, tunc falsa est » propositio, nam cùm dico *Christus ubique est homo* si *ubique* afficit » conjunctionem subjecti cum prædicato, significat Christum in » omni loco habere secum præsentem humanitatem, quod est falsum. » Itaque juxta Bellarminum verum est semper dicere: *Christus ubique est homo*, dummodo non significetur humanitatem esse ubique præsentem, vel dummodo ly *ubique* non se teneat ex parte prædicati, quia idem suppositum, qui est Deus homo, est ubique. Notandum etiam ex eodem Bellarm. c. 17. « Illam propositionem: *Verbum* » *alicubi non est homo*; esse falsam, si significat verbum alicubi deseruisse humanitatem; licèt enim alicubi sit verbum, ubi non est » humanitas, tamen etiam ibi verbum est homo, quia verbum ibi » existens sustentat humanitatem, ut suam & propriam, licèt alibi » existentem, quemadmodum anima rationalis in pede existens, » unita est cum capite, & informat caput, licèt caput ibi non sit, » ubi sunt pedes. »

III. His positis, ad Lullum deveniendo, clarissimè explicat suum sensum; & *Primò* quoad naturalem præsentiam humanitatis Christi, tenet eam non esse nisi in loco determinato, ubicumque de hoc tractat; nam lib. *de princip. Theolog.* (tom. 1.) part. 2. *de quæst.* in quæst. 5. resolvit, quòd quia humanitas Christi est finita, non est per totum ubi est Filius Dei. Lib. *de quinque sapient.* part. 3. ratione 6. probat distinctionem naturarum in Christo, quia, *si conversio* (quâ Deus est homo, & homo est Deus in Christo) *privaret distinctionem ab eis* (naturis) *non esset distinctio in eisdem naturis inter magnitudinem finitam & infinitam: ex quo sequeretur, quòd humanitas esset infinita in extensitate in tantum, quantum est Deitas; & ille homo Christus esset major quàm totus mundus, & suum corpus esset collocatum intra mundum, & non esset collocatum extra mundum, extra quem mundum esset infinitum in quantitate sine superficie, & colore, & esset corpus & non corpus; hoc autem est contradictio.* Ex hoc patet, corpus Christi non posse habere magnitudinem infinitam, & consequenter non est ubique, sed in loco determinato juxta quantitatem suæ magnitudinis.

IV. Idem, *in disput. cum Hamar Saraceno* (tom. 4.) cùm part. 1. cap. 9. *de magnitudine* sic objiciat Saracenus: « Posito quòd Deus » sit incarnatus, aut ipse est totus incarnatus, aut pars: si totus,

» sequitur, quòd homo Christus sit ita magnus sicut Cœlum, & » plùs, & sit *ubique*, quod est impossibile; sed si Deus non èst totus » incarnatus, inde sequitur, quòd divina magnitudo & subjectum, » in quo est, videlicet divina essentia, sit divisibilis, quod est im- » possibile: » sic ad hanc objectionem part. 2. cap. 11. *de magnitudine*, num. 3. respondet Lullus: « Respondeo & dico, quòd Deus » Filius totus sit incarnatus, quia ens infinitum est ubique totum » ratione suæ indivisibilitatis; & Christus in quantum homo *non est* » *ubique*, quia est finitus & limitatus; sed Deus Filius ubique est » homo, quia totus est incarnatus, & sic est homo in Cœlo, & » extra Cœlum, & in terra; nam est infinitus, & propter hoc dici- » tur quòd Eucharistia sit possibilis, quia Filius Dei existens homo, » èst ubique homo. » Et cap. 16. num. 3. respondens ad aliam Saraceni objectionem dicit, quòd Deus per incarnationem voluit esse *homo finitus*, & *conclusus in utero Beatæ Virginis*. In relato textu apertè negat Lullus quòd Christus in quantum homo sit ubique; de Filio autem Dei, qui totus est incarnatus, quia est infinitus, affirmat quòd ubique est homo, eò quia ratione infinitatis Filius Dei est ubique, & quia totus est incarnatus, ubique est homo; quia ubique est suppositum humanitatis existentis in loco suo determinato; cùm enim neget humanitatem esse ubique, dum affirmat Filium Dei ubique esse hominem ly *ubique* non afficit prædicatum, sed subjectum, prout explicuit Bellarminus.

V. In *Lectura Art. inven. & Tab. Gen.* (tom. 5.) dist. 3. part. 1. quæst. 2. agit Lullus *de incarnatione* per 10. quæstiones, in quarum quæst. 8. *Ubi est incarnatio Dei?* Per totam tractat de loco humanitatis Christi, & ad præsentem casum sic num. 1. scribit: *Incarnatio est in Deitate, & humanitate .... & in unitate Personæ, & quia divina Persona est in omni loco, verificat sua veritas, & sua potestas possificat, quòd sub ratione suî ipsius sit incarnata in omni loco, existens incarnata in specifico loco sub ratione humanitatis.* Num. 2. *Ex quo sequitur quòd Deus homo sit in omni loco, & homo Deus in specifico & terminato loco.* Num. 3. *Quòd incarnatio sit in omni loco ratione Deitatis, & in specifico loco sub ratione humanitatis: unde sequitur quies ambarum naturarum, quia sub ratione minoritatis incarnatio est de humanitate, & comprehensa in loco, & sub ratione majoritatis est incarnatio de Deitate, quæ Deitas comprehendit & mensurat omnia loca.* Num. 4. *Quia incarnatio est principiata, convenit ei corporalis specificus locus, ita quòd, si est in uno specifico loco, non sit in alio; sed quia est principiata de veritate*

ritate & gloria, quæ comprehendunt omnia loca, est incarnatio in omnibus locis sic in divina veritate & gloria, & multò meliùs etiam sine omni comparatione, sicut medicina est in medico, & justitia in justo homine. Et num. 5. *Et ut Deitas* (Deus) *in incarnatione sit verus homo, potestàs possificat, quòd homo existens finitus & terminatus in loco, sit infinitus Deus, qui comprehendit omnia loca.*

VI. Prætereà, num. 6. ita scribit: *Si incarnatio non esset in omni loco, ita quòd Deus homo esset in omni loco, impediret minoritas incarnationis veritatem & potestatem incarnationis in tantum, quòd totus Deus non esset homo.* Num. 9. *In incarnatione ambæ naturæ non habent æqualia principia, & ideo veritas ponit in vero, quòd non sint positæ in æquali statu: igitur ponit in vero, quòd Deitas sit in loco cum humanitate, & sit in omni loco & extra locum cum veritate incarnationis principiatæ in loco.* Num. 10. *Principium incarnationis est Deitas, & humanitas, & est in minoritate sub ratione humanitatis, propter quam minoritatem convenit, quòd sit in terminato & comprehenso loco; sed quia incarnatio principiat in Deitate sub majoritate, convenit quòd veritas ponat in vero, quòd Deus sit homo in omni loco, & extra locum.* Num. 11. *In quantum incarnatio est de duabus naturis, videlicet de divina, & humana, & in divina natura gloria & potestas sunt æquales, est incarnatio in illa æqualitate sub ratione Deitatis: in qua æqualitate comprehendit omnia loca, & ideo potest esse homo in omnibus locis, sed quia incarnatio sub ratione humanitatis est in æqualitate gloriæ & potestatis terminata in loco, non potest humanitas esse in omnibus locis, existens sub ratione unius loci.* Num. 12. *In incarnatione intravit intrinseca natura in extrinsecam naturam in tantum, quòd Deitas sit homo in humanitate, & extrinseca natura intravit in intrinsecam naturam in tantum, quòd homo sit Deus in Deitate: est igitur Deus in terminato & finito loco sub ratione humanitatis, & homo in omni loco sub ratione Deitatis.* Et num. 19. *Sed quia incepit se incarnare in potestate cum minoritate existens in uno loco, non potest in omni loco esse incarnata, quia si esset, perderetur potestas minoritatis.*

VII. Profectò in locis adductis explicat Lullus doctrinam catholicam de existentia in loco determinato humanitatis Christi, expressè negans ipsam, licèt sit unita hypostaticè Verbo quod est ubique, esse ubique, & affirmans tantùm esse in loco determinato, sicut etiam affirmat, quòd Christus in quantum homo tantùm est in loco determinato & specifico, & negat, quòd in quantum homo sit in omni loco; & quando absolutè affirmat quòd Christus homo sit ubique, vel quòd Filius Dei sit ubique homo, dicit hoc verificari ratione

infinitatis Personæ, & quia est eadem Persona Deus & homo: unde cùm dicit quòd Filius Dei est ubique homo, vel aliquid simile, cùm aliunde supponat humanitatem non esse ubique, tantùm intelligitur, quòd Filius Dei ubique est homo, id est suppositum sustentans humanitatem in suo loco specifico existentem; vel Filium Dei, qui est ubique, esse hominem, quia Filius Dei ubique est homo, cùm falsum sit ipsum alicubi non esse hominem, juxta dicta, num. 2. ex Bellarmino: dum etiam in citatis textibus dicitur incarnationem ratione humanitatis esse in determinato loco, & ratione Deitatis esse ubique, accipitur *incarnatio* pro ipsomet Christo, vel pro Persona humano-divina; si tamen velis *incarnationem* sumi formaliter pro ipsa unione Verbi ad humanitatem, verificatur ipsam esse ubique ratione Verbi, quatenus Verbum ubique habet unionem, vel est unitum humanitati existenti in loco determinato, sicut anima rationalis in toto corpore existens, in toto corpore est unita capiti existenti in loco determinato, & non in toto loco totius corporis, prout etiam, num. 2. notavimus ex Bellarmino: unde in citatis locis idem dicit Lullus, quod D. August. *Serm.* 14. *de verbis Apostoli*, dicens: *Sedet in Cælo qui ambulat in terra: in Cælo erat; quia ubique Christus, idemque Christus & Filius Dei, & Filius hominis..... propter unitatem personæ in terra Filius Dei, propter eamdem unitatem in Cælo Filius hominis;* & lib. 12. de Gen. ad Litt. cap. 44. num. 66. ait: *Non enim alicubi non est Christus, cùm ipse sit sapientia Dei attingens ubique.*

VIII. Eadem Doctrina repetitur à Lullo in aliis Paragraphis, sicut & in plerisque quæstionibus de Incarnatione, & præcipuè in quæst. 3. 5. & 7. singulariter etiam de hoc tractat in lib. *de Deo, & Jesu-Christo* (tom. 6.) par. 2. quæst. 8. *Ubi est Christus?* Nam num. 1. scribit: *Jesus in quantum Deus est in omni loco, & extra locum, cùm Deus sit ens infinitum... sed in quantum est homo, est in loco, cùm de conditionibus hominis sit, quòd ipse sit in loco;* num. 5. *Quia Deus factus est homo, & Deus est infinitus, est Deus homo in omni loco, & extra locum, qui in quantum est homo, non est in omni loco, cùm de conditione hominis sit, quòd sit in loco determinatus & finitus; & in isto passu potest cognosci, quomodo Jesus homo, qui est in Cælo, sacramentaliter possit esse in multis Altaribus in uno tempore, & in Cælo, postquam Deus est homo in uno tempore & in multis locis;* num. 7. *Jesus in quantum est Deus non habet quantitatem, colorem & figuram, sed in quantum factus est homo habet quantitatem, colorem, & figuram, propter quæ convenit, quòd sit in loco, cùm sit de conditione illarum,*

quòd non possint esse sine loco : igitur Deus est in illo loco, in quo est homo, in quo homine ille habet quantitatem, colorem & figuram : Et similia repetit in aliis quæstionibus de Jesu-Christo.

IX. Similiter Lullus *in Arb. Scientiar. in Arb. Christian.* in ejus foliis, tit. *de loco Arb. Jesu-Christi* ita scribit : *Dominus Jesus Christus in quantum est Deus, est in omni loco, & in quantum est homo, est in Cœlo Empyreo, ut dictum est supra in Arbore Apostolicali. Et in quantum Deus est homo, est Deus in uno loco per hominem, & non in alio, ubi non sit ille homo ; & in quantum ille homo est Deus, est in omni loco per Deum ;* & posteà subdit, quòd si Sarraceni intelligerent modum Incarnationis, non dicerent *quòd Christiani credant, quòd humanitas Christi sit in omni loco in quantum homo, si* (homo) *sit Deus, cùm ita sit, quòd Deus sit in omni loco.* Tandem in isto, & in aliis libris, in quibus tractat *de Incarnatione, & Articulis* pertinentibus ad Christi Incarnationem, dum de Christo concepto, nato, patiente, &c. agit, semper supponit ipsum quâ hominem, esse tantùm in loco determinato, ubi videlicet conceptus, natus, patiens, &c. & præcipuè in Articulo Ascensionis Christi docet, ipsum quâ hominem reliquisse terram, ubi erat, & ascendisse ad Cœlum, ubi non erat, & ubi perenniter perseverat.

X. Ex hucusque dictis abundè constat mens Lulli clara, expressa, & operosè manifestata, videlicet quòd humanitas Christi, ac proinde ipsius corpus, quoad præsentiam naturalem, tantùm est in loco specifico, & determinato, & nullatenus ubique. Quantùm ad sacramentalem autem Christi præsentiam, super qua etiam *Secundò* exponendam suscepi Lulli sententiam, certum est, ipsum docere, Christum solùm ibi esse sacramentaliter præsentem, ubi consecratur panis & vinum, vel ubi sunt species sacramentales, ac proindè constans est ex ipsius mente, corpus Christi non esse sacramentaliter ubique, ut colligi pôtest ex Dissertatione antecedente, præsertim §. 1. cui accedit, quòd ipse ubicumque agat de hoc Sacramento Eucharistiæ, semper repetit absolutè Christum esse in multis locis sacramentaliter, nunquam autem dicit esse ubique : unde ad comprobationem expositæ sententiæ tantùm afferam loca, in quibus præsentiam sacramentalem explicitè restringit ad locum determinatum, quia ex hoc clarè deducitur, ipsum sentire, corpus Christi non esse ubique sacramentaliter ; & ut brevitati consulam, solùm adducam Textus ex *Lect. Art. inv. & Tab. gener.* dist. 3. p. 1. quæst. 5. *de Sacram. Altaris*, ubi per decem quæstiones tractat de hoc Sacramento.

XI. Itaque ibi, quæst. 2. num. 2. dicit hoc Sacramentum esse, *Christo existente in Cœlo & in nobis, & carne existente in hostia, & consecrato sanguine, existente sanguine in calice, & in corpore, ita quòd differentia loci ibi non potest contradicere.* Eodem modo determinat corporis Christi præsentiam ad hostiam consecratam ibidem num. 5. quæst. 5. num. 14. 15. 16. 17. & 20. quæst. 6. num. 8. & 11. & aliis pluribus, ubi semper restringitur sacramentalis præsentia ad locum, ubi erant panis & vinum, quæ sunt consecrata; expressiùs autem quæst. 8. *Ubi est Sacramentum Altaris?* nam num. 2. ait: *Jesus Christus est in Cœlo, & secundùm Sacramentum Altaris est in terra in multis locis, secundùm quod Sacramenta sunt multa per naturam loci, sed Sacramentum est unum, sicut unum corpus Christi;* num. 5. *Accidentia, quæ substantia panis dimittit tunc, quando transubstantiatur in corpus Christi, collocantur in elementali potentia.... & in illa elementali potentia collocatur transubstantiata substantia, & ideo corpus Christi, quod est in Cœlo, est collocatum in illa elementali potentia, quæ est in terra, ita quòd corpus Christi non moveatur de Cœlo;* num. 9. *& ista magnitudo æqualitatis existit in Sacramento Altaris in corpore Christi, quod est in Cœlo, & in loco, qui est in terra, ubi fit Sacramentum.... per quam transubstantiatam substantiam Christus est ita magnus in terra, ubi fit hoc Sacramentum, sicut est in Cœlo; & habet tantam concordantiam, & æqualitatem in illo loco, ubi fit Sacramentum, quantam habet in Cœlo;* & num. 10. *Sacerdos principiat Sacramentum Altaris cum substantia panis & vini, pane existente in uno loco, & vino in alio, & per æqualitatem transubstantiationis panis in carnem, & vini, in sanguinem, existit hoc Sacramentum æqualiter principiatum in loco, ubi est corpus, & in loco, ubi est sanguis, licèt corpus sit principiatum in uno loco, & in uno nunc, & sanguis in alio loco, & in alio nunc.*

XII. Tandem utrumque, scilicet, quòd corpus Christi nec quoad præsentiam naturalem, nec quoad sacramentalem est ubique, sed tantùm in loco determinato, declarat Lullus in lib. *Clericorum*, cap. 28. de *Sacram. Altaris*, ubi, num. 3. sic scribit: « Dei Filius totus fuit incarnatus, qui, cùm sit infinitus, & ideo ubique simul » in Cœlo, & in terra, oportet ipsum Deum hominem pariter » ubique esse in Cœlo, & in terra; alioquin si alicubi esset Deus » tantùm, & non-Deus homo, non esset totus Filius Dei incarna» tus (vide Bellarminum adductum num. 2.) » Attamen Christus, » qui in Cœlo est, *in quantum homo non est ubique, sed sacramenta*» *liter est in Altari, &* (naturaliter) *in Cœlo*; quia Filius Dei non

» magis ubique, quàm ubique homo (quatenus ubique est suppositum sustentans humanitatem, ut suam & propriam, ut ait Bellarminus adductus num. 2.) Et ex hoc manifestus est modus, per » quem fit ipsum Sacramentum, & quomodo non oportet, propter transubstantiationem panis in corpus Christi, quæ in Altari » fit, Christum se de Cœlo demittere, aut ejus quantitatem per totum id spatium, quod est inter Cœlum & terram, extendi, aut » per id spatium, in quo est Deus homo, nam priùs quàm ipsa panis transubstantiatio fiat, Filius Dei homo est (quoad Personam, » non quoad humanitatem) in Altari; & eadem est quantitas corporis Christi in Cœlo, & in Altari (peractâ transubstantiatione) » sine magis & minus; & hoc per illam virtutem, per quam Deus » est ubique homo, quia totus incarnatus: quare factâ transubstantiatione panis in carnem, non remanet quantitas panis in carne, » quoniam jam ea est quanta per quantitatem, quam habet corpus » Christi in Cœlo, & (tunc) in terra; Verumtamen in corruptione » hostiæ consumitur Sacramentum, & non corrumpitur corpus Christi, quia est incorruptibile, sed sola hostia corrumpitur cum primis accidentibus, quæ non actu, sed potentiâ solùm, remanserant » in materia hostiæ (quatenus actu non inhærebant, sed tantùm poterant inhærere, & dicebant habitudinem ad hujusmodi inhæsionem) & fuerunt de potentia ad actum (inhærendi) reducta, cùm » primum fuit hostia tacta per corruptionem (& successit nova substantia, ut in antecedente Dissertatione est explicatum) tuncque » ab hostia transiit Sacramentum (desivit esse corpus Christi) eam » dimittens.

XIII. Cùm itaque B. Lullus adeo expresè & operosè explicuerit suum sensum in hac materia, nemini videtur posse esse dubium, mentem ipsius esse, quòd humanitas Christi, ac proinde ipsius corpus, non est ubique, nec secundùm præsentiam naturalem, nec sacramentalem, sed secundùm illam tantùm esse nunc in Cœlo, secundùm istam verò, ubi sunt species sacramentales. Prætereà, cùm expresè neget quòd Christus in quantum homo sit ubique, affirmet autem quòd quia Filius Dei est infinitus, ideo est ubique, & quia Filius Dei est homo, ideo est ubique homo, patens est, quòd quando dicit Christum hominem esse ubique, vel Christum esse ubique hominem, verè & propriè loquitur, quia in dictis propositionibus *homo* non accipitur pro natura, sed pro supposito sustentante humanitatem, & cùm Filius Dei ubique sit suppositum sustentans humanita-

tem existentem in suo loco determinato, ideo Filius Dei verè dicitur esse ubique homo, & ubique habere unionem cum humanitate existente in suo loco, quin ex dictis propositionibus inferri possit humanitatem vel corpus Christi esse ubique.

§. II.

Adducitur Textus & Censura, prout à laudato Censore exposita, & ostenditur Lullum non sentire cum Ubiquistis corpus Christi esse, ubique est natura divina, sed tantùm corpus Christi posse esse ubique sacramentaliter.

XIV. Prælaudatus Censor sic Textum Lulli adducit & ejus Censuram: *Sacramentaliter corpus Christi potest esse simul in diversis locis, & hoc miraculosè, mediante tamen naturâ divinâ conjunctâ corpori Christi, quæ est ubique; quoniam ratione unionis ambarum naturarum in uno supposito Christo, Deus facere potest, quòd corpus Christi possit simul esse ubique sacramentaliter, existente corpore Christi præsentialiter, potentialiter & essentialiter ubicumque Deus est potentialiter, præsentialiter, & essentialiter Christus-homo; & ideo Eremita, exemplum quod das de vino & de duabus amphoris, non valet, sed valeret, si Christus non esset Deus, nec Deus esset ubique homo-Christus.* Quæst. 128. Sentent.

Censura: *Ex quibus verbis colligimus duo: primum est, Lullum sensisse cum Ubiquistis corpus Christi esse ubicumque est natura divina. Alterum est, corpus puri hominis non posse esse in duobus locis, miraculosè quidem & sacramentaliter, quia non habet naturam divinam unitam.*

XV. Sanè, cùm adeo aperta ex prædictis sit mens Lulli, quòd corpus Christi tam quoad præsentiam naturalem, quàm sacramentalem, nullô modô est ubique, sed tantùm in loco determinato; clamat ratio, & expostulat æquitas, ut sicubi in modo loquendi videatur opponi, exponatur benignè, & intelligatur juxta ejus fixam Sententiam, & propatulè manifestatam. At nec hujusmodi interpretatione est opus, si attendatur sincerè ipse textus purè prout à laudato Censore adductus; nam hic textus in quæstione, quâ simul cum antecedentibus, & consequentibus agitur de Eucharistia, est responsio ad objectionem, quâ prætenditur esse impossibile, quòd corpus Christi miraculosè possit esse sacramentaliter in multis locis, in qui-

bus asseruerat, & probaverat esse Lullus in resolutione quæstionis: atque ita sensus obvius prædicti textûs est solùm, quòd Christi corpus sacramentaliter potest esse in multis locis ratione unionis naturæ divinæ & humanæ in uno supposito; & insuper addere, quòd ratione ejusdem unionis Deus facere potest, quòd corpus Christi simul possit esse ubique sacramentaliter: unde planum est, quòd obvius sensus allegati textûs est, quòd corpus Christi *de facto est in multis locis sacramentaliter, & quod potest simul esse ubique sacramentaliter;* non autem quòd *de facto sit ubique*, nec absolutè, nec sacramentaliter; ac proinde sincerè expendenti allegatum textum nullum apparet solidum fundamentum asserendi, ut opponit laudatus Censor, *Lullum sensisse cum Ubiquistis corpus Christi esse ubicumque est natura divina.*

XVI. Quòd autem corpus Christi possit simul esse ubique sacramentaliter, habetur tamquam certa, & vera sententia, si non ab omnibus, à plerisque saltem Doctoribus catholicis. Audiatur Vener. Bellarmin. locô citatô, lib. 3. *de Incarnat.* cap. 11. ubi manifestans ex scriptura humanitatem Christi non esse ubique, quia ubiquitas in scriptura attribuitur Deo tamquam propria & distinctiva, adeo ut multi Patres, ex illo Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, manifestent Spiritum Sanctum esse Deum: sibi proponit hoc argumentum: » Dices: Nonne corpus Christi, ut est in tot locis » simul sacramentaliter, posset etiam esse in toto mundo? Nonne » posset Deus totum mundum convertere in panem, & panem illum » in corpus suum? Et tamen non propterea corpus Christi posset » esse Deus ». Ad hanc autem objectionem sic occurrit Bellarminus: » Respondeo, potest quidem id fieri, sed hoc non est esse ubique, » quô modô est Deus, & quô modô Brentiani intelligunt de corpore » Christi. Nam Deus ita est in toto mundo, ut non contineatur » mundô, sed sit tantæ immensitatis, ut possit replere infinitos mun» dos: id quod corpori Christi, quod est finitum, minimè tribui» mus. Deinde quidquid sit de eo, quod potest, aut non potest » fieri, satis nobis est reipsâ id non esse communicatum nec com» municandum ulli creaturæ, ut sit ubique, & ideo inde evidenter » probari Spiritum Sanctum esse Deum ». Hâc Bellarmini doctrinâ nedùm statuitur quod Lullus dicit in allegato textu, sed etiam satisfit tacitis objectionibus, quæ innuuntur ex laudati Censoris illatione contra Lullum, ut infra videbimus.

XVII. D. Bonaventura, in 4. dist. 10. q. 3. eamdem Sententiam quoad substantiam amplectitur; nam sibi propositô hoc argumentô:

„ Item, si Christus in Sacramento potest esse in pluribus locis, esto, „ quòd tantùm tria loca sint, in illis possibile est esse corpus Christi: „ ergo possibile est esse ubique; sed hoc, cùm sit solius Dei, impossibile est alteri convenire: ergo, &c. „: adducit hanc responsionem: „ Ad illud patet responsio, quia non in omnibus potest esse „ conversio, quia Sacerdos non haberet locum, ad cujus ministerium sit. Positô autem per impossibile, quòd tantùm essent tria „ loca, tunc dicendum, quòd esset ubique, sed non sicut Deus, „ quia Deus est ubique propter suam immensitatem; unde nulli potest abesse, sed corpus Christi esset ubique propter locorum paucitatem „. Sanè quoad substantiam idem docet Bonaventura, ac Lullus, & absolute possibile agnoscit corpus Christi esse ubique per divinam potentiam, quamvis illud restringat ad casum de tribus tantùm locis in rerum natura existentibus; & Lullus, quin modum & circunstantias determinet, tenet Deum posse facere, quòd Christi corpus simul possit esse ubique sacramentaliter; quod quidem ex paritate rationis videntur omnes debere dicere, quia eadem ratio, quâ corpus Christi asseritur posse esse sacramentaliter in multis locis, convincit posse esse sacramentaliter in omnibus.

XVIII. Hoc maximè habet locum apud illos, qui tenent, quodcumque corpus posse supernaturaliter bilocari: si enim idem corpus potest supernaturaliter bilocari, eâdem ratione potest ubique locari, & consequenter etiam corpus Christi potest ubique sacramentaliter esse. Quòd autem idem corpus possit supernaturaliter ubique locari expressè fatetur eximius Suarez, *Tom.* 3. *in* 3. *part. Disput.* 48. *sec.* 4. ubi pro solutione ad argumentum D. Thomæ probans, idem corpus non posse esse in duobus locis circumscriptivè, quia, si ita posset esse, etiam posset esse ubique, scribit: „ Respondeo igitur, rectè „ posse facere Deum, ut idem corpus sit præsens extenso, vel „ inextenso modô, omnibus rebus & spatiis creatis, & cuicumque „ loco majori & majori, etiam si in infinitum assignetur: nego tamen „ inde sequi creaturam esse immensam, &c. „ Tosca, in *Compend. Philos.* tom. 3. trac. 3. cap. 2. proposit. 23. objec. 5. ad argumentum ex bilocatione ejusdem corporis inferens posse etiam esse ubique, respondet: „ Nego itaque sequelam, quia, ut dixi in metaphysica, repugnat infinitum in actu; ideoque repugnat ex hoc „ capite corpus esse ubique, licèt possit divinitùs esse in pluribus „ semper, & pluribus locis in infinitum. Quid? Quod si corpus „ posset ubique poni, adhuc non sequitur esse immensum, immen-„ sitate

„ sitate scilicet independenti & essentiali, quæ propria est Dei, sed „ tantùm immensitate participatâ, & à Deo dependenti „. Ex hoc apparet, quòd Tosca eam negat in eodem corpore possibilem ubiquitatem, quæ idem est ac existentia in locis actu infinitis, quæ ex ipso esse non possunt; non autem negat ubiquitatem in eodem corpore possibilem, sumptam pro existentia in omnibus locis actû existentibus, immò etiam & pluribus & pluribus in infinitum: quod est concedere possibilem ubiquitatem ejusdem corporis in sensu, quô hîc agitur de ubiquitate. Scribonius in Sum. totius Theologicæ verit. in Theosimia, disp. 5. de Euchar. cap. 11. objectione ultimâ, planè fatetur posse corpus Christi esse ubique.

XIX. Itaque sententia, quam hîc docet Lullus, videlicet, corpus Christi posse simul esse ubique sacramentaliter per Dei potentiam, nullâ est notâ inurenda, & hanc constat tantum docere, examinatô textu, prout à laudato Censore allegato; non autem corpus Christi esse ubicumque est natura divina conformiter ad Ubiquistas: quod ampliùs est manifestum, inspectô toto contextu, & collato cum antecedentibus & subsequentibus, & cum aliis libris ejusdem Lulli. Pro quo notandum est, Lullum in citato libro *Sentent.* à quæst. 125. per sex earum agere de Sacramento Altaris, & postquam in antecedentibus ostendit dictum Sacramentum, nedùm esse possibile, sed etiam debere esse, & de facto existere in multis locis per transubstantiationem panîs in corpus, & vini in sanguinem Christi, factam in ultimo instanti, quo proferuntur verba consecrationis, occasione objectionis, quæ solet fieri super repugnantia quòd idem corpus sit in diversis locis, proponit quæst. 128. in qua quæritur: *Utrùm Deus possit facere, quòd unum & idem corpus simul sit in diversis locis localiter*, ex hujus quæstionis propositione videtur, principale intentum ejus tantùm esse de simultanea præsentia circunscriptivâ ejusdem corporis in diversis locis: quod quidem extraneum videtur ab hoc Sacramento, in quo non adstruitur multiplex simultanea præsentia circumscriptiva; nisi quatenus ex negata multiplici simultanea præsentia circumscriptiva posset argui, ut faciunt Hæretici, contra multiplicem præsentiam simultaneam corporis Christi, naturalem scilicet in Cœlo, & sacramentalem in Eucharistia.

XX. Ad propositæ quæstionis solutionem Lullus, num. 1. exposito duplici modo agendi in Deo, videlicet naturaliter, & miraculosè, resolvit, *quòd Deus naturaliter non potest facere, quod idem corpus simul & semel sit in diversis locis* (localiter seu circumscriptivè)

quia sequeretur contradictio. At num. 2. sic objicit Eremita: « Sicut » Deus non potest facere, quòd idem corpus simul & semel sit in » diversis locis naturaliter, ita non potest facere, quòd sit in diver- » sis locis simul & semel, nec miraculosè, sive supra naturam; quia » si posset, vinum, quod est in amphora plena, posset in eodem » instanti esse in alia amphora, quæ est vacua, quod est impossibile, » quia sequeretur contradictio, scilicet quod eadem amphora esset » plena vino, & non plena: à simili dico tibi, quòd idem corpus si- » mul & semel non possit esse in diversis locis *localiter*, nec natura- » liter, nec miraculosè. » Hìc observari debet, quòd argumentum directè tantùm tendit contra multiplicem existentiam in loco *localiter*, seu circumscriptivè, & solùm indirectè contra præsentiam sacramentalem, quatenus ex illius negatione arguitur hujus negatio, vel quatenus in argumenti propositione generaliter dicitur, Deum non posse facere, quòd idem corpus simul & semel sit in diversis locis, nec *miraculosè sive supra naturam*: cujusmodi generalis negatio comprehendit etiam modum essendi sacramentaliter, quia hoc fit miraculosè.

XXI. Ad hoc argumentum Lullus, num. 3. sic respondet: « con- » cedo tibi quòd Deus, nec naturaliter, nec supra naturam possit » facere, quòd idem corpus sit in diversis locis *localiter*. » Hæc responsio attinet ad directum argumenti scopum, qui solùm tendebat contra multiplicem præsentiam circumscriptivam; quoad indirectum verò argumenti scopum sic subjungit immediatè: *Sed sacramentaliter corpus Christi potest simul & semel esse in diversis locis, & hoc miraculosè, tamen mediante divinâ natura* (modo explicando, num. 28. & sequentibus) *conjunctâ corpori Christi, quæ est ubique; quia ratione unionis ambarum naturarum in uno supposito Christo, Deus potest facere quòd corpus Christi simul & semel possit esse ubique sacramentaliter, existente corpore Christi præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque Deus est potentialiter, præsentialiter & essentialiter Christus homo: Et ideo, Eremita, exemplum quod das de vino & de duabus amphoris, non valet, sed valeret, si Christus homo non esset Deus, nec Deus esset ubique homo Christus.* In hac responsione, ex obvio verborum sensu est manifestum, quòd Lullus ad indirectum argumenti scopum contra sacramentalem Christi præsentiam in diversis locis, ubi videlicet est facta consecratio panis & vini, quam statuerat in antecedentibus quæstionibus, respondet, quòd corpus Christi potest simul esse in diversis locis sacramentaliter, mediante naturâ divinâ conjuncta cor-

Text. prop. 10.

pori Christi, atque ita non repugnat quòd in antecedentibus quæstionibus statuerat, videlicet quòd corpus Christi est de facto sacramentaliter *in diversis locis* tantùm, quia solùm de diversis locis actum fuerat; adeo verò abest ab assertione, quòd corpus Christi sit de facto ubicumque est natura divina, quòd nullum hujusmodi sit vestigium, nec ejus facta est ulla mentio in argumento.

XXII. Posteà ad majorem abundantiam, & potiorem ostensionem præfatæ possibilitatis essendi sacramentaliter in diversis locis, subdit quòd ratione unionis divinæ & humanæ naturæ in uno supposito Christo, *Deus potest facere, quòd corpus Christi simul & semel possit esse ubique sacramentaliter, existente corpore Christi* (id est ita ut corpus Christi existat) *præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque Deus est potentialiter, præsentialiter, & essentialiter Christus homo.* Profectò ex obvio sensu prædictorum verborum tantùm potest intelligi, quòd corpus Christi potest esse ubique sacramentaliter, non autem quòd de facto sit ubique, nec sacramentaliter, nec alio modo, qui opponitur; & in toto aliarum quæstionum contextu supponitur corpus Christi tantùm esse præsentiâ naturali in Cœlo, sacramentaliter verò tantùm esse in diversis locis; atque adeo nullum est fundamentum eidem attribuendi sententiam de ubiquitate actuali corporis Christi.

XXIII. Sanè non puto, laudatum Censorem adeo oscitanter Lulli textum attendisse; ut dictam sententiam Lullo attribuerit ex illa citati textûs dimidiata clausula: *existente corpore Christi præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque Deus est, &c.* eam sumens ut clausulam perfectam, & in sensu absoluto, ita ut asserat, vel supponat, quòd corpus Christi existit de facto ubicumque est Deus: non inquam puto dictum Censorem adeò crassâ minervâ, & modo à sinceritate alieno, construxisse textum; nam apertè constat dictam clausulam esse dimidiatam & referri ad antecedentem, utpote explicat modum, quo corpus Christi potest esse ubique sacramentaliter; & sensus est, quòd ratione unionis naturæ divinæ & humanæ in uno supposito Christo, Deus facere potest, quòd corpus Christi sit ubique sacramentaliter, ita ut sacramentaliter existat præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque est Deus homo; scilicet Deus potest facere corpus Christi esse ubique sacramentaliter, quatenus potest facere quòd existat præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque est Deus homo: atque adeo non asseritur vel supponitur in dicta clausula, quòd corpus Christi existat de facto ubi-

cumque est Deus homo, sed tantùm dicitur, quod potest existere ubicumque sacramentaliter; & ut sit sacramentaliter, debet esse præsentialiter, potentialiter, & essentialiter, ut exponit ipse Lullus, q. 126. num. 3. dicens, Christum in hoc Sacramento *participare nobiscum per præsentiam, potentiam, & essentiam;* & consequenter tantùm intelligit in allegato textu, quòd corpus Christi potest sacramentaliter existere præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque Deus est Christus homo.

XXIV. Non solùm autem Lullus doctrinam eidem attributam non tenet expressè in textu notato, nec in aliis ejusdem Libri, quin potiùs oppositum eruitur ex aliis quæstionibus, & præcipuè ex hac eadem q. 128. & ejusdem resolutione; nam in ea resolvitur, quòd adhuc miraculosè idem corpus non potest esse localiter seu circumscriptivè in diversis locis; si autem corpus Christi ratione unionis cum divina natura esset ubique, sicut natura divina, esset ubique eo modo, quo est unitum eidem; & cum sit eidem unitum secundùm suam naturalem præsentiam circumscriptivam, quâ priùs fuit in mundo, & nunc est in Cœlo, esset ubique circumscriptivè, quod est contra Lulli resolutionem in hac eadem quæstione; & stultè probasset ipse, & quidem non parvo apparatû, articulos humanitatis Christi, præcipuè Ascensionem ad Cœlos, cùm ibi, supposita dicta doctrinâ, jam esset Christus quoad corpus & ejus naturalem præsentiam, à puncto suæ conceptionis. Deinde quæst. 94. explicans speciales modos, quibus Deus per unionem hypostaticam in assumpta humanitate existit differenter ac in aliis creaturis, num. 3. dicit: *Præterea Deus in quantum est incarnatus, est factus creatura, & est positus in tempore, & in loco, quantitate, & figura sine quibus creatura non potest esse;* & q. 95. num. 3. ait, quòd *iste locus inferior non spectat ad corpus glorificatum* (Christi) *sed Cœlum;* & propterea in Cœlum ascendit: Unde, cùm ex ipso creaturæ corporali correspondeat locus determinatus, sicut eidem correspondet quantitas, & figura determinata, non omnia loca, sed locus determinatus convenit corpori Christi, ut Deus per unionem cum ipso sit positus in loco determinato, sicut in quantitate & figura determinata; nec eidem glorificato corpori conveniret Cœlum præ isto loco inferiori, ut illuc opporteret ascendere, si ubique esse eidem competeret.

XXV. Prætereà ex doctrina ejusdem Lulli in hoc eodem libro repugnat corpori Christi esse, ubicumque est natura divina in sensu Ubiquistarum; quia isti omnes, ex num. 1. asserebant immensitatem,

quæ pro eodem ab ipsis accipitur ac ubiquitas, omnipotentiam, infinitatem, & alias Dei proprias perfectiones formaliter convenire humanitati; Lullus autem in toto hoc libro sæpè resolvit dictas perfectiones, adhuc de potentia Dei, non posse convenire creaturæ; nam quæst. 93. num. 3. resolvit & probat, nullam creaturam posse esse Deo æqualem, simpliciter vel secundùm quid in aliqua perfectione, juxta quod, quæst. 32. probat mundum non potuisse esse æternum; q. 35. probat repugnare extra Deum magnitudinem infinitam; & q. 39. probat creaturæ non posse communicari potentiam creandi; cùm autem ex apertissima Lulli sententia omnes Dei perfectiones sint omninò æquales, æqualiter repugnat communicari creaturæ immensitatem, prout etiam expresè docet q. 94. n. 3. expressiùs autem de his loquitur, q. 110. ubi, n. 2. sibi proponit argumentum intendens quòd, *quia Verbum factum est homo, appropriatum est homini quòd sit Deus, & per consequens, quòd suum intelligere & cognoscere sit infinitum*, atq; ita quòd anima Christi infinitè cognoscat: ad quòd num. 3. respondet. » Aliud est unire, & aliud appropriare, sicut in homine, in quo anima » & corpus se uniunt, sed essentiam, quam habent, sibi invicem non » appropriant; sic corpus non appropriat animæ quòd bibat, nec anima » appropriat corpori quòd intelligat: à simili Deitas in Christo non ap- » propriat humanitati quòd spiret S. Spiritum, nec quòd creet ani- » mas, nec humanitas appropriat Deitati, quòd habeat colorem, & » figuram: à simili dico tibi de infinitate & finitate, scilicèt quòd » unum se non possit appropriare alteri. » Ex hac responsione est manifestum, quòd ex mente Lulli perfectiones divinæ non possunt appropriari creaturæ, & in casu præsenti, quòd per unionem humanitatis ad Verbum, humanitati non appropriantur propriæ Dei perfectiones, ut infinitas, immensitas, & reliquæ, ac proinde mens Lulli expresè repugnat sensui Ubiquistarum, super formali communicatione immensitatis, infinitatis, omnipotentiæ, &c. facta eidem humanitati ex vi unionis hypostaticæ; & est manifestum, juxta ipsum, communicationem idiomatum non esse, quoad naturas in abstracto, sed tantùm in concreto, & quoad suppositum.

XXVI. Ex his etiam cognoscere licet, quòd, dum Lullus in textu notato dicit, quod Deus facere potest, quòd Corpus Christi simul & semel possit esse ubique sacramentaliter, existendo sub Sacramento præsentialiter, potentialiter, & essentialiter ubicumque Deus est præsentialiter, potentialiter, & essentialiter Christus homo: non intelligit posse esse sacramentaliter ubique. Sicut natura divina,

prout asserebant Ubiquistæ de humanitate Christi videlicet per formalem communicationem immensitatis; quia, ut vidimus ex mente Lulli, repugnat creaturæ communicari formaliter immensitatem aliasque Dei proprias perfectiones. Deinde immensitas naturæ divinæ non stat in esse tantùm in omnibus locis; sed etiam in existere extra locum, ita ut nullibi contineatur, sed in seipso Deus sit extra omnem locum, & ex se possit esse in infinitis locis, si forent possibilia; de corpore autem Christi non dicit Lullus hoc posse habere sacramentaliter, sed tantùm quòd possit esse ubique sacramentaliter, id est, in omnibus locis, quæ reverà sunt loca, non autem extra omnem locum; & ubicumque Deus est Christus homo, id est, in omni loco, in quo Deus est Christus homo; non autem extra locum, cùm etiam extra locum Deus sit Christus homo; suppositum videlicet sustentans humanitatem in suo loco determinato existentem. Hoc patet in eadem q. 128. in qua tantùm fit sermo de loco corporali, & in ejusmodi diversis locis statuitur posse esse corpus Christi, ac proinde, dum superadditur, ipsum posse esse simul & semel ubique sacramentaliter, tantùm intelligitur posse esse sacramentaliter in omnibus locis corporalibus, non autem de ubiquitate sumptâ pro immensitate.

XXVII. Constat itaque laudatum Censorem immeritò attribuere Lullo, ipsum *sensisse, cum Ubiquistis, corpus Christi esse ubicumque est natura divina*; nec dicas ipsum hoc attribuere Lullo, non tanquam expressam ejus sententiam, sed tanquam consequentiam, quam ex ejus infert doctrinâ; nam injustissimum est, ut sæpè repetit clarissimus Berti Augustinianus in suis vindiciis, Autori Catholico inurere notam, ob consequentias, quas ex ejus quis infert doctrinâ, dum tamen ipse consequentias neget; & aliunde est evidens ex hucusque dictis, Lullum negare ubiquitatem humanitati Christi, nedùm in aliis libris, sed in hoc ipso eodem libro, quem totum examinavit laudatus Censor. Licet quidem Autori Catholico, arguendi & impugnandi gratiâ, opponere sequi ex ejus doctrina erroneas consequentias, non tamen licet asserere ipsum tenere dictas erroneas consequentias, quas quilibet pro suo captu infert, quas tamen ipse negat. Deinde laudatus Censor non habuit fundamentum in nostro textu Lulli ad inferendum rationabiliter ubiquitatem corporis Christi; & *Primò* quidem quoad consensum cum Ubiquistis jam est ostensum supra, Lullum non admittere, immò impossibilem tenere communicationem formalem perfectionum Dei factam humanitati Christi,

ac proinde cum ipsis non potuit sentire, immensitatem fuisse communicatam corpori Christi, consequenter ad unionem hypostaticam; & sic ipsum esse ubicumque est natura divina.

XXVIII. *Secundò*, non potuit inferri dicta consequentia ex eo quòd dicat Lullus in citato textu, corpus Christi posse esse sacramentaliter & miraculosè in diversis locis, *mediante divinâ naturâ conjunctâ corpori Christi*, quæ est ubique; si enim Lullus diceret corpus Christi esse in diversis locis ratione dictæ unionis, ita ut unio esset formalis ratio actû essendi in diversis locis, cùm divina natura sit ubique, rectè inferretur corpus Christi etiam esse actû ubique; at non dicit Lullus dictam unionem esse rationem formalem actu essendi in diversis locis, sed tantùm posse esse in diversis locis mediante divinâ naturâ unitâ; atque ita nullô modô infertur corpus Christi actû esse, ubique est natura divina, sed tantùm posse esse ubique, & quidem sacramentaliter, ut subjungit Lullus ibidem, dicens: *Quia ratione unionis ambarum naturarum in uno supposito Christo, Deus potest facere quòd corpus Christi simul & semel possit esse ubique sacramentaliter:* Unde ex hoc dicto textu tantùm constat, quòd unio corporis Christi cum divina natura, quæ est ubique, est ratio, cur corpus Christi possit esse in diversis locis, & ubique sacramentaliter, non autem quòd actu sit in uno vel in pluribus, in paucis vel multis locis, quia hoc pendet ab alio principio, nempè à voluntate & institutione Dei, qui ratione dictæ unionis potest corpus Christi ponere ubicumque velit, & propterea in textu dicitur quòd ratione dictæ unionis, hoc *Deus potest facere*: atque ita præfata unio est ratio remota & præsuppositiva, non autem proxima & formalis, cur de facto corpus Christi sit in diversis locis, ac proinde, licèt natura divina unita dicto corpori sit ubique, non rectè infertur, dictum corpus esse ubique. Deinde, ut §. 3. ostendemus non solus Lullus, sed etiam D. Thom. D. Bonav. & alii plures PP. tenent corpus Christi posse esse in diversis locis ratione unionis hypostaticæ; & tamen non tenent esse ubique, nec puto laudatum Censorem ausum fuisse ipsis attribuere, quòd sentiant corpus Christi esse ubique est natura divina, conformiter ad Ubiquistas.

XXIX. *Tertiò* tandem non debuit inferre laudatus Censor præfatam consequentiam ex eo, quòd Lullus in adducto textu, num. 21. dicat, quòd *Deus est ubique homo Christus*, hæc enim propositio, juxta Bellarminum adductum, num. 2. est verissima, nihil enim aliud sonat, quàm quòd Deus ubique est suppositum sustentans humanitatem suô locô existentem, nunquam enim est verum ex dicto

Bellarmino, sensum communem Theologorum exponente; *Verbum alicubi non esse hominem*, quod idem est ac, *Deum alicubi non esse hominem*, vel *Deum alicubi non esse Christum*; & consequenter verum est, Deum ubique esse hominem, quæ est ejus contradictoria, cùm sensus sit: Deus, qui est ubique, est homo, vel Deus ubique, est suppositum humanitatis, vel sustentans humanitatem suo loco existentem; qui est sensus in dicto textu à Lullo intentus, nam, quia ambæ naturæ sunt unitæ in uno supposito Christó, asserit veras istas propositiones: *Christus homo est Deus*, *Deus est homo Christus*, & quia Deus est ubique, dicit quòd Deus ubique est homo Christus, & consequenter solùm intendit quòd Deus ubique est suppositum humanitatis, vel sustentans humanitatem suo loco existentem: verum quidem est, dictam propositionem esse falsam, ut docet Bellarminus, si ly *ubique* afficiat hominem, ita ut significet humanitatem ubique existere; at in dicto textu nullum est indicium hujusmodi significationis, cùm expresse denotetur significare Deum ubique esse suppositum humanum, non autem ubique habere secum unitam, & ubique existentem humanitatem; cùm etiam aliunde ex hoc eodem libro & aliis supra adductis apertè constet, ipsum sentire humanitatem Christi non esse ubique.

XXX. Resumendo igitur prædicta, videtur apertè constare, Lullum tum in præsenti libro *Quæstion. super Mag. Sentent.* tum in aliis, tenere Catholicum omnium sensum, videlicet, quòd humanitas Christi non est ubique, sed tantùm in determinato loco; & quoad præsentiam sacramentalem, quòd corpus Christi simul est tantùm in diversis locis, & quòd etiam per Dei potentiam potest esse ubique sacramentaliter, in omnibus videlicet locis corporalibus, non autem ubique sicut Deus; quia immensitas Dei non potest eidem communicari. Docet etiam quòd Persona, quæ est Christus homo, cùm sit Deus, & Deus sit ubique, est ubique, & sic Christus homo est ubique, & Deus ubique est Christus homo, quia eadem Persona, quæ est homo, est ubique, & hæc eadem Persona ubique est suppositum humanitatis, sustentans eam existentem in loco determinato, quem tantùm docet eidem competere; ac proinde in omnibus concordat cum Catholicis Doctoribus; cùm autem adeo apertè doceat, & teneat ex professo, quòd Christi humanitas non est ubique, sed tantùm in suo loco determinato, si alicubi modus loquendi ejus videretur, primâ facie, dissonare, æquitas postulat, ut intelligatur juxta Catholicum sensum ab ipso toties & adeo patenter expositum.

§. III.

§. III.

Ostenditur malè attribui Lullo absolutè, quòd corpus puri hominis non possit esse miraculosè in duobus locis sacramentaliter.

XXXI. In secunda parte relatæ Censuræ, num. 14. alterum quod Lullo attribuit sentire præfatus Censor, est, *corpus puri hominis non posse esse in duobus locis, miraculosè quidem & sacramentaliter, quia non habet naturam divinam unitam :* quod quidem fundat in assertione Lulli in Textu adducto, num. 21. videlicet quòd *sacramentaliter corpus Christi potest simul & semel esse in diversis locis, & hoc miraculosè, tamen mediante divinâ naturâ conjunctâ corpori Christi.* Hanc sententiam tenet Lullus, non solùm in hoc Textu, sed etiam in aliis adductis, num. 4. 8. & 12. & eamdem repetit in *Lect. Art. inven. & Tab. gen.* dist. 3. par. 1. quæst. 5. in ejus quæst. 8. num. 8. & 10. At notandum est non esse solum Lullum in hujusmodi assertione, sed etiam eam tenere plures Patres, ut D. Gregorius adductus Dissertat. antecedenti, num. 75. S. Remigius Rhemensis, num. 74. & alii ibidem citati, sicut etiam alii, qui Eucharistiam explicant ad modum Incarnationis, quia omnes insinuant quod ratio, quare caro & sanguis, qui sunt in Eucharistia, licèt hæc variis locis conficiatur & temporibus, est eadem caro & sanguis Christi, quam assumpsit ex Virgine, & quæ est in Cœlo, est unio cum natura divina, quæ facit eamdem esse, & eamdem esse in diversis locis.

XXXII. Expressiùs hoc docet D. Bonavent. in *Compend. Theolog. verit.* lib. 6. cap. 14. *de mirabilibus quæ sunt in Eucharistia*, ubi ita scribit : *Nota quòd Deo convenit esse ubique simpliciter & propriè ; creaturæ convenit esse in uno loco tantùm ; corpus verò Christi medio modo se habet, cùm enim sit quoad humanitatem creatura, non debet æquari Creatori in hoc, quòd sit ubique ; cùm verò sit unitum Deitati, debet in hoc excellere alia corpora, ut simul & semel possit esse in pluribus locis, sub isto videlicet Sacramento.* Hunc librum Cardin. Cienfuegos, lib. de *Vita abscondita*, disp. 2. sect. 6. §. 3. num. 127. attribuit D. Bonaventuræ, & gravibus quidem fundamentis id ipsum faciunt plures Franciscani; Seraphinus tamen Caponi à Porrecta Dominicanus eum vindicare conatur B. Alberto Magno, desumptis argumentis, non quidem ex originalibus, sed ex tribus tantùm antiquioribus impressionibus, in editione Veneta anni 1[illegible]. quâ utor. Eadem quoque

sententia habetur in eodem Tractatu, lib. 1. cap. 17. *de incircumscriptibilitate Dei*, ubi sic scribitur: *Corpus autem Christi, licèt non sit ubique, cùm corpus sit creatura, nec æquari possit in hujusmodi Creatori, in pluribus tamen locis est totum sub diversis hostiis, & hoc est propter unionem carnis ad Verbum; unde meritò habet amplius quàm alia creatura, scilicet quòd in locis pluribus simul & semel possit esse. Ex prædictis patet, quòd esse ubique simpliciter soli convenit Creatori; sed in loco uno esse, soli convenit creaturæ; in pluribus verò locis esse, sed non ubique, convenit corpori Jesu-Christi.* Profectò eadem sententia scribitur à D. Bonavent. quæ à Beato Lullo, ac si iste eam ex illo excripserit.

XXXIII. Pro eadem sententia citat Cienfuegos ibidem Innocent. III. & eumdem Bonav. in 4. dist. 10. ar. 1. quæst. 1. ad 2. ubi explicans congruitatem Sacramenti Eucharistiæ, ita scribit: *Congruum ergo fuit, ut haberent* (viatores) *exterius connectens, sicut habebant unum interius, sed illud unum debuit esse ubi erant membra; & ita, cùm in multis locis sint membra, debuit tale esse, quòd congrueret esse in multis, sed hoc non est nisi Deus, vel Divinitati unitum; sed quod est interius divinitati unitum, est corpus Christi: ergo corpus Christi debuit dari in Sacramento exteriori, quod est unum, in quo omnes fideles uniuntur in manducando unam & eamdem escam. Congruebat etiam, ut haberent exterius reficiens in hoc Sacramento, sed reficiens animam non est nisi Deus, vel Deo unitum, & hoc est corpus Christi verum.* Similia docet Bonaventura ibidem, quæst. 3. ex Innocentio: ex quibus apertè videtur, mentem ipsius esse, quòd unio corporis Christi cum divinitate est ratio, cur ipsum corpus in diversis locis possit sacramentaliter replicari, prout etiam ita intelligit citatus Cienfuegos.

XXXIV. D. Thomas ab eodem Cardinali citatus ejusdem est Sententiæ, nam Opusc. 59. cap. 7. ait: *Filius ergo Dei, in quantum purus* (id est perfectus, ut mihi videtur) *est homo & verus Deus, est ubique sine dubio; in quantum est caro, est solum in uno loco; sed in quantum est Deus & homo tenet medium locum utriusque, esse scilicet in pluribus locis.... Licèt ipsum corpus Christi, quantùm est de se, sit in uno loco tantùm secundùm naturam corporalem, tamen quia panis, qui convertitur, est in locis pluribus, ideo necessariò sequitur, quòd ipsum corpus sit in pluribus locis, & non per sui mutationem, sed per alterius conversionem in ipsum: & ubicumque est iste panis sic conversus substantificatur in ipsam, & ab ipsa Persona Filii Dei, & quantum ad hoc habet quamdam similitudinem speciei, quæ verè est in omnibus suis in-*

dividuis ubicumque sit. Ipsum autem corpus suâ naturâ restringitur ad unum locum particularem : per unionem, quam habet cum divinitate, dilatatur quodammodò & extenditur quasi ad quemdam modum universalem, ut sit ubicumque suum individuum reperitur. Præterea, Opusc 58. cap. 13. sic scribit : *Secundò, probatur hoc per manifestam rationem, quæ est, quòd Filius Hominis participat potentiam Filii Dei propter Personæ unitatem. Ambrosius : sicut in unam Personam, ita in unam potentiam conveniunt Dei & Hominis Filius. Unde, sicut Dei Filius est essentialiter in omnibus rebus, ita dedit Filio Hominis, ut corpus ejus sacramentaliter esse possit in pluribus locis.... Et est hujus mirabilis rei* (Quòd scilicet integer sit in multis locis) *ratio, ineffabilis unio Hominis & Verbi : unde, sicut Verbum Dei ubique est, & totum replet cœlum & mundum, manens indivisum, sic dedit corpori, quod assumpsit de Virgine, & dedit Apostolis ; Divinitas enim, quæ ubique est, replet illud & conjungit & facit, ut sicut ipsa una est, ita veritas corporis Christi unum corpus sit in veritate.*

XXXV. His Doctoribus præcessit Guillelmus ex Abbate S. Theodorici Monachus Cisterciencis D. Bernardo familiarissimus, eique ob virtutem & sapientiam valde commendatus ; cujus tantùm aliqua verba refert Cienfuegos locô citatô ; nactus tamen ejus librum *de Sacram. Altaris* D. Anselmo attributum in ejus operum editione Coloniensi anno 1612, cum tamen absque dubio sit prædicti Guillelmi, ut advertit Gerberonius Benedictinus in editione Parisiensi operum S. Anselmi, & evincitur in Bibliotheca Cisterciensi, ubi iste cum aliis dicti Guillelmi libris editur : Longiusculè ejus verba afferam, utpotè continentia eamdem doctrinam, quam Lullus affert in quæstione, ex qua desumptus est textus notatus à laudato Censore, de quibus in tota hac Dissertatione. Itaque præfatus Guillelmus, in cit. lib. cap. 3. & 4. variis exemplis adstruit credibilitatem hujus mysterii Eucharistici, & cap. 4. datô exemplô animæ rationalis, quæ, sicut Deus est idem totus ubique locorum, ita eadem est etiam tota in toto corpore suo, subdit : » Cur tandem difficile videbitur, » naturam carnis illi summæ naturæ sic unitam esse, ut ejus facta » sint omnia, quæ illius sunt, maximè post resurrectionis glorifica» tionem, ex divina potentia posse, ut in diversis locis sit, non di» versô tempore. Nam, ut ait Apostolus, etsi crucifixus est ex infir» mitate nostra, vivit tamen ex virtute Dei : sicut enim dignioris » & subtilioris naturæ spiritum rationalem constat esse, quàm quod» libet corpus, istud tamen corpus, quod super omnes cœlos in eo,

„ qui super omnia est, meruit exaltari, dignus (fortè *dignius*) & „ ad omnia, quæ voluit, subtilius & efficacius puto esse quàm sint „ aliqui, non solùm inferiores spiritus, sed & omnes illi, qui cœlo- „ rum nomine meruerunt appellari.

XXXVI. Postea dicit, dictam naturam, nedùm elevatione corporali elevatam super cœlos, sed etiam ita, *ut dignitate, gloriâ, & potestate, super omnia cœlestia credatur glorificata*, & immediatè subdit: „ Nec tamen naturam corporis Dominici ubique esse eredo, „ quia nec opus est, nisi ubi vult, & nisi fidei certô Sacramentô „ hoc operatur, ad quod assumpta est & glorificata, Mysteriis sci- „ licet salvationis humanæ.... Sic enim constat in diversis locis unô „ horæ momentô esse posse corpus Christi, sed lege creatricis na- „ turæ, non creatæ, cùm autem creatæ naturæ natura sit creatricis „ naturæ legibus obedire: si aliquando acta sua resolvenda illi per- „ mittit, qui ea instituit & ordinat, non debet videri errare, & „ deviare ab ordine suo, maximè etiam, & illa natura, quæ in uni- „ tate naturæ (*Personæ*, ut infra explicat, & sic mendum irrepsisse „ videtur) conjuncta est illi Verbo, per quod facta est omnis crea- „ tura, & per quod non posset amodò esse, nisi, sicut dicit Evan- „ gelista, in ipso vita esset. Sic cogitemus illam naturæ (*Personæ*) „ unitatem, quâ, licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus „ est Christus, secundùm quam ipse Dominus: *nemo*, inquit, *as-* „ *cendit in cœlum, nisi quid descendit de cœlo*, & de qua Apostolus: „ *Si*, inquit, *cognovissent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent;* „ cùm homo Christus quantum in suæ proprietate naturæ, id est „ humanæ, ante conceptum Virginis non fuerit, nec in suæ pro- „ prietate naturæ Dominum gloriæ crucifigi possibile: si inquam, „ *hanc Personæ cogitemus unitatem*, participationem humanæ naturæ „ cum Deo, & in cœlo, & in terra, & *ubique*, etiam ante concep- „ tum Virginis, *& fuisse, & esse credendus est homo Christus*: que- „ madmodum secundùm participationem divinæ cum homine naturæ, „ procul dubio Dominus Gloriæ credendus est crucifixus. Secundùm „ hanc enim naturæ (*Personæ*) unitatem, unô momentô Christus „ Dominus, & in sepulchro quievit, & in cœlo, & in terra, & „ ubique fuit; sed secundùm unitatem solam eôdem temporis mo- „ mentô in sepulchro quievit, sed in carne sola, eôdem tempore in „ inferno erat suos liberans, sed anima sola: eôdem tempore in „ cœlo ad dexteram Patris sedebat, sed in Deitate sola. Et si de „ quolibet horum requiramus, Christum Dominum planè respon-

„ dendum est fecisse, sed secundùm proprietatem cujuslibet subs-
„ tantiæ.

XXXVII. In hac sanè Guillelmi Abbatis doctrina continetur idem, quod in tota hac Dissertatione docet Lullus, videlicet, Christum hominem esse in cœlo & in terra, & ubique, licèt humanitas per se tantùm sit in loco determinato: corpus Christi etiam sacramentaliter tantùm esse in diversis locis, posse tamen esse ubique, si velit Deus; hoc autem, quòd idem in diversis locis sacramentaliter esse possit, habet ratione unionis cum divina natura, prout docet Lullus & alii citati: quibus consentit Cardin. Cienfuegos citatâ Disput. 2. sect. 6. num. 127. ubi pro Sententia, quæ *præsentiæ replicationem solùm Deo*, vel *Divinitati unito subjecto competere posse docet*, allegatis D. Bonav. D. Thomâ, & Guillelmo Abbate, quamvis non adeo diffusè, ut hîc, subjungit: „ Idque reipsà tradunt Scholastici, cùm docent
„ humanitati Christi Domini titulô nexûs hypostatici deberi omnia
„ privilegia eidem possibilia, convenientiaque, vel quæ ipsam ornant.
„ Et immediatiùs adhuc, dum probant, Christum Dominum me-
„ ruisse institutionem & excellentiam hujus maximi Sacramenti „.
Eamdem Sententiam ibi adoptat Cardinalis, & ejus suppositâ veritate infert, quòd eôdem titulô unionis competit corpori Christi in Eucharistia usus de facto, quamquam miraculosus, sensuum & potentiarum.

XXXVIII. In eamdem sententiam ivit Cardinalis Nicolaus de Cusa, lib. 2. *Excitationum* in Sermone: *Hoc facite in meam commemorationem*, pag. 396. dicens: *Scio enim, quòd Deo convenit ubique esse; homini in uno loco tantùm: quid mirum, si Deo & homini medio modo, non ubique, & non in uno loco tantùm, sed in pluribus?* Hoc etiam alter Teutonicus, & Cardinalis designatus Joannes Gropperus, & quidem expressiùs fatetur in laudato opere *de Eucharistia*, art. 1. cap. 15. pag. 29. cap. 55. pag. 278. & 295. ubi sic scribit: « Sed
„ hoc nos dicimus, quandoquidem Christus Deus & homo est, &
„ corpus ejus, licèt humanum sit, tamen deificatum, & cum pri-
„ mis admirabile corpus est, eâ causâ posse eum, utpote apud quem
„ non est impossibile omne verbum, illud idem corpus suum ubi-
„ cumque velit substantialiter exhibere; & citra dubium, juxta ser-
„ monem illum: *Hoc est corpus meum*, locis omnibus, quibus vene-
„ rabile Sacramentum, sicut ab illo institutum est, conficitur,
„ etiam reverà exhibere præsens, ita tamen, ut propterea, Cœlum
„ deserere non cogatur „. Et pag. 279. sic scribit: « In summa,

„ tametsi Christi corpus reverà humanum corpus est, non vulgare, „ sed stupendum & admirabile corpus est, quandoquidem cum præ- „ potente Divinitate conjunctum & unitum est, quo fit, ut illi pos- „ sibile sit, quod quibuslibet aliis corporibus est impossibile.... quâ „ igitur ratione non possit etiam secundùm verbum suum in vene- „ rabili Sacramento præsens adesse „? Idem docet gravis & antiquus Theologus Raymundus de Sabunde in Theolog. naturali, tit. 293. dicens: « Sed tamen non est mirum, si caro Christi conjuncta „ inseparabiliter cum Divinitate ascendat ad istum gradum, ut possit „ esse simul & semel in pluribus locis, quia Divinitas est ubique tota „ simul; & quia caro Christi est unita Divinitati, ideo ratione Di- „ vinitatis potest simul & semel esse in pluribus locis.

XXXIX. Cùm itaque constet, præfatos Patres, & Doctores eam- „ dem tenere, ac Lullus, sententiam, videlicet corpus Christi ratione unionis cum Divinitate posse esse sacramentaliter in diversis locis: sicut ipsis immeritò impingeretur erroneè sentire, *corpus puri hominis non posse esse in duobus locis, miraculosè quidem & sacramentaliter, quia non habet naturam divinam unitam*, ita immeritò impingitur B. Lullo. Præfatam Patrum, quos citat, doctrinam intelligit Cienfuegos, ubi supra, ita ut existimet eos sentire, corpori Christi titulo unionis hypostaticæ deberi quodammodò esse sacramentaliter in multis locis. Bellarminus, citat. lib. 3. de *Incarnatione*, cap. 19. ad Doctrinam citati *compendii Theologicæ veritatis* ab Ubiquistis sibi oppositam pro ubiquitate humanitatis Christi, respondet quòd Autor citati compendii, *indicare voluit, propter unionem ad Verbum, posse hominem Christum statuere suum corpus in pluribus locis, quia enim homo ille est Deus, ideo potest hoc facere. Nos enim, qui tantùm homines sumus possumus quidem à Deo, si ipse voluerit, poni in pluribus locis, sed non possumus nos ipsos ponere in pluribus locis.*

XL. Uterque explicandi modus, ad relatam Doctrinam Cienfuegos & Bellarmino adhibitus, optimè & absque ulla violentia quadrat textui notato Lulli, ut ex reflexione ejusdem cum aliis videri potest. Et *Primò*, dici potest quòd Lullus, dum asserit corpus Christi ratione unionis hypostaticæ posse esse in diversis locis, imò & ubique, sacramentaliter, hoc intelligit ex debito quodam ipsi correspondenti ratione unionis, ob magnam excellentiam, quam sic habet; quod tamen nulli alteri corpori non unito sic competere potest; & hoc innuit in citatis textibus, dum dicit, ratione unionis convenire corpori Christi posse esse sacramentaliter in diversis locis. *Secundò*, dici

potest, ut magis indicatum in citatis textibus, asseri corpus Christi posse esse sacramentaliter in multis locis, imò & ubique, ratione unionis cum divinitate, quatenus Christus, qui ubique est, potest suum corpus statuere & ponere ubique velit, & ita etiam, ut suum corpus, ut instrumentum conjunctum ad hoc concurrat, quod aliis corporibus convenire non potest. Hæc explicatio magis indicatur in citatis textibus, quia in omnibus attribuitur supposito, in quo ambæ naturæ sunt unitæ, posse facere suum corpus esse in diversis locis; & ubique; & in plerisque expressè attribuitur Christo posse esse sacramentaliter in diversis locis, ut num. 4, 8 & 12. in quo expressè attribuitur Christo seipsum ponere sacramentaliter in diversis locis, quin necesse sit seipsum de cœlo demittere, aut ejus quantitatem extendi.

XLI. Deinde pro Lullo & aliis dici potest, quòd, dum dicitur corpus Christi posse esse in diversis locis sacramentaliter propter unionem cum divinitate, unio hypostatica non designatur tamquam unica & præcisa ratio, ut corpus generaliter possit esse in diversis locis, sed tamquam sufficiens & efficax ratio, ut corpus Christi multiplicem valeat habere sacramentalem præsentiam; ac proinde non habet locum illatio consequentiæ, à laudato Censore exposita. Hoc maximè habet locum in textu Lulli notato & adducto, num. 21. ubi respondet ad objectionem, in qua ex eo quòd idem corpus non possit esse in diversis locis localiter, seu circumscriptivè, adhuc miraculosè arguitur indirectè quòd corpus Christi sacramentaliter non potest esse in diversis locis; & respondet, quòd ratione unionis ambarum naturarum in uno supposito Deus est homo Christus, & homo Christus est Deus; & quia Deus est ubique homo Christus, hoc est suppositum humanitatis, propterea Deus, qui ubique est homo Christus, potest facere, quòd suum corpus sit in diversis locis, immò & ubique, sacramentaliter: unde subjungit: *Et ideo Eremita, exemplum, quod das de vino & de duabus amphoris, non valet, sed valeret, si Christus non esset Deus, nec Deus esset ubique homo Christus.* Exemplum de vino & amphora, & argumentum ex ipso sic proponitur, quòd si posset idem corpus adhuc miraculosè esse in diversis locis, *vinum, quod est in amphora plena, posset in eodem instanti esse in alia amphora, quæ est vacua, quod est contradictio, scilicet quòd eadem amphora esset plena vinò, & non esset plena;* differentia verò, quæ opponitur à Lullo, est, quòd corpus Christi est unitum cum Deo tamquam ejus corpus in esse hominis, qui Deus

est ubique illius suppositum, & sic datur medium, quô illud corpus possit statui in diversis locis, quod corpori vini non convenit; & sic non sequitur contradictio, quæ in corpore circumscriptivè bilocato apparet, cùm corpus Christi sacramentaliter positum in diversis locis, illa non repleat.

XLII. Tandem præscindendo à quæstione, an corpus quodcumque possit sacramentaliter poni in diversis locis, quæ fortè posset agitari, sicut agitatur ea, an idem corpus possit esse circumscriptivè in diversis locis: posset dici pro Lullo, & citatis Doctoribus, quòd in ordine sacramentali, & consequenter ad Incarnationem Filii Dei, juxta quam est stabilita sacramentorum dispositio, unio hypostatica corporis Christi cum divina natura est ratio formalis & propria, cur corpus Christi possit esse sacramentaliter in diversis locis, immò & ubique; inde tamen non sequitur, quòd corpus puri hominis absolutè, ut infert laudatus Censor, non possit esse sacramentaliter in diversis locis; sed tantùm quòd in ordine sacramentali instituto conformiter & consequenter ad Incarnationem Filii Dei, purus homo non potest poni in diversis locis sacramentaliter, sicut in eodem ordine purus homo non potest esse Autor Sacramentorum; in hoc autem nihil est notâ dignum, cùm verissimum sit purum hominem modô dictô non posse poni sacramentaliter in multis locis; & sicut D. Thomas, agens de Sacramento, plura dicit non posse à Deo fieri, quod tamen, ut Cajetanus & alii ejus Interpretes exponunt, non intelligitur de non posse absolutè, sed solùm in ordine sacramentali instituto, sic pariter dicitur in hoc casu; & hoc maximè locum habet in doctrina Lulli, qui in hoc libro tantùm agit de Sacramento Altaris, quod q. 126. resolvit debere esse, consequenter ad Incarnationem; atque ita juxta hunc ordinem debent intelligi, quæ ex ejus doctrina, possunt vel non possunt fieri.



DISTINCTIO II.

De secunda classe Censurarum adversus, Lib. Quæstionum super Magistrum Sententiarum.

DISSERTATIO I.

De Propositionibus 1, 2, 3, 4, 5, 6 & 7. ex quæstionibus, 5, 7, 22, 41, 48, 86 & 90.

§. I.

Proponuntur & breviter exponuntur Propositiones 1, 2, 3 & 4.

I. AD primam hic adducitur textus: *Intellectus, qui substantialis est, agit substantialiter & accidentaliter intra & extra, ut dictum est, sine productione & generatione alicujus substantiæ.* quæst. 5. *Sent. n.* 5.

Censura: *Statuit duplex intelligere in intellectu creato, alterum substantiale, & alterum accidentale: primum intra, secundum ad extra, contra communem opinionem Theologorum.*

II. Hæc sanè quæstio de actu intellectûs potiùs videtur Philosophica, quàm Theologica, utpote ejus resolutio ab intima pendet Philosophia; nam *Primò*, sciri debet, an potentiæ animæ, scilicet memoria, intellectus, & voluntas, sint accidentia animæ, vel sint de ejus essentia & substantia? Et circa hoc in notata quæstione 5. Sentent. resolvit & probat Lullus, quòd non sunt accidentia, sed sunt virtutes substantiales & essentiales animæ rationalis. *Secundò*, sciri debet, an distinguantur ab invicem; & resolvit Lullus, quòd realiter ab invicem distinguntur, cùm unaquæque sit finita & terminata, ac proinde intellectus non est nisi virtus intelligendi, non autem volendi, ac propterea intellectus realiter distinguitur à voluntate. *Tertiò*, sciri debet, quomodo dictæ potentiæ realiter distinctæ constituant animam; & quia realis & naturalis constitutio nequit esse, quin partes constitutivæ agant & patiantur ad invicem,

aliter non haberent ad invicem naturalem habitudinem, ut per se & ex earum naturali ordine fieret ex ipsis unum totum: ideo debent ad invicem intrinsecè agere & pati, & una debet esse activa, & alia passiva; & quia activum dicit majorem perfectionem; quàm passivum, & aliunde dictæ potentiæ, cùm sint ad æqualem finem, sunt æquales, nulla earum per se est purè passiva, vel pura materia respectu aliarum; & consequenter omnes ad invicem debent esse naturaliter mutuò activæ & passivæ.

III. Ex hoc jam consequitur, quòd si intellectus agit naturaliter & intrinsecè in alias potentias ad constitutionem animæ, debet habere actum seu exercitium agendi de suo genere & ratione, ac proinde hic actus debet esse & dici *intelligere*; & quia etiam eô ipsô intellectus est activus intrinsecè in alias potentias, debet in ipso esse ratio activa de suo genere, quæ debet esse & dici *intellectivum*, seu ratio intellectiva; & etiam quia intellectus per se patitur sub aliis potentiis ad constitutionem animæ, debet habere rationem passivam de suo genere, quæ debet esse & dici *intelligibile*, seu ratio intelligibilis: Unde ad hoc, ut ex intellectu aliisque potentiis intrinsecè & substantialiter constituatur anima rationalis, debet in intellectu esse ratio activa de suo genere, id est intellectivum; ratio passiva, id est *intelligibile*; & actus seu exercitium, id est *intelligere*. Idem pariformiter est de aliis potentiis. Hinc, *Quartò*, ad hanc intimam de animæ substantia Philosophiam, debet sciri, an in intellectu hæc ratio activa, ratio passiva, & actus, sint una simplex ratio, vel distinctæ, ita quòd intellectus intrinsecè sit ex ipsis constitutus, & sit una essentia dictas coëssentiales rationes includens? At quia activum majus est quàm passivum, & plùs est intrinsecum, quàm extrinsecum, resolvit Lullus, quòd in intellectu sunt coëssentialiter & consubstantialiter, ratio activa, id est *intellectivum*, ratio passiva, id est *intelligibile*, & actus, id est *intelligere*: ita ut primò sit ex ipsis constitutus intellectus tui simplex essentia de genere intelligendi, & deinde ad constitutionem animæ rationalis cum suo *intellectivo* agat intrinsecè in memoriam & voluntatem, mediante suo actu, nempè *intelligere*, & patiatur ab eisdem cum suo *intelligibili*.

IV. Itaque hic actus, seu exercitium de genere intellectûs, qui propterea debet esse & dici *intelligere*, est illud intelligere substantiale & essentiale, quod admittit Lullus in intellectu in hac quæstione; quo quidem intelligere simul cum intellectivo, & intelligibili coëssentialibus est; *Primò*, intellectus in seipso una essentia in suo genere

completa; & *Secundò*, ut cum aliis potentiis constituat animam, cum eodem intelligere consubstantiali agit in alias potentias sub sua coëssentiali ratione activa, & patitur ab eisdem sub sua coëssentiali ratione passiva: Quia verò intellectus nedùm habet actum de suo genere in alias potentias, ut cum ipsis constituat animam rationalem; sed etiam cognoscendo objecta, & hunc actum habet mediantibus speciebus, ideo habet alium actum, seu aliud intelligere accidentale, quod dicitur intelligere ad extra, & non ad intra, quia non deservit ad intrinsecam constitutionem, sed ad exteriorum notitiam. Et hæc est Philosophia de anima & intellectu, quam in notata quæstione attingit Lullus; tota verò difficultas oritur ex penuria terminorum, nam illum actum intrinsecum intellectûs vocat Lullus *intelligere*, quia non adest terminus opportunior; & hinc oritur æquivocatio, quia actus accidentalis intellectûs communiter notus etiam dicitur *intelligere*.

V. Patet itaque, non esse notâ Theologicâ dignum, textum, quem citat hic Censor ex dicta, quæst. 5. Sentent. nam ibi, postquam, num. 1. & 2. probavit Lullus, quòd anima habet partes substantiales, quæ sunt memoria, intellectus & voluntas, Eremita, num. 3. objicit, quòd si ita sit, sequitur, *quòd una anima generet & substantialificet aliam animam*, & Lullus, ut ostendat hoc non sequi, explicat, num. 5. breviter quæ exposuimus de coëssentialibus intellectivo, intelligibili, & intelligere intellectûs, & addit modum, quô intellectus, mediantibus speciebus, intelligit objecta, & tandem sic concludit: *Et sic intellectivus, qui est substantialis, agit substantialiter, & accidentaliter, intra & extra, ut dictum est* (id est, agit substantialiter ad intra ad constitutionem intrinsecam animæ; agit verò accidentaliter ad extra, dum, mediantibus speciebus, intelligit objecta) *sine productione & generatione alicujus substantiæ, nihil de se, nec de suo proprio intelligibili, nec de suo intelligere, scindens, augmentans, vel diminuens, cùm intellectus sit spiritualis & incorruptibilis*: ex quibus patet, qualiter sit in anima substantiale intelligere distinctum ab accidentali, quin per hoc una anima generet aliam animam. Tandem pro hoc *intelligere*, & actu substantiali videatur supra, dist. 1. differt. 6. §. 3. præcipuè à num. 25. Text pr. 1.

VI. Secundò notatur hìc Textus: *Potentia generandi in divinis absolutè se habet in quantum constituit unam communem proprietatem spirativam inter Patrem & Filium*, q. 7. Sentent. At hoc jam explicatum est supra dist. 1. differt. 4. §. 1. à num. 1.

VII. Tertiò, notatur hic Textus: *Pater constituendo Filium determinatum distinguit Filium à se ipso, & à Spiritu Sancto: Pater, & Filius constituunt Spiritum Sanctum, & à seipsis ipsum distingunt.* Quæst. 22. Sent. num. 1. Etiam hoc explicatum est supra dist. 1. differt. 6. §. 2. à num. 9.

VIII. Quartò, notatur hic Textus: *Posita in æviternitate Deus annihilare non potest, postquam illa vult esse æviterna.* Quæst. 41. circà finem. At hoc etiam explicatum est suprà dist. 1. differt. 7. §. 2. à num. 4.

§. II.

Docet Lullus in Prop. 5. quòd *Christus ut homo non fuit mortalis naturaliter, id est, ex naturali pondere, & dispositione sui corporis, prout immunis à peccato, & Deo uniti; fuit tamen mortalis per accidens & ab extrinseco; quæ tamen mortalitas non fuit supernaturalis, sed naturalis & conformis naturæ assumptæ.*

IX. Quintus Textus notatus est iste: *Christus in quantum homo mortalis fuit, non naturaliter, sed per accidens ratione finis, ad honorandum scilicet naturam divinam, & ad recreandum genus humanum.* Quæst. 48. num. 3. At ex contextu liquidè patet, quô sensu dixerit Lullus Christum, ut hominem non esse naturaliter mortalem, videlicet ex naturæ infectione, & consequenti necessitate, quemadmodum alii homines; sed per accidens, quatenus ad honorandam divinam naturam, & recreandum genus humanum, voluntariè voluit pati & mori. Hoc ut intelligatur, notandum est Lullum ibi agere de perfectione naturali humanæ Christi naturæ; & postquam, num. 1. conclusit, quòd natura humana in Christo est nobilior quàm natura Angelica, objicit Eremita, num. 2. sic: « Raymunde, natura Angelica est incorruptibilis & immortalis, & non indiget aliquô extra se ad vivendum, sed natura hominis est corruptibilis & mortalis, nec homo potest vivere sine cibo, & potu, &c. . . . . Item » Angelus non est impeditus ad intelligendum, recolendum & amandum . . . . sed in homine est per oppositum. »

X. Ad hanc objectionem, num. 3. sic respondet Lullus: *Eremita,* Text. prop. 5. *malè facis quòd non distinguas inter naturam Christi, & naturam aliorum hominum; cùm natura aliorum hominum sit mortalis, & impedita ad intelligendum, sicut tu dicis, propter peccatum primorum Parentum; sed*

humanitas Christi in instanti, in quo à Deo fuit assumpta, & producta natura, fuit innocens, & separata ab omni peccato originali & actuali, & ideo non fuit corruptibilis, nec impedita ad intelligendum, cùm corruptio, mortalitas, & impedimentum in homine sint propter peccatum originale. Verumtamen Christus in quantum homo fuit mortalis, sed non naturaliter, sed per accidens ratione finis, scilicet ad honorandam divinam naturam, quæ ipsam tantum exaltavit, & ad recreandum humanum genus: sicut homo sanus, dum est sanus, non est mortalis naturaliter, sed est mortalis per accidens, quando alius homo ipsum vulnerat, & interficit.

XI. Patet itaque Lullum negare, quòd Christus esset mortalis eâ mortalitate, quâ reliqui homines, ratione peccati originalis, sunt mortales; affirmat sanè quòd Christus erat mortalis, non tamen eo modo, quo alii, ratione peccati, sunt naturaliter, seu ex necessitate naturæ mortales; sed quia ejus morte opus erat ad honorandam divinam naturam, & recreandum genus humanum; quod quodammodo accidens est incarnationis substantiæ, quia hæc fieri potuit Adamo non peccante, quin Christus moreretur, & morte ac passione honoraret divinam naturam, ideo per accidens, & ad prædictum finem fuit mortalis. Profectò duo negat Lullus Christo competere, ob suam immunitatem à peccato, quæ ratione peccati originalis aliis hominibus conveniunt, nempè corruptionem, seu mortalitatem, ac impedimentum animæ ad intelligendum; quia tamen ad honorandam divinam naturam & recreandum genus humanum oportuit ipsum mori, ideo, quia Incarnatio per se non requirit mortem & passionem, utpotè sine ipsis potuit esse; nec natura assumpta ut unita Deo per se exigit mortem & passionem, ideo Christus non erat *naturaliter* mortalis, sed tantùm fuit mortalis *per accidens*, quia fuit mortalis, ut recrearet genus humanum, quod per accidens se habet ad Incarnationem, quæ potuit esse sine morte; & ideo neque illa mortalitas fuit naturaliter ex necessitate naturæ, ut in aliis hominibus, sed per accidens, quatenus voluntariè admissa ad recreationem humani generis.

XII. Totum hoc patet in exemplo de homine sano, quod adducit Lullus; nam, sicut homo sanus, dum est sanus, non est mortalis naturaliter, hoc est per se non exigit mori, ita Incarnatio, & natura humana ut unita Deo per se non exigit mortem; & sicut homo sanus, adhuc dum est sanus, potest per accidens vulnere occidi, ita Christus per accidens, quia sic voluit, potuit occidi & mori: Unde,

ficut homo fanus, infpectâ fuâ naturâ, quæ ex elementis eft compofita, quæ quidem funt ad invicem contraria, & ab invicem diffolubilia, eft mortalis, & quantum eft de fe ab ipfis fluere & oriri poteft mors, & tamen, dum eft fanus, quo pacto temperiem habet elementorum, non eft naturaliter mortalis, quatenus ex illa elementorum temperie fluere & oriri nequit mors, cùm hæc ex elementorum proveniat intemperie; & hôc non obftante eft accidentaliter mortalis, quia poteft ab alio vel à feipfo occidi; ita, licèt humana Chrifti natura fit quoad corpus ex elementis ad invicem naturaliter contrariis extructa, ac proinde ipfum corpus ex fe diffolubile fit ab anima, quatenus non eft naturalis ejus proprietas elementorum temperies, neo indiffolubilis cum anima unio, quia tamen hæc humana natura fuit producta perfecta & nulla peccati infectione maculata, fimulq; unita cum Deo; & hæc naturæ humanæ perfectio unioque cum Deo non petit nec exigit mortem, imò vitam & bonam habitudinem, ideo Chriftus quoad hoc non eft naturaliter mortalis; quia tamen opus eft morte Chrifti ad recreandum genus humanum, & ad fic honorandam divinam naturam, ideo per accidens & ex voluntaria Chrifti acceptatione fuit mortalis.

XIII. Hæc Lulli fententia ampliùs patet ex eodem libro, q. 111. ubi inquirit: *Utrùm Chriftus, fi non fuiffet interfectus redemiffet humanum genus per naturalem mortem?* & ad ejus folutionem, num. 1. dicit: « Quòd mors fuerit in humano genere duobus modis per ori- » ginale peccatum, fcilicet naturaliter, & fpiritualiter; naturaliter » quia corpus primi hominis, qui erat immortalis antequam peccaffet, » poft peccatum fuit mortale, corruptibile, & putrefactibile; fpiri- » tualiter, ficut fua anima, quæ fuit mortua per peccatum. » dicit etiam, num. 2. « Quòd corpus Chrifti ratione unionis Deitatis fuerit » immortale, quia fi fuiffet mortale, affumpfiffet potentiam cor- » ruptionis, & putrefactionis, quod ipfi fuit ita impoffibile, ficut » illi fuit impoffibile affumere potentiam peccandi, ut in 107. quæf- » tione probatum eft; aliàs unio divinæ & humanæ naturæ non po- » tuiffet fieri, nec homo Chriftus fuiffet fuftentatus, & factus in » divino fuppofito; & quia naturaliter non fuit mortalis, per natu- » ralem mortem, quam non potuit habere, non potuit redimere » humanum genus: ficut homo, qui cum alis, quas non habet, non » poteft volare; fed corpus Chrifti fuit mortale per accidens, ficut » per vulnera, ut recreatio poffet fieri per accidentalem mortem, » ficut naturalis mors humani generis per accidens fuit facta, fcilicet » per peccatum primorum Parentum. » At num. 3. objicit Eremita:

» Christus fuit innocens, & non debebat mortem alicui; unde sicut » voluit esse mortalis, per mortem accidentalem, ut redimeret humanum genus, sic, si voluisset, fuisset mortalis naturaliter, ut » naturaliter per naturalem mortem redimeret humanum genus. » Huic objectioni respondet Lullus, num. 4. sic: « Superiùs probatum est, quòd Christus non potuerit habere naturalem mortem, » unde sequitur, quòd cum hoc, quod non potuit habere, non potuerit redimere humanum genus. »

XIV. In hac doctrina docet Lullus cum scriptura & Patribus mortem humani generis esse effectum & pœnam peccati originalis, atque ita hanc mortem & mortalitatem, quatenus est pœna peccati originalis, non potuisse assumi à Deo in natura humana sibi unita, sicut non potuit ab ipso assumi potentia peccandi; hæc autem mortalitas, qua est infecta tota humana natura, stat in hoc, quòd ipsa natura ex seipsa, & ex propria sui dispositione inclinatur & vergit in sui corruptionem & mortem, ita ut necessitate quâdam naturali, ex sua infectione proveniente, debeat mori, & jure quôdam, in subjectione ad peccatum fundato, ipsi dominetur mors, & aliæ naturæ pœnalitates: & quia humana Christi natura, nedùm ab omni peccato est immunis, sed etiam à potentia peccandi, & est unita cum Deo, est immunis ab omni mortalitate & infectione, qua ipsa, quatenus sic affecta & unita, naturali necessitate vergat in suî corruptionem & mortem; quia licèt ex elementis de se contrariis sit composita, adeoque de se sit dissolubilis unio corporis cum anima, quia tamen est in tali perfectione posita, quòd nedùm est iu ipsa elementorum perfecta temperies, & immunitas ab omni peccato, imò, & à potentia ad ipsum, sed etiam est unita cum Deo, ideo ratione hujus suî statûs & perfectionis non vergit in mortem, nec est ipsi mortalitas naturalis; at quia ejus morte opus erat ad honorandam divinam naturam, & recreandum genus humanum, volente ipso Christo, mori potuit per accidens, id est, non ex naturæ sic affectæ naturali vergentia, sed ex causa accidentaria.

XV. Porrò hæc Lulli sententia non est digna ullâ Censurâ, ut advertit eximius Theologus P. Berti Theolog. Discip. lib. 26. cap. 6. in principio, ubi postquam retulit errorem eorum, qui nullum verum fuisse in Christo dolorem asserebant, quia verum corpus eidem abnegabant; eorum etiam errorem, qui ex Eutichiana hæresi, confundente in Christo naturam humanam cum divina, progeniti, tenebant naturam humanam esse omninò incorruptibilem, & immor-

talem: subjungit: « Distinguenda est accuratè à duabus istis damnatis opinationibus sententia aliquorum Patrum, qui tradiderunt » opus fuisse miraculo, ut Christus pateretur, atque non fuisse humanæ fragilitatis, sed cœlestis gratiæ sacramentum, si Dominus » noster esurivit, sitivit, semetipsum turbavit, infremuit, & doluit; » quod disertè tradit Clemens Alexandr. in 6. stromat. Maximus Mart. » Homil. 1. de jejunio, & Philippus Abbas Præmonstrat in Epistolis de Sententia Hilarii, de quo proximo capite profectò hi Patres » neque Christum divinitate passum, neque humanam ejus naturam » suis proprietatibus expoliatam affirmavere, sed hanc per unionem » hypostaticam adeo roboratam atque perfectam, ut non nisi divina » accedente virtute subjiceretur passioni: *Atque in hac sententia, quæ » nihil habet repugnans incarnationis Mysterio, & nihil adversum » Christi doloribus, non reperitur aliquid judicio doctissimorum Virorum » in fide, periculi.* »

XVI. De disputatione relati Philippi Abbatis agit diffusè Petavius Theolog. Dogm. tom. 4. part. 2. lib. 10. de Incar. cap. 4. cujus Philippi Sententia videtur cum Lulliana coire in hoc, quòd ex actuali humanitatis Christi dispositione, & unione cum Deo taliter erat affecta, ut ex naturali & propria inclinatione, pondere, ac necessitate non vergeret in passiones naturales, famem, sitim, ac totalem tandem defectionem, ac mortem; sed illas quidem passiones pertulisse Christum, non ex infirmitate, & necessitate naturæ, sed purâ voluntate, ut Deum honoraret, & nobis mereretur; at in hoc discrepat aliqualiter à Lullo, quòd in humanitate Christi quamdam statuere videatur repugnantiam ad illas passiones & mortem, ita ut, prout refert Petavius ibi, num. 1. quidquid passa est, *non naturaliter, sed extraordinariâ quâdam lege, ac velut per miraculum sit experta.* Lullus autem eatenus negat in Christo naturalem mortalitatem, quatenus ex seipsâ, prout Deo unita, non vergebat & tendebat naturali pondere ac necessitate, ad illas passiones procreandas, ac tandem ad defectionem & mortem adsciscendam; erat tamen talis ejus natura, ut per accidens & ab extrinseco reverà per seipsam pati posset & mori, vel voluntariè excitante Christô illas passiones, vel admittente interfectionem violentam; ac proinde pænalitates ac mors, quam sustinuit Christus, non sunt naturales, prout naturale est idem ac ex pondere ac necessitate profluens naturæ, naturales verò sunt, prout naturale opponitur miraculoso: ita ut Christus per suam humanam naturam & in ipsa verè pertulerit absque miraculo illas pœnalitates;

&

& quia ejus natura per se ad id non vergebat, & naturali pondere ad idem non ferebatur, ideo per accidens & ab extrinseco pati potuit.

XVII. Unde differentia inter Lullum, & communem loquendi modum, stat in hoc quòd, supponentibus omnibus passiones à Christo non esse perlatas modô miraculosô, sed naturaliter, & ratione humanæ naturæ, communiter dicitur, naturam Christi ex seipsa, sicut aliorum hominum natura, pondere & inclinatione naturali ferri in pœnalitates, & ad mortem, ita ut hæc naturali propagine fluant & oriantur ex ejus dispositione: at hoc negat Lullus, & tantùm fatetur, hæc omnia, non ex natura, sed accidentaliter & ab extrinseco potuisse Christo accidere. Ut autem clarius appareat ejus Sententia, aliqui sunt notandi textus ejus doctrinæ; & quidem ante omnia suppono ipsius consensum cum Fide Catholica de vera & reali passione humanitatis Christi, ut fatetur & probat in libris innumeris, quibus agit de Articulis Fidei, dum tractat de passione & morte Christi, ita ut in humana & secundùm humanam naturam inexplicabiles pœnas & mortem pertulerit, quâ ipsius anima verè & realiter fuerit separata à corpore.

XVIII. Itaque ad præsentem scopum, in lib. *de 5. Sapient.* (tom. 2.) p. 4. dist. 2. cap. 2. objec. 9. dicit quòd Christus propter humanitatem, *utebatur cursu naturæ, ac comedebat & bibebat.* In lib. 4. *Demonstrat.* (tom. 2.) cap. 28. *de Passione nostri Domini Jesu-Christi*, num. 1. tenet, *quòd noster Dominus Jesus-Christus fuerit mortuus morte accidentali.* In Disp. *cum Hamar* (tom. 4.) part. 2. cap. 7. n. 3. litt. A. ait, quòd Deus potuit sibi unire humanam naturam, *Deo remanente immortali quoad suam naturam, & mortali quoad humanam naturam. In Supplicatione ad Professores Parisien.* (tom. 4.) dist. 2. *de Incar.* n. 11. supponit quòd Christus *in hoc mundo passus est opprobria, mortem crucis, & verbera, famem, sitim & alia;* & n. 15. super illa verba; *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti,* scribit: *Dico quòd hoc dixerit ad significandum quòd esset verus homo, qui timebat mortem naturaliter, & dixerat Patri: non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

XIX. Præterea *in Arb. Scient.* in Arb. Apost. in ejusdem *floribus*, tit. *Quòd Jesus-Christus fuerit mortuus*, n. 2. ait: *Jesus-Christus fuit mortuus ad dandum exemplum, quòd ipse erat homo mortalis propter originale peccatum* (ut scilicet ipsum deleret) *erat tamen immortalis in quantùm sustentatus fuit in Deitate; & mortalis fuit, ut cum sua spe-*

ciali mortalitate generalis mors moreretur ; & n. 5. ait : *Idcirco mors Christi extitit secundùm cursum naturalem.* In Arb. *Christian.* tit. *de Branchis* , n. 1. docet humanam Christi naturam esse ex natura elementali, vegetali, sensuali, imaginali, & rationali, & quòd *sentiebat per naturam elementalem , calorem & frigiditatem , & per vegetabilem appetitum habebat ad comedendum & bibendum . . . . Idcirco erat verus homo & utebatur conditionibus naturalibus naturaliter & virtuosè ;* & n. 2. *Quæ* (natura divina) *ratione conjunctionis cum huamna attingebat famem , sitim , calorem & frigiditatem.*

XX. Collatis adductis Lulli doctrinis cum textibus ex lib. Sentent. supra productis, & perpensô ipsum ubique tenere Christum passum fuisse, quia sic voluit, deducitur quod supra exposuimus, videlicet passionem & mortem Christi esse naturalem, prout naturale opponitur miraculoso, non autem esse naturalem, prout naturale importat intrinsecam ordinationem, pondus, & necessitatem naturalem ; sed tantùm esse accidentalem, & ex causa extrinsecâ ; & hoc idem innuere videntur illi Scripturæ textus, qui Christo passionem attribuunt quia voluit ; si enim ejus humana natura ferretur de se ad illas passiones, & tandem ad totalem defectionem , non illa passus fuisset Christus quia voluit , sed quia hoc exegit ejus natura , quod ipse volendo admisit, non causavit : sic Isaiæ, 54. 7. dicitur : *oblatus est quia ipse voluit* ; & Joan. 10. 17. *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me* [illegible]*d ego pono eam à me ipso ; & Joan.* 12. 27. *Nunc turbata est anima mea :* ad quæ verba D. Augustinus, Tract. 52. in Joan. ait : *Nos in se transtulit , nos in se suscepit , caput nostrum membrorum suorum suscepit affectum , & ideo ab aliquo non est turbatum , sed , sicut de illo dictum est , cùm Lazarum suscitaret , turbavit semetipsum.* Idem ibidem Tract. 49. *Quis enim eum posset , nisi seipsum ipse turbare ? Turbaris tu nolens , turbatus est Christus quia voluit. Esurivit Jesus , verum est , sed quia voluit : mortuus est Jesus , verum est , sed quia voluit. In illius potestate erat , vel sic affici , vel non affici.*

XXI. Expressiùs idem Augustinus, Trac. 60. in Joan. cujus verba pro se allegabat citatus Philippus Abbas ; nam ibi sic scribit S. Pater : *Sive ergo istô locô propter ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est , sive suâ morte propinquante , turbatus est , non est tamen ullô modô dubitandum , non cùm animæ infirmitate , sed potestate turbatum , ne nobis desperatio salutis oriatur , quando , non potestate , sed infirmitate turbamur. Carnis quippe illa gerebat infirmitatem , quæ infirmitas resurrectione consumpta est , sed quia , non solùm homo , verùm etiam Deus*

erat, ineffabili distantiâ universum genus humanum animi fortitudine superabat: non ergo aliquô est cogente turbatus, sed turbavit semetipsum; quod de illo evidenter expressum est, quando Lazarum suscitavit, nam ibi scriptum est quòd turbaverit semetipsum, ut hoc intelligatur & ubi non scriptum legitur; & tamen legitur eum fuisse turbatum; affectum quippe humanum, quando oportuit, in se indicavit, in seipso potestatem commonuit, qui hominem potestate suscepit. In hoc sanè tractatu, paulò ante relata verba, agit Augustinus de perturbationibus, quæ adhuc in Sanctis reperiuntur, quibus contra-ponit turbationem Christi, hanc dicens non ex infirmitate, sed expotestate provenire; illæ autem, quæ Sanctos afficiunt, ex infirmitate naturæ, quæ de se prona est illas producere, fluunt, non autem in Christo, qui potestate illas admisit; ac proinde illa coactio, quam negat in turbatione Christi, idem est ac motus naturalis in ejus humanitate, si enim in ipsa esset naturalis propensio, cogeret ipsa, saltem quoad excitationem perturbationis, licèt non quoad admissionem, nisi Christus præscius ejus commotionem comprimendo præveniret. Huic consonat ipse Augustinus in Psalm. 93. dicens: *Ergo tristis fuit? Prorsus tristis; sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem; quomodo voluntate, carnem veram, sic voluntate tristitiam veram.* Ipse D. Augustinus, lib. 26. contra Faustum, cap. 8. ait de Christo, quòd passiones humanas verè habuit, *sanè non necessitate conditionis, sed magisterii voluntate, & divinâ etiam potestate.* Enarrat. in Psal. 87. num. 3. de eisdem affectibus ac de morte, ait: *Non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit*, & Sermon. 232. cap. 5. Christum mortuum dicit, *Dignatione, non conditione.*

XXII. Similiter D. Basilius, Hom. de gratiarum actione, apud citatum Petavium, lib. 10. de Incar. cap. 5. num. 9. scribit, *Christum manducasse & bibisse, non cibo ac potu indigentem ipsum, sed ut nobis necessariarum hujusmodi affectionum animæ mensuras, ac terminos præfiniret: quemadmodum & flevisse, ut in gemitum, luctumque propensorum immoderatos affectus nimiumque dejectos corrigeret;* & post pauca: *Quemadmodum igitur famem suscepit Dominus, exhaustâ per expirationem solidiore alimoniâ, & sitim admisit, humore in corpore consumpto; & lassatus est, musculis, & nervis nimiùm ex ambulatione distentis, non divinitate ipsâ labore fractâ, sed corpore ex natura consequenter affectiones admittente, sic etiam lachrymas suscepit, naturalem affectum accidere permittens.* Expressiùs Theodorus Abucara, in Opusculo 4. apud Petavium, lib. 10. de Incarnat. cap. 3. num. 11. Lulli sensum

exprimit dicens : *Corpus Adami ab omni labe purum effinxit Deus; cui nulla ex naturalibus & inculpatis affectionibus necessitate dominabatur, veluti mors, & quæ mortem antecedunt ac sequuntur. Verùm postquam, sponte suâ & voluntate, Adamus idem divinum præceptum transgressus est, seque peccato subjecit, & inquinavit, tum demum naturalibus & inculpatis illis affectionibus, tamquam servus, obnoxius esse cepit, nempe morti, cæterisque morti præeuntibus, aut eam sequentibus. Hinc Adamus esurire, sitire, ac mori necessitate quâdam est coactus, & post obitum, corruptela ejus corpori dominata est, tum alia iis similia. Porrò sempiternus Dei Filius Adameum corpus assumpsit, hoc est ipse sibi ex purissimo Sanctissimæ Virginis Mariæ sanguine illibatum, & ab omni macula peccati liberum finxit : ob id nullum jus in ipsum mors habuit, nec illa quæ mortem antecedunt, uti fames, ac reliquarum culpâ carentium multitudo passionum, ut jam ostendimus; sed neque mortem consequens corporum corruptio, de qua Dei progenitor ille David in Psalmo ita prædixit : Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

XXIII. Itaque, si mors ac cætera præcedentia ac sequentia nullum jus habuit in Christum, non ex naturali humanæ ipsius naturæ propensione ac pondere ista contingere potuerunt, sed tantùm ex accidenti, ut exprimit Lullus. Similiter Damascenus, lib. 3. cap. 28. (apud Petavium, loc. cit. cap. 3. num. 2.) admittit in Christo illas passiones, famem, sitim, &c. non autem summam & ultimam in ea, ex quibus constat, corporis resolutionem, & ejus dissipationem: Unde ipse, ibidem, lib. 3. cap. 20. (apud Petavium ibi, cap. 4. n. 8.) ait: *Quo circa naturales nostræ passiones, & secundùm naturam, & supra naturam in Christo fuerunt : secundùm naturam enim in ipso commovebantur quando carni permittebat, ut quæ sunt ejus propria pateretur; supra naturam verò quoniam non antecedebant in Domino, quæ naturalia erant, ejus voluntatem; nam nihil coactum in eo consideratur, sed voluntaria omnia. Itaque volens esuriit, volens sitivit, volens timuit, volens est mortuus.* D. Anselmus, lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. etiam ait : *Utrum autem homo ille* (Christus) *sit moriturus ex debito, sicut alii homines ex debito moriuntur, non investigare debemus : sed si Adam moriturus non erat, si non peccasset, multò magis iste mortem pati non debebit, in quo peccatum esse non poterit, quia Deus erit;* & cap. 11. ad quæstionem, an Christus possit mori? Respondet Boso, quòd ita, cùm *omnis homo naturaliter mortalis sit;* at Anselmus ita dicit : *Non puto mortalitatem ad puram, sed ad corruptam, hominis na-*

turam pertinere; & concludit: *Quare non sufficit ad demonstrandum, illum hominem debere mortalem esse, hoc quia verus homo erit*; & tandem posse mori reducit ad suî ipsius omnipotentiam. Demum, post multa concludit Boso: *Video hominem illum planè, quem quærimus, talem esse oportere, qui nec ex necessitate moriatur, quoniam erit omnipotens; nec ex debito, quia nunquam peccator erit, & mori possit ex libera voluntate, quia necessarium erit.* Similia repetit. cap. 18.

XXIV. Nec contra prædicta obstat illud August. lib. 2. *de Peccator. mer. & Remiss.* cap. 20. ubi ait: *Sed quia in eo* (Christo) *erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exortus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus:* Non inquam obstat, tum quia non tamquam aliquid certum illud exponit Augustinus, sed quia sic *videatur*; tum etiam quia hoc intelligitur supposito quòd ita voluisset, sicut voluit mutationes ætatum suscipere; si enim voluisset corpus compositum ex elementis dissipari, non conservando ipsum per unionem cum Deitate, tunc fuisset corpus resolutum, & ad totalem pervenisset defectionem. Ad hoc ipsum alludit D. Bern. lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 3. num. 8. dicens: « Porrò & à miseria, quæ » est pœna peccati, habuit nihilominus libertatem, sed potentiâ, » non actu; nemo quippè tollebat animam ejus ab eo, sed ipse po- » nebat eam. Denique, teste Prophetâ: *oblatus est quia ipse voluit*, si- » cut & cùm voluit natus ex muliere, factus sub lege, ut eos, qui » sub lege erant, redimeret. Fuit itaque & ipse sub lege miseriæ, » sed fuit quia voluit, ut liber inter miseros & peccatores utrumque » jugum fraternis à cervicibus excuteret.

§. III.

Substantia naturaliter non potest creari nec esse sine accidente, nec accidens sine substantia; benè verò supernaturaliter; quoad propositionem 6.

XXV. Ad sextam propositionem hic adducitur textus: *substantia sine accidente creari non potest, & è contrariò, cùm relativè se habeant.* Quæst. 86. Sent. circa finem.

XXVI. Lullus in hac quæst. 86. inquirit: *Utrùm gratia gratum faciens, & virtus gratuita differant per essentiam?* Et postquam resolvit affirmativè, Eremita, num. 3. objicit, quòd *Deus non potest facere gratiam sine charitate, & quòd Deus non potest dare charitatem sine gra-*

tia, & sic de Fide, & Spe, & ita gratia gratum faciens & virtus gratuita sunt idem per essentiam, cùm una non possit esse sine alia in agente, nec in patiente; at num. 3. sic respondet Lullus: *Substantia non potest creari sine accidente, nec è converso, cùm relativè se habeant, sicut substantia mundi, quæ non potuit creari sine quantitate, nec quantitas sine subjecto: verumtamen, quamvis substantia naturaliter non possit esse sine accidente, nec è converso, nec Deus possit unum facere sine alio, non tamen sequitur, quòd substantia sit accidens, nec accidens substantia: similiter est de gratia, & virtute, & ita tua ratio non procedit.*

Text. prop. 6.

XXVII. Planè inspecto toto contextu, clarè apparet sensus Lulli rectus, & obvius, quia in secunda ejusdem parte explicatur prima ejus pars, ita ut intelligatur, quòd *naturaliter* non potest creari substantia sine accidente, nec accidens sine substantia: Unde, cùm etiam in exemplari Panormitano, quod vidit iste Censor habeatur explicatio per ly *naturaliter*, satis mirari non possum, hunc Censorem præfatam notasse propositionem, & eam à contextu avulsam exposuisse; cùm ratio dictet juxta contextum esse intelligenda verba cujusque Autoris. Porrò sententiam Lulli esse, quòd substantia supernaturaliter potest creari & esse sine accidente, & accidens sine substantia, indicat sufficienter Lullus in hoc eodem libro, à q. 125. ubi agens de Sacramento Altaris, sæpè repetit accidentia panis manere supernaturaliter sine subjecto; & omissis aliis libris expresse hoc probat in lib. de Articulis ab Episc. Parisien. damnatis, ubi plures impugnat articulos contrarium prætendentes, signanter Artic. 138. 139. & aliis pluribus.

§ IV.

Docet Lullus in prop. 7. *Animam non habere, id est, non fuisse ipsi datum, liberum arbitrium ad malum, uti ad bonum, sed simpliciter ad bonum.*

XXVIII. Hunc Textum septimo loco notat laudatus Censor: *Anima suum liberum arbitrium non habet invicem ad bonum aut ad malum, sed simpliciter ad bonum, sed homo, qui est ex duabus naturis deliberat cum libero arbitrio ad agendum oppositum cujuslibet naturæ.* Quæst. 90. Sent. num. 2.

XXIX. In hac quæstione inquirit Lullus: *Utrùm anima possit infici à carne?* Et ad ejus solutionem, num. 1. ita discurrit: « Raymundus » respondit duobus modis ad hanc quæstionem, scilicet per partici-

» pationem, & per dispositionem: per *participationem*, dicens: vinum rubeum mixtum cum aqua in mixto, quod est tertium ex ipsis, est fractum & remissum quoad suam intensitatem coloris & saporis; & hoc est ideo, quia participat cum aqua, quæ est frigida & humida, & ipsum est calidum & siccum, & ideo est mutatum & alteratum de intensa quantitate in extensam ratione participationis contrarietatis: à simili, quando anima creatur, & infunditur in corpus hominis, ipsa venit munda & pura, & cum suo connaturali libero arbitrio, & corpus cum sua elementativa, vegetativa, sensitiva, & imaginativa.... & per sensitivam habet (corpus) magnam potestatem & malam appetendi magna delectabilia sensibilia contra castitatem, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem, patientiam, & abstinentiam, & sic de similibus virtutibus; & hoc est quia sensitiva naturaliter est absoluta ad appetendam magnam inhonestam & inordinatam delectabilitatem: per imaginativam habet corpus naturam multiplicandi concupiscibile & irascibile, & inflammationem & augmentationem carnis, & sic de aliis: Unde quando anima sic venit ad corpus & corpus ad animam, ut supra dictum est, constituunt tertium, quod est homo, in quo anima est mutata & infecta, non quoad suam essentiam & naturam, sed quoad hoc, quod ipsa est in homine, qui naturaliter de ipsa agit in corpore, ut sit ejus forma & ipsum moveat ad elementandum, vegetandum, sentiendum, & imaginandum, permanente corpore cum suis connaturalibus supradictis proprietatibus: & ideo anima recipit infectionem à carne, agendo de corpore naturaliter secundùm naturam corporis, quæ natura est diffusa in prædictis potentiis corporis.

XXX. Prosequitur, num. 2. dicens: *Prætereà anima recipit infectionem à carne, dum homo per liberum arbitrium animæ deliberat ad agendum bonum vel malum, honestum vel inhonestum; cùm anima non habeat suum liberum arbitrium perinde* (in exemplari Panormitano dicitur *invicem*) *ad bonum & malum, sed simpliciter ad bonum, sed homo, qui est ex duabus naturis, cum libero arbitrio deliberat ad agendum secundùm appetitum cujuslibet naturæ: unde sequitur quòd anima per accidens sit infecta & remissa in participando cum corpore: sicut castitas, quæ est infecta & remissa in homine casto, qui tentatur à luxuria, & deliberat utrùm velit luxuriari vel non; & sicut anima est mutata, & infecta per liberum arbitrium* (id est, quoad liberum arbitrium) *sic est mutata & infecta per suam voluntatem, intellectum, & memoriam, cum* Text. prop. 7.

quibus homo agit in diligendo inhonestam delectationem corporis , & intelligendo , & recolendo ipsam : Et ideo , Eremita , per prædicta patet quòd anima sit infecta à carne per participationem , & infectio carnis est à primis Parentibus.

XXXI. Ex toto hoc contextu patet , quòd Lullus , ut ostendat animam per participationem infici à carne vitiatâ per peccatum primorum Parentum , exponit *Primò*, differentem habitudinem & ordinationem animæ & corporis per hoc , quòd corpus per suas potentias , præcipuè sensitivam & imaginativam , inclinatur & appetit sensibilia inhonesta , & delectabilia ; anima verò , quia cum libero suo arbitrio suisque potentiis venit pura & munda à Deo , à quo creatur & infunditur , nullam de se & per se dicit habitudinem & ordinationem ad inhonesta sensibilia & delectabilia : Unde , quia unitur cum corpore tamquam ipsius forma , participat cum ipso , utpote ambo sunt partes hominis , & per hoc dupliciter inficitur à corpore , tum quoad motum naturalem , quatenus naturaliter ut forma naturalis movet corpus quoad sensitivam ad naturales motus sensitivæ ; cujus motus ex infectione originalis peccati sunt fœdi ; tum quoad deliberationem , dum homo deliberat an actum malum & inhonestum exerceat , quia anima de se , & per se non ordinatur nec inclinatur ad malum ; quia tamen homo sensualiter motus cum anima deliberat an faciat illud malum , anima ratione corporis , & quia applicatur ab homine , habet illam deliberationem , ad quam per se non ordinatur , utpote per se non inclinatur ad malum.

XXXII. Unde , ut ait , num. 2. per verba notata à laudato Censore , *anima recipit infectionem à carne , dum homo per liberum arbitrium animæ deliberat ad agendum bonum vel malum , honestum vel inhonestum , cùm anima non habeat suum liberum arbitrium perinde ad bonum & malum , sed simpliciter ad bonum :* id est , quia liberum arbitrium de se & per se non ordinatur nec propendet indifferenter ad bonum , & ad malum , sicut sensitiva corporis de se inclinatur & appetit delectabilia & inhonesta , ideo , cùm homo à carne occasionatus utitur libero arbitrio animæ ad illam deliberationem , ad quam anima per liberum arbitrium per se non ordinatur , ipsa tunc inficitur , quia de sua ordinatione naturali non habet sic deliberare , *sed homo , qui est ex duabus naturis* (anima videlicet & corpore) *cum libero arbitrio deliberat ad agendum , secundùm appetitum cujuslibet naturæ ,* id est , vel naturæ corporis , quæ de se inclinatur ad malum , vel naturæ animæ , quæ de se simpliciter ordinatur ad bonum ; & propterea anima sic participans

participans cum corpore sic est *per accidens infecta*, & *remissa* quatenus per talem deliberationem remittitur illa naturalis ejus inclinatio ad bonum: sicut dum homo castus tentatur à luxuria & deliberat, an velit luxuriari vel non, inficitur ejùs castitas, quatenus non venit de ejus natura & inclinatione illa deliberatio, & per hoc castitas remittitur, quatenus vigorosè non movet ad fugiendam luxuriam.

XXXIII. Proinde illa verba: *Cùm anima non habeat suum liberum arbitrium perinde ad bonum & malum, sed simpliciter ad bonum*, tantùm ex contextu significant, quòd anima, vel liberum arbitrium animæ, per se & ex vi creationis non ordinatur & appetit æqualiter bonum & malum, sed simpliciter se habet seu inclinatur ad bonum, quia ad hunc finem unicè est à Deo creata. Hoc idem explicat ipse, quæst. 68. *Utrùm confirmatio, vel obstinatio mutet vel minuat libertatem arbitrii?* Ubi ad solutionem hujus quæstionis sic, num. 1. discurrit: *Raymundus consideravit liberum arbitrium hominis, quia dixit, quod liberum arbitrium sit potentia & instrumentum, per quod homo potest eligere bonum, & vitare malum, & est essentiale animæ, non corpori, sed quia anima conjuncta participat cum corpore, & corpus appetit sentire per sensitivum, sicut comedere, coire, &c. & non habet habitum de se electivum; anima ad honestum, vel in honestum per accidens habet liberum arbitrium, ut ratione naturæ sensitivæ possit appetere inhonestum, comedere, coire, &c. & per inhonestum sentire habet liberum arbitrium ad imaginandum, intelligendum, recolendum, & diligendum vitium.*

XXXIV. Quare per dicta notata verba non intendit Lullus, quòd liberum arbitrium æquè non deserviat homini ad bonum & ad malum, vel quòd ad utrumque non sit homo æquè liber, quia hoc expressè affirmat in verbis subsequentibus, dum dicit: *Sed homo qui est ex duabus naturis* (animâ videlicet & corpore) *cum libero arbitrio deliberat ad agendum secundùm appetitum cujuslibet naturæ*; id est, animæ vel corporis: quod idem tenet in subsequenti contextu ejusdem quæstionis, & in aliis plurimis: Unde in eadem quæstione, num. 5. respondens Eremitæ, ait: *Licèt tua anima non sit de primis Parentibus, tamen est infecta à carne per participationem, & in quantum homo per ipsam deliberat ad agendum inhonestum, diligendo delectabilia corpori, ut prædictum est; verumtamen tua ratio valeret, si homo non esset de essentia animæ* (id est, ex essentia animæ constitutus) *nec cum ipsa ageret inhonestum cum corpore.*

XXXV. Totam superallatam Lulli doctrinam de libero arbitrio, quòd videlicet de se purè se habeat ad bonum, non autem ad malum,

tenet D. Bonaventura, *in Compen. Theolog. Verit.* lib. 2. cap. 30. ubi loquens de anima rationali, dicit: *Eò recta, quo naturaliter appetens est bonitatis;* sed expressiùs in 2. sent. dist. 25. art. 2. q. 3. litt. 1. ubi quæritur: *Utrùm liberum arbitrium secundùm quod liberum, possit in malum?* Et in ejus resolutione dicit: *Alio modo contingit loqui de libero arbitrio secundùm quod reperitur in creatura, & sic est loqui de ipso dupliciter: aut in quantum liberum, aut in quantum deficiens. Si in quantum liberum, sic natum est exire in actum æquitatis susceptibilem, & æquitate informatum: si autem loquamur de ipso in quantum deficiens, sic liberum arbitrium in quantum arbitrium liberum, potest & exit in actum deliberativum, quia deficiens exit in actum deformatum, & ita in malum.* Et ad objectionem 2. num. 51. dicit: *Ad illud, quod objicitur, quòd liberum arbitrium de se eligit malum; dicendum, quod etsi sufficiat ad eligendum malum pro eo quod facilius est deficere, quàm proficere; non tamen ad illud ordinatur principaliter, quoniam hoc non convenit ei secundùm naturæ propriæ complementum, sed potiùs secundùm propriæ naturæ defectum.* Similiter loquitur ipse D. Bonaventura, dist. 44. art. 1. quæst. 1. *Utrùm potentia peccandi sit in nobis à Deo?* Ubi resolvit quòd potentia peccandi secundùm quod potentia est, absque dubio à Deo est: *Si autem loquamur, ait, de ordinabilitate illa* (dictæ potentiæ) *respectu deformitatis, sic, cùm illa deformitas nihil aliud sit quàm privatio & defectus, talis ordinabilitas nihil aliud est quàm defectibilitas, & ideo, sicut defectus deformitatis non est à Deo, sic nec talis defectibilitas est à Deo, sed est in ipsa creatura rationali quia ex nihilo.* Idem docet D. Thomas in 2. dist. 44. quæst. 1. ubi in corpore ait, quòd *potentia voluntatis humanæ est per se ordinata ad bonum;* & concludit, quòd *potentia peccandi, quantum ad id quod potentia est, à Deo est; sed quantum ad defectum, qui implicatur, non est à Deo.*

XXXVI. Eumdem Lulli sensum exponit D. Bernardus, lib. de grat. & libero arbit. cap. 7. num. 27. dicens: « De tribus ergo liber-» tatibus, quas acceperat (Adam) abutendo illâ, quæ dicitur ar-» bitrii, reliquis sese privavit. In eo autem abusus est, quòd illam » cùm accepisset ad gloriam, convertit sibi in contumeliam, juxta » testimonium scripturæ dicentis: *Homo, cùm in honore esset, non* » *intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* » Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob præro-» gativam liberi arbitrii. Datum est autem, non ut proinde peccaret, » sed ut gloriosior appareret, si non peccaret, cùm peccare posset. » Quid namque gloriosius ei esse poterat, quàm si de ipso diceretur

» quod scriptura perhibet, dicens : *Quis est hic, & laudabimus eum ?*
» Unde ita laudandus ? *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quæ? *Qui*
» *potuit transgredi*, inquit, *& non est transgressus, facere mala, &*
» *non fecit.* Hunc ergo honorem quandiu absque peccato fuit, serva-
» vit ; amisit, cùm peccavit. Peccavit autem, quia liberum ei fuit;
» nec aliunde profectò liberum, nisi ex libertate arbitrii, de qua
» utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis,
» sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum
» peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi pec-
» cavit ex posse, quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia
» voluit. Nec enim prævaricante diabolô & Angelis ejus, etiam alii
» prævaricati sunt, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt.
» Peccantis igitur lapsus, non dono adscribendus est potestatis, sed
» vitio voluntatis. »

XXXVII. Expressiùs fortè loquitur D. August. lib. 2. de liber. arbit. cap. 1. num. 3. dicens : « Planè si hæc ita sunt, soluta quæstio
» est, quam proposuisti; si enim homo aliquod bonum est, & non
» posset, nisi, cùm vellet, rectè facere, debuit habere liberam vo-
» luntatem, sine qua rectè facere non posset. *Non enim, quia per illam*
» *etiam peccatur, ad hoc eam Deum dedisse credendum est.* Satis ergo
» causæ est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo rectè non
» potest vivere. *Ad hoc autem datam*, vel hinc intelligi potest, quia
» si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitùs in eum vindicatur:
» *Quod injustè fieret, si non solùm ut rectè viveretur, sed etiam ut pec-*
» *caretur libera esset voluntas data.* Quomodo enim justè vindicaretur
» in eum, qui ad hanc rem usus esset voluntate, ad quam rem data
» est ? Nunc verò Deus, cùm peccantem punit, quid videtur tibi
» aliud dicere, nisi, cur non ad eam rem usus es liberâ voluntate,
» ad quam tibi eam dedi, hoc est ad rectè faciendum ? Deinde illud
» bonum, quô commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis,
» rectèque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero
» arbitrio ? . . . . Debuit igitur Deus dare homini liberam volunta-
» tem. » Cùm itaque Deus liberum arbitrium non dederit animæ ad peccandum, sed ad rectè vivendum, quia anima eò ipsum habet, quo datum est ipsi, ideo non habet liberum arbitrium, æquè ad bonum & ad malum, sed simpliciter ad bonum, licèt ad utrumque possibilitatem habeat.

DISSERTATIO II.

De Propositionibus 8. 9. 10. 11. & 12. ex Quæst. 94. 98. 102. & 133. Lib. Sentent.

§. I.

In Propos. 8. docet Lullus humanitatem in Christo non habere proprium suppositum.

I. OCTAVO loco notat laudatus Censor hunc textum: *Natura humana in Christo per se neque in se suppositum facit, sive hominem, sed de ipsa factus est homo in natura divina, sive in divino supposito, quod in se facit hominem de humana natura.* Quæst. 94. Sent. num. 2.

Censura. *Confusè loquitur de natura humana assumpta à Verbo, ut discerni non possit, an in Christo habuerit propriè suppositum humanum. Nunc videtur sibi contradicere, nunc verò suppositum humanum in Christo ponere.*

II. Tam clara & aperta est Lulli sententia cum Catholica Doctrina, quòd scilicet humanitas Christi non habuerit proprium suppositum, sed unicè suppositum divinæ naturæ, quatenus Filius divinus fuit & est ejus suppositum, ut, præter alios libros, in quibus passim hoc repetit, palpabilis sit hæc veritas in hoc eodem libro sententiarum in fere omnibus quæstionibus, quæ de Christo agunt; nam quæst. 95. num. 1. ait: « Sicut Deus non potuit assumere hominem, » sed humanitatem, ut suppositum non assumeret suppositum, non » assumpsit hominem, ut non essent duo supposita, sed unum, vel » ut suppositum superveniens non esset diminutum; & remissum; » sed assumpsit humanitatem, & in seipso fecit de ipsa, & per ipsam existere hominem: similiter, &c. » Quæst. 96. num. 2. « Item » sicut Deus non assumpsit hominem, sed humanitatem, sic, &c.

III. Præterea quæst. 101. inquirit: *Utrùm hæc propositio sit vera: Deus assumpsit hominem?* Et illam resolvit negativè; unde num. 1. dicit: « Quòd homo sit suppositum constitutum ex anima & corpo» re, per se existens, habens proprietatem & naturam generandi

» alium hominem, & sua essentia est humanitas, & esse suæ & ipsius essentiæ est homo, qui habet naturam generandi, essentia verò non; & ideo Deus assumpsit humanitatem, & non hominem». Et num. 2. « Item Deus Filius est suppositum, & homo est suppositum: Unde, si Deus assumpsisset hominem, de necessitate sequeretur, quòd Christus esset duo supposita, vel unum compositum ex duobus, & sic Christus non esset una Persona, in qua Deus esset homo, & homo esset Deus: & si esset una Persona ex duobus suppositis, Christus non esset Deus nec homo, nec Deus & homo essent Christus, vel in Christo totum esset pars, & pars esset totum; quod est impossibile: & ideo, ut prædicta inconvenientia non sequantur, Deus assumpsit humanam naturam, & non hominem; & de ipsa humana natura se fecit hominem, ut esset unum suppositum ex duabus essentiis & naturis». Arguit Eremita, num. 3. sic: « Deus non potuit completè assumere humanam naturam, nisi assumpsisset animam conjunctam cum corpore, sine quibus homo non potest esse; sed animâ conjunctâ cum corpore in uno indivisibili instanti sequitur homo; & ideo Deus assumpsit hominem, aliàs Deus non potuit assumere humanam naturam, nec se facere hominem». At num. 4. ita respondet Lullus: « Incarnatio non fuit facta simpliciter (solùm & unicè) secundùm divinam naturam, nec secundùm humanam naturam, sed secundùm naturam utriusque, artificialiter: sicut Deus, qui assumpsit animam & corpus, & in seipso homificando se (faciendo se hominem) ex utroque, conjunxit animam cum corpore, & hoc potuit in eodem instanti indivisibili, cùm sit Dominus & Creator illius instantis; sed secundùm naturam creatam verum dicis; & quia Incarnatio non fuit facta secundùm naturam, non debes arguere per naturam; cùm modus faciendi naturalis sit unus, & alius artificialis & supra naturam.

IV. Deinde, quæst. 102. num. 1. dicit: « Quòd in Christo sint duæ naturæ, scilicet divina, & humana, & per Divinam in Christo sit unum suppositum, quod est Deus, & in illo supposito sit factus homo de humana natura, quæ (in exemplari manuscripto, *qui*, sicut in editione Panormitana) est suppositum non distinctum à divino supposito, ut in Christo non sint duo supposita, sed unum, & sic unus Christus, sicut tres Personæ sunt unus Deus; & sicut Pater est Deus, & Filius est Deus, & Sanctus Spiritus est Deus, sic Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est Deus,

„ & Christus est homo, & sic Deus est homo ; & ideo secundùm „ hunc modum numerandi dixit quòd Christus sit duo, scilicet Deus, „ qui est unum suppositum, & homo qui est suppositum ; sed quia „ Deus est homo, & homo est Deus, non fuit ausus dicere, quòd „ Christus sit duo supposita, quia si diceret affirmaret quòd Deus „ in Christo non sit homo, nec homo sit Deus, quod est contra „ Sanctam Catholicam fidem „. Et num. 4. in responsione ad objectionem ait : « Tua ratio esset vera, si Deus assumpsisset hominem, sed supra in proxima quæstione est probatum, quòd non „ assumpserit hominem sed humanam naturam, de qua se fecit hominem in seipso, ut cum ipso sit unum suppositum, & non duo „ supposita ; quod suppositum est duo, scilicet Deus & homo, qui „ sunt illud suppositum „. Et num. 5. « Et quando dicis quòd conveniat, quòd in Christo sint duo supposita, postquam ipse est duo, „ scilicet Deus & homo, non sequitur : cùm homo (in Christo scilicet) in se non sit suppositum, sed de sua humanitate factum est „ suppositum in divino supposito, in quo est sustentatus & factus, „ & in ipso est hoc quod est, & sine ipso non esset hoc quod est, „ nec per se sustentatus ; ratione cujus non potest esse per se simpliciter suppositum ; cùm de natura suppositi sit, quòd sit per se „ subsistens & sustentatum, & quod (per se) sit hoc quod est.

V. Ulteriùs, q. 104. num. 1. ait : « Sicut in divino supposito quod „ est divina Filiatio, est factus homo de humana natura, & sustentatus in supposito, & unitus cum ipso, sic, &c. „. Et infra : « Tamen negavit, quòd in Christo sint duo supposita, sed unum, ut in „ præallegata quæstione (scilicet 102.) probatum est „. Idem, q. 105. num. 1. scribit : « Christus secundùm quod est Deus est individuum, „ sed non duo individua, sed unus Christus, qui est unum individuum & unum esse, quod est Deus & homo : & sicut in individuo, quod est Deus Filius, est homo factus de humana natura, „ sic in individuo, quod est Deus Filius, est individuatum & factum individuum, quod est homo, tali modo quòd sit unum individuum, quod est Christus, & non duo, sed remanent duæ distinctæ essentiæ & naturæ „. Et num. 3. „. respondens ad objectionem Eremitæ, ait : « Sed ut meliùs intelligas, adhuc dico tibi, quòd „ in quolibet homine unum sit *esse* corporis, & aliud sit *esse* animæ, „ & ex utroque esse actu sequitur homo, qui est tertium (*esse*) & „ unum individuum ; & iste est unus modus essendi individui ; sed „ alius modus individui est in Christo, quia in quolibet homine est

" *esse* corporis actu, & *esse* animæ similiter, & unum actualiter ve-
" nit ad aliud, quolibet remanente actu, & constituunt tertium esse...
" sed in Christo fuit assumpta humana natura de Beata Virgine, quæ
" humana natura non erat actu, sed fuit deducta in *esse* in *divino esse*,
" in quo homo habuit esse ex humana natura ". Quæst. 107. num. 2. ait, quòd si Christus assumpsisset potentiam peccandi in Christo *homo esset factus in seipso de sua natura & non in divino supposito*; Et num. 4. loquens de modo, *per quem in divino supposito fuit factus homo*, ait quòd *sicut homo Christus fuit factus homo in divino supposito, & non in seipso, sic suum liberum arbitrium & quidquid pertinet ad rationalem animam, fuit creatum in divino supposito.*

VI. Ex hucusque relatis nedùm constat sensum Lulli esse, quòd in Christo non est proprium humanæ naturæ suppositum, quia unicè divinum suppositum est divinæ & humanæ naturæ suppositum; sed etiam aperitur ratio, cur ita sit, videlicet quia homo in Christo non est factus in seipso, sed in divino supposito, quia divinum suppositum uniendo sibi humanitatem se fecit hominem de ipsa, uniendo sibi corpus & animam, quibus est concretum seu esse, in quo sistunt, & sustentantur: unde, si aliquid subobscurum alicubi legeretur, ex contextu citato deberet intelligi; At neque hoc est necesse, cùm satis clarè loquatur Lullus in ipsa notata quæstione 34. sentent. in qua inquiritur: *Utrùm Deus per unionem aliter existat in assumpta humanitate, quàm in aliis creaturis?* quam resolvit affirmativè, & per tres distinctos modos ostendit diversitatem existendi in humanitate assumpta, ac in aliis creaturis.

VII. Primum modum exponit, num. 1. dicens: *Deus est cum assumpta natura una persona ex duabus naturis, scilicet ex divina, & humana, & Persona quæ est Christus, non est tertium ex ipsis: Unde sequitur quòd Christus Deus sit ipsa Persona, & homo Christus etiam, & Persona Deus sit homo: & Deus per Deitatem, & homo per humanitatem, & una est Deitas, & alia humanitas: & secundùm talem modum existendi non existit cum aliqua creatura; nam si cum aliqua alia creatura ita esset unitus, per illam esset creatura, sicut per humanitatem, quam assumpsit, est homo; imò dico tibi, quòd nullum creatum ens, sic possit esse unitum cum alio, sicut in Christo sunt unitæ duæ naturæ: non in substantia solis, cùm sol sit tertium compositum ex forma & materia, qui non est sua forma, nec materia, nec forma est sol, & sic de sua materia: sed in Christo Deus est homo, & homo est Deus, & Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est homo Deus; & ratio est, quia* Text. prop. 8.

humana natura in Christo nec per se, nec in se, facit suppositum vel hominem, sed de ipsa factus est homo in divina natura, vel in divino supposito, quòd in se facit se hominem de humana natura.

VIII. Nescio, quid clarius dici poterat, ut intelligeretur naturam humanam in Christo non habere proprium suppositum humanum, sed tantum ejus suppositum esse suppositum Divinum; nam *Primò* explicat Lullus quòd Deus est cum assumptâ naturâ una Persona ex duabus naturis, & quòd hæc Persona est Deus; deinde quòd Persona, quæ est Christus, non est tertium ex ipsis naturis, id est, non est sicut compositum ex forma & materia, quod est tertium ex forma & materia, quia eadem Persona est Deus, & homo, & Deus per *humanitatem, quam assumpsit, est homo, & homo est Deus, & Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est homo Deus*: hæc autem omnia non possent verificari, si humana natura haberet proprium suppositum. *Tertiò*, maximè quia horum omnium explicat rationem, scilicet *quia humana natura in Christo nec per se, nec in se, facit suppositum, vel hominem;* & ideo non habet proprium suppositum, quia suppositum proprium humanæ naturæ est illud, quod ex humana natura fit in se, & per se, ita ut in ipso sistat, & sustentetur ipsa, & in ipsa natura per se fit, & existit.

IX. Unde postquam per prædicta verba adeo expressè negat Lullus proprium suppositum in humana natura, non illud, sibi contradicens, adstruit, ut opponit laudatus Censor, per immediatè subsequentia verba, videlicet: *sed de ipsa factus est homo in divina natura, vel in divino supposito, quod in se facit se hominem de humana natura*: imò per hæc verba magis confirmat prædicta; nam si divinum suppositum in se facit hominem de humana natura, suppositum humanæ naturæ, quod est homo, non est proprium humanæ naturæ suppositum; sed suppositum divinum, quod de humana natura se facit hominem, & sic se facit suppositum humanæ naturæ; quia verò de humana natura in se, & per se, non fit homo, sed tantùm fit homo de ipsa in divino supposito, vel tantùm divinum suppositum in se fit homo de ipsa, ideo ipsa non habet proprium suppositum, quoniam proprium naturæ humanæ suppositum est illud naturæ concretum, quod per se fit in natura, ita ut illud concretum in se sustentetur & in se subsistat, in eoque sistat ultimatè naturæ tendentia: in Christo autem, homo, qui fit de humana natura, est divinum suppositum, quod de humana natura, quam sibi unit, se facit hominem, & ita humana natura tantùm sistit in divino supposito, non in proprio.

X. Nec

X. Nec ille loquendi modus, quô utitur Lullus, videlicet quòd *humana natura in Christo nec per se nec in se facit suppositum vel hominem, sed de ipsa factus est homo in divina natura, vel in divino supposito, quod in se facit se hominem de humana natura:* est absonus, & à modo loquendi Patrum, & Doctorum deviat, imò exponit, *Primò*, fundamentalem rationem, cur non est in Christo proprium humanum suppositum, ac proinde distinctum à divino supposito, & *Secundò*, quare in Christo Deus est homo, & homo est Deus, & Christus est Deus & homo; nam, ut explicat Lullus in locis adductis, num. 4. & 5. per hoc in aliis hominibus est proprium humanæ naturæ suppositum, quia ex corpore & anima unitis secundùm suum esse in actu, resultat & fit unum esse & tertium seu concretum substantivum, quod est homo, & hoc est quia ex ipsis seu ex humana natura per se resultat, & fit in ipsamet natura, id est, in ipsomet naturali ipsius ordine: & illud concretum seu homo in se sistit & sustentatur; at in Christo non fuit sic, quia corpus fuit formatum in divino supposito, & anima in ipso creata, & ex ipsis non fuit factus homo in se, & per se, id est in proprio connaturali ordine, sed fuit factus homo in divino supposito, seu divinum suppositum fuit homo ex anima & corpore, & propterea Deus est ille homo ex anima & corpore constitutus, & ille homo est Deus, & Christus est Deus homo.

XI. Hoc necesse fuit ita fieri, ut evitaretur hæresis Nestorii, qui supponebat ex anima & corpore Christi factum fuisse hominem ex humana natura per se, & secundùm ejus naturalem ordinem, illumque hominem in se factum & existentem fuisse assumptum à Dei Verbo, & propterea duplicem asserebat Personam, & negabat eumdem esse illum hominem, ac Deum, prout, si ita fuisset facta Incarnatio, legitimè discurrebat, sed quia, ut constat ex Doctrinis Lulli supra adductis, corpus Christi fuit formatum in supposito divino, in eoque fuit creata anima, & ex ipsis fuit factus homo, non in seipsis, & per se, seu in suo naturali ordine, sed in divino supposito, quod sic se fecit hominem ex ipsis, ideo ille homo sic factus fuit divinum suppositum, non humanum, seu proprium naturæ humanæ; & ita ille homo fuit filius divinus, & filius divinus & Christus, fuit ille homo Deus

XII. Præterea modus loquendi Lulli non deviat à Patribus & Doctoribus, nam Damascenus, lib. 3. de fid. cap. 12. ait: *sed ipse substantialiter & verè homo factus, id est, in sua hypostasi animatam carnem rationabili & intelligente animâ sustentans, & ipse factus illi est*

hypostasis. Ferrandus, *Epist. ad Severum* (apud Petavium, tom. 4. lib. 2. de Incarn. cap. 1. num. 7.) scribit.: *non enim hominem formatum, neque conceptum, neque vitâ suâ quâdam, vel in Matris utero, vivere jam incipientem, Deus assumpsit, sed omnino antequam Maria aliquid conciperet, Deus assumpsit ex ea, quam habere voluit Matrem, nostri generis veram carnem: ex ipsa assumptione conceptus, & natus.* Et D. Epiphanius (apud Petavium, ibid. num. 9.) explicans quid sit *Verbum assumpsisse perfectum hominem*, dicit, hoc idem esse, *ac in seipsum formavit, assumendo propriam humanitatem.*

XIII. Ad explicationem Personæ, quæ ex relatis Lulli verbis colligitur, collimat illa Personæ descriptio, quam Petavius, ibid. cap. 12. n. 2. ex Leontio exponit, videlicet quòd sit *individua substantia per semetipsam existens, & propriâ terminatione circumscripta*; atque ita, cùm sic non fuerit homo factus in Christo, sed in Filio, non fuit proprium humanæ naturæ suppositum, & propterea non fuit homo in se & per se factus in Christo, sed in Verbo, quod se fecit hominem, ut pluribus videri potest apud Petavium, lib. 4. de Incarn. cap. 11, 12, & pluribus aliis; & lib. 10. cap. 1. num. 2. Rusticus Diaconus ita scribit: *Ob hoc eam* (humanitatem) *creavit, non ut sua, sed ut ejus esset, & super semetipso eam fundavit, tanquam super basim quamdam vel fundamentum, ut vera dicam: ut per eam perficeret propositam suæ immensæ largitati pulcherrimam dispensationem. Igitur non omnis individua natura persona est, sed illa omnis, quæ non ad hoc creatur, ut alteri inseparabiliter unita permaneat.* Præterea ipse Petavius, lib. 3. de Incarn. cap. 13. à num. 1. explicans illam Theologorum, præcipuè Græcorum, Sententiam, scilicet *Verbi hypostasim assumptæ humanitati fuisse vel esse factam hypostasim*, exponit ly *hypostasis* non esse nomen abstractum, sed *concretum potius esse, ac naturam ipsam exprimere completam, per seque subsistentem.*

§. II.

Ex contextu Quæstionis in Prop. 9. notatæ clarè dignoscitur, nihil esse in ea suspectum vel confusum.

XIV. Hæc ad 9. propositionem scribit laudatus Censor: *Quæst. 98. Sentent. cùm Deus sit infinitus, & homo finitus, quæritur: utrùm ex essentia & natura utriusque possit esse una Persona?*

Censura: *In hac quæstione omnia sunt suspecta, & confusa.*

XV. Non puto difficultatem huic Censori subesse circa titulum hujus quæstionis, communiter enim & à Patribus agitur, quomodo ex natura infinita, & finita fieri potuit Incarnatio, ita ut ex utraque natura esset una tantùm Persona; atque ita censura unicè cadit supra textum hujus quæstionis; in quo ad ejus solutionem sic num 1. discurrit Lullus: » Raymundus consideravit, quomodo ex pluribus » rebus fiat unum, sicut ex pluribus elementis unum elementatum; » & ex piro inserta in pomerio una arbor; & ex elementativo, vegetativo, sensitivo, imaginativo, & rationativo unus homo; & ex forma » & materia una substantia; & ex duabus præmissis & unâ conclusione » unus syllogismus; & sic de similibus; & in omnibus istis factis, » quodlibet remanet distinctum ab alio, sicut in elementato quodlibet elementum est distinctum ab alio per essentiam & naturam: » & ideo postquam hæc omnia naturaliter possunt fieri per naturalem finitam potestatem, quid mirum? Si Deus cum sua infinita » potestate, & supra naturalem cursum, sibi potest unire essentiam » & naturam humanam finitam, & cum ipsa existere una Persona, » ita tamen quòd in ipsa Persona Deitas & humanitas remaneant » distinctæ, aliàs posset fieri major unio per finitam potestatem, » quàm per infinitam, quod est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd affirmativa quæstionis sit vera. Text pr. 9.

XVI. Quid, quæso, in hoc discursu est confusum, & suspectum? Nonne ferè omnes agentes de Incarnatione inquirunt sub quânam unitate, vel quônam unionis genere contineatur Incarnatio, & unitas in Christo? Quot modis & exemplis illam explicant Patres, desumptis ex unionibus rerum creatarum? Sanè apud Petavium, lib. 3. de Incarnat. cap. 1. num. 7. à Patribus tum Latinis tum Græcis unio Divinæ & humanæ naturæ in Christo his terminis exprimitur, nempe *unio*, *unitio*, *adunatio*, *consertio*, *sociatio*, *concordia*, *fœdus*, *fœderatio*, *confœderatio*, *consibulatio*, *connexio*, *contextio*, *concretio*, *conventio*, *mistio*, *commistio*, *mistura*, *coaptatio*, *conversio*, *conjugatio*: quæ omnes ex similitudine rerum creatarum desumuntur. Etiam D. Bonaventura in 3. dist. 6. part. 2. quest. 1. D. agit de variis unionibus, quæ ad unitatem terminantur, & quartô locô eam, quâ unâ arbor inseritur stipiti alterius, & subjungit; *hôc tamen quartô unionis genere habet uniri natura Divina humanæ*; & non admittit modum, quô elementa uniuntur, nec quô anima & corpus conjunguntur; alii verò dicunt Incarnationem esse ad modum, quô anima unitur corpori: unde variis modis, prout possunt, exemplificant Incarnationem. At in hoc

texu Lullus, nec ad exemplum, præfatas uniones addücit, sed tantùm eas exponit, & arguens à minori ad majus, dicit, quòd si possunt esse prænarratæ uniones, ex quibus fit unum, multò magis Deus cum sua infinita potestate, & supra cursum naturalem, potest sibi unire humanam naturam.

XVII. Deinde, num. 2. ita discurrit Lullus: « Item, cùm Divina » potestas sit bonitas, magnitudo, æternitas, &c., plus spectat ad ipsam agere de majori bonitate quàm de minori, & sic de majori » magnitudine, duratione, &c. Ergo concluditur quòd, si Deus de » minoribus rebus potest unire prædicta entia, multò magis de majoribus possit unire unum ens majus ». Non video quid sit reprehensibile in hoc discursu; certum est enim, quòd potestas divina est sua bonitas, magnitudo, &c.: ex quo benè deducitur, quòd ad ipsam plùs spectat agere de majori bonitate, quàm de minori; unde, arguendo à minori ad majus, si Deus ex prænarratis num. 1. potest facere unum, multò magis ex majoribus rebus, quales sunt Divina natura & humana, potest facere, seu unire unum ens majus, nempè Christum.

XVIII. Postea, num. 3. ita discurrit: « præterea convenit, quòd » omne id Deo sit possibile, per quod Deus & homo magis possunt concordare, & invicem participare; & ex quo (id est, etiam » est Deo possibile id ex quo) major & nobilior finis potest sequi » toto creato universo; aliàs Deus plùs posset per minoritatem, » quàm per majoritatem, & per parvitatem, quàm per magnitudinem, quod est impossibile; & quia major & nobilior concordantia, & participatio, quæ potest esse inter Deum, & suum effectum; » & etiam major finis totius universi, potest esse per unionem divinæ & humanæ naturæ: ergo ex essentia & natura divina & humana » potest esse una Persona ». Nescio quid in hoc discursu possit notari, nec video repugnantiam in aliqua propositione.

XIX. Tandem, num. 4. sic objicit Eremita: « unio elementorum » in elementato, & sic de aliis (id est, de aliis unionibus supra narratis) non potest fieri nisi per compositionem, & quòd ex ipsis » fiat unum, scilicet elementatum, quod transeat in tertium numerum, sicut lapis, vel arbor, &c.; qui lapis non est ignis, nec ignis » lapis, & sic de aliis: unde, cùm Deus, qui est infinitum ens, non » possit intrare in compositionem cum finito, nec ex ipso, & homine » possit fieri tertius numerus, qui non esset Deus, nec homo, nec » è conversò: ergo concluditur, quod ex infinita & finita essentia, &

» natura non possit esse una Persona. Præterea humana natura non » potest sufficere ad esse hominis sine humano corpore, nec humanum corpus potuit assumi ex muliere sine forma ipsius corporis, » quæ forma fuit anima mulieris; & quia Deus non potuit assumere » animam mulieris, nec per consequens ejus materiam, quæ est » corpus; ideò non potuit fieri unio ex humana & divina natura ».

XX. Ad hanc objectionem respondet Lullus, num. 5. sic: « Non » dico, quòd divina & humana natura possint facere unum per modum compositionis, sed per modum *deificationis*, *& homificationis*: » Sicut Filius Dei, qui est deificabilis, & deificatus (id est, Deus » producibilis, & productus Deus) à Deo Patre, & in sua deificabilitate, hoc est in seipso, potest deificare humanitatem, quæ est » homificabilis (id est, ex qua potest fieri homo) in divina natura, » antequam sit homo; in qua deificabilitate factus est homo Deus » Filius ex humana natura; & quia Deus Filius est simplicitas, licèt » se faciat hominem, non tamen se potest facere compositum quoad » divinam naturam, sed facit se compositum in quantum se facit hominem, qui homo est compositus ex corpore & anima; & ideo » tua ratio non valet, cùm unus modus sit facere unum de rebus finitis, & alius de essentia & natura finita & infinita. »

XXI. In hoc textu puto subesse difficultatem laudati Censoris ob illas voces, *deificationis* & *homificationis*, quæ tamen noviter formantur ad vividiùs explicandum, quòd Deus factus est homo, & homo factus est Deus; & quidem *Primò*, suppono nullum esse scrupulum in eo quòd Lullus neget in Christo compositionem, licèt plurimi illam admittant, nam, ut notat Mastrius in 3. Sent. disp. 1. de Incarn. q. 2. art. 1. num. 47. hæc quæstio est de solo nomine, & in eo sensu quô negatur à Lullo compositio, videlicet quô ex mutua componentium dependentia fit unum tertium ex ipsis, quod non est unum, nec aliud; ab omnibus negatur compositio in Christo ex natura divina & humana, quamvis ipse, ut adstruit Lullus, sit qua homo compositus ex anima & corpore. *Secundò*, quoad scrupulum quem ingerere potest illa propositio hujus textûs, scilicet: *Sicut Filius Dei, qui est deificabilis & deificatus à Deo Patre*: quâ Lullus ex suo modo loquendi, & ex proprietate verborum nihil aliud significat, nisi quòd Filius est producibilis, & productus in Deitate à Deo Patre, vel quod est producibilis Deus, & est productus Deus à Deo Patre: videri possunt, quæ diximus, Tom. 2. cap. 2. & hîc, dist. 1. dissert. 1. Nam sicut in productione ad intra, juxta illud Joan. 10. 36. *Quem Pater sancti-*

stituit, Patrem sanctificare Filium est idem ac illum producere sanctum; ita Patrem deificare Filium est idem ac illum producere Deum; atque ita, sicut Pater est deificativus Filii, & ipsum deificans, ita Filius, quia est productus Deus à Patre, est deificabilis, & deificatus à Patre.

XXII. Ad intelligentiam itaque relati textûs notandum est, quòd sicut in productione ad intra Filius dicitur deificari, ita licèt non eôdem modô, in ea operatione Dei ad extra, quâ creaturæ quid quodammodo divinum tribuitur, juxta illud Psalm. 81. 6. *Ego dixi dii estis*, dicitur creatura deificari; & præcipuè in Incarnatione, dum producitur homo Deus, dicitur homo deificari, ut ostenditur à Petavio, lib. 4. de Incarn. cap. 9. à n. 1. quia tunc fit homo Deus. Similiter homificare est hominem producere, vel producere illum, qui est homo: atque ita, dum in Incarnatione vel in Christo, ponitur deificatio, & homificatio, *deificatio* nihil est aliud, quàm operatio vel unio, quâ homo fit Deus; & homificatio nihil est aliud quàm operatio, vel unio quâ Deus fit homo; & hoc juxta sensum illius catholici asserti: *Deus homo factus est*, & juxta aliud: *homo factus est Deus*, quod, licèt absolutè non admittatur ab omnibus, passivè tamen admittitur, id est, licèt homo in Christo non se fecit Deum, Deus tamen fecit ut ille homo esset Deus, vel Deus fecit illum hominem Deum, ut apud Petavium citatum exponunt multi Patres.

XXIII. Itaque Lulli sensus in relato textu est, quòd in Christo *divina & humana natura non possunt facere unum per modum compositionis, sed per modum deificationis & homificationis*, id est, per modum, quo sic unitur humana natura divinæ in uno supposito, quòd vi illius unionis homo est & fit Deus, & Deus est & fit homo: quod quidem non habetur in rigorosa compositione, quia in ipsa ex componentibus fit unum tertium, quod neutrum est ex illis; in hac verò unione, ita humanitas unitur Deo, quòd vi ejusdem Deus est homo, & homo est Deus, ut repetit Lullus in his quæstionibus, & constat ex relatis supra à num. 2. Hoc autem ita fit, quia *Filius Dei, qui est deificabilis, & deificatus à Deo Patre*, modô dictô, *in sua deificabilitate, hoc est in seipso potest deificare humanitatem*, id est, sibi ipsi uniendo humanitatem, se potest facere hominem, qui homo est Deus; quæ quidem humanitas *est homificabilis in divina natura, antequam sit homo*, quia videlicet antequam in illa humanitate resultet homo, qui est suppositum, unita ipsa divinæ naturæ in Filio, ex ipsa Deus fit homo, & sic ipsa est *homificabilis*, id est, ex ipsa fit

homo, *in divina natura*, prout in Filio; & hoc est, quia in sua deificabilitate, id est, in seipso, vel in sua proprietate, *Deus Filius factus est homo ex humana natura.* Dicitur autem quòd *Filius in sua deificabilitate potest deificare humanitatem*, ut denotetur peculiaris congruitas Filii, qui est genitus, ad incarnationem, prout omnes exponunt; dum verò dicitur: *sicut Filius Dei, qui est deificabilis, &c.* ly *sicut* non denotat similitudinem nec proportionem, sed tantùm modum & explicationem deificationis; & homificationis, quam ante exposuerat, prout phrasis est Lulli utendi ly *sicut* ad consequentes explicationes.

XXIV. Quod autem in prædicto textu per *deificationem, & homificationem* aliud non intendat Lullus, quàm per unionem divinæ naturæ & humanæ in Christo Deum esse hominem, & hominem Deum, ad differentiam aliarum unionum præjactarum, patet ex verbis, quæ subjungit immediatè, ad solutionem objectionis, num. 19. relatæ; sic enim scribit: « A simili (id est, similiter) respondeo tibi ad hoc, » quod dicis, scilicet quòd id, quod factum est ex pluribus rebus, » transeat in tertium numerum, verum dicis, quando factum est de- » finitis rebus; sed Persona, quæ est divina & humana natura (id » est, Deus & homo, sumptô abstractô pro concreto, prout plures » loquuntur Patres) non habet partes quantùm ad deitatem, sed » quantùm ad humanitatem: sed Filius Dei sic transit in tertium nu- » merum per humanitatem, in quantum se facit hominem, qui homo » est tertius numerus ex corpore & anima, sicut transit in humani- » tatem faciendo se hominem (id est, de novo fit tertius numerus » dum fit homo, sicut de novo fit habens humanitatem faciendo se » hominem) & ideo ipsa Persona non transit in tertium numerum, » *cùm ipse sit Deus & homo*, quia ipsa, scilicet Persona Filii Dei » ante Incarnationem erat Deus; & quia Deus se fecit hominem, » Persona, quæ est Deus, est homo; & ita tua ratio non procedit. »

XXV. Hanc eamdem differentiam unionis divinæ & humanæ naturæ in Christo ab aliis unionibus, per hoc quòd ex illa Deus est homo, & homo est Deus, ac consequenter, quòd hoc tantùm intenderit Lullus per notata verba; explicat ipse in aliis quæstionibus, ut quæst. 94. quæst. 101. quæst. 102. & 106. & totum fundatur in hac veritate, quòd Deus factus est homo, & homo Deus; hujusmodi autem veritatem per idem verbum *deificare & deitare* explicant plures Patres apud Petavium, lib. 4. de Incarnat. cap. 9. ubi hoc expressè tractat; unde Gregor. Nazian. in Epist. ad Cledonium, num.

4. ait : *Hæc enim ambo unum commistione, Deo quidem inhumanato,* (quod est idem ac homificato) *homine verò deitato, vel quomodolibet quis nominet.* Et in Jambico contra Apollinarem : *sic quod Deum fecit, deificatumque est, unus Deus.* D. Damasc. lib. 3. de Fide, cap. 12. *Ipsum Verbum caro factum est, conceptum quidem ex Virgine, progrediens verò Deus cum assumpta natura, jam & ipsâ ab illo deificata simulatque esse cœpit : adeo ut tria simul ista fuerint, assumptio, existentia, & deificatio illius à Verbo.* Euthymius, in Panoplia, part. 1. tit. 7. inter sententias quasdam collectas ex variis Patribus, unam habet, quæ de mutua naturarum communicatione agens, quamdam appellat *æqualem, sed dissimilem; ut in Deo inhumanato, & in homine deificato, quamvis enim tantùm deificatus sit assumptus homo, quantùm inhumanatus est qui assumpsit Deus (siquidem in corpore, & anima, & mente tam inhumanatio facta est, quàm deificatio) dissimili tamen id ratione contingit.* Andræas Cretensis, *de Annuntiatione Mariæ*, p. 13. *Ejus, quod assumptum est, deificationem vocat.* Athanasius Orat. 4. *Nisi divinitatis Verbi opera per corpus effecta essent, numquam homo deificatus esset.* Cyrillus, Thesau. lib. 20. Christum ait dici gratiam à Patre accepisse, *deificato templo, quod assumpsit;* imò D. Damasc. lib. 4. de Fide, cap. 19. Incarnationem appellat *deificationem & verbificationem*, quatenus natura est à Verbo assumpta. D. Bonav. in 3. dist. 2. p. 1. q. 2. ut ostendat in humana natura majorem congruitatem ad assumptionem, quàm in Angelica, sic scribit : *Tertia ratio est propter multiplicem hominis compositionem; quia enim homo compositus est ex natura corporali & spirituali, & quodammodo communicat cum omni creatura, sicut dicit Gregorius; hinc est, quòd cùm humana natura assumitur, & deificatur, quodammodo omnis natura in ea exaltatur, cùm in suo simili deitati unitur.*

XXVI. Tandem Lullus in hac quæstione, ad solutionem secundæ partis objectionis adductæ, num. 19. ita respondet : « Et quando » dicis, quòd incarnatio non possit fieri, cùm humanum corpus non » possit esse sine forma & materia, & quòd Deus ex Beata Virgine » non potuerit assumere formam, sed materiam, cùm materia sit tota » denudata à corporali forma, & subsistat spirituali formæ, quæ ipsam informat, ut sit corpus : si tua opinio esset vera, verum diceres, sicut plures dicunt, quòd in homine non sit nisi una forma, » & illa sit rationalis anima; sed talis opinio non est vera, ut significatur in 89. quæstione, in qua probatum est quòd sensitiva in homine sit à generante; & ideo Deus potuit assumere naturam cor-

» poris

„ poris materialiter & formaliter, cum ipsum sit de materia & de „ propria forma corporali: quæ forma sic est mota à rationali anima „ ad informandam materiam corporis, sicut sensitiva ad movendum „ vegetativam ad vegetandum, & sicut vegetativa ad movendum ele- „ mentativam ad elementandum, cum specifica forma corporis ho- „ minis sit ex prædictis.

XXVII. In hac solutione notandum est objectionem, quam solvit, stare in hoc, quòd substantia ex B. Virgine tracta, ex qua debuit formari corpus Christi, est corpus, & quia corpus est ex materia, & forma; & in B. Virgine non erat alia forma, quàm anima rationalis, hæc erat forma illius substantiæ corporeæ, de qua debuit formari corpus Christi; & quia Deus non potuit assumere animam mulieris, non potuit assumere illam substantiam corpoream ex B. Virgine: ad hoc autem respondet Lullus, quòd in B. Virgine, præter animam rationalem sunt aliæ formæ, scilicet sensitiva & vegetativa, & quòd specifica forma corporis humani est ex dictis formis; atque ita illa substantia corporalis sumpta de B. Virgine, ex qua formatum fuit Christi corpus, erat formata ex propria materia & forma corporali, & ita, quin Deus assumeret animam mulieris, potuit assumere ex B. Virgine substantiam corpoream formatam propriâ formâ. Totum hoc fundatur in sententia Lulli, quòd forma vegetativa, & sensitiva in homine sunt genitæ cum substantia elementativa, quæ est earum materia, & ex hac materia elementali informata formâ vegetativâ & sensitivâ, est corpus hominis compositum, quod cum prædictis formis subjicitur animæ rationali, quæ tanquam forma superior movet sensitivam ad sentiendum, & vegetativam ad vegetandum. Qualiter autem sensitiva in homine sit forma genita explicabitur infra, Dist. 3. Differt. 1. à num. 31. ad Proposit. 11.

§. III.

In Proposit. 10. tantùm dicit Lullus, quòd Christus secundùm modum numerandi est duo; non autem quòd absolutè sit duo, vel quòd sit duo supposita.

XXVIII. Pro hac decima propositione hæc verba notantur: *Et ideo secundùm hunc modum numerandi dicitur, quòd Christus est duo, scilicet Deus, qui est unum suppositum, & homo, qui est suppositum.* Quæst. 102. sentent. num. 1.

Censura : *Quamvis Lullus in quæstione illa videatur negare duo supposita in Christo, habet tamen verba prædicta.*

XXIX. Sanè nedùm in hac quæstione, sed ferè in omnibus aliis de Incarnatione negat Lullus esse in Christo duo supposita, nam q. 94. num. 1. dicit quòd *Deus est cum assumpta natura una Persona ex duabus naturis*; quæst. 95. num. 1. quòd *Deus non potuit assumere hominem, sed humanitatem, ut suppositum non assumeret suppositum*; & quòd *non assumpsit hominem, ut non essent duo supposita, sed unum*; q. 98. n. 1. quòd *Deus sibi potest unire essentiam & naturam humanam finitam, & cum ipsa existere una Persona*; & num. 2. quòd *ex essentia & natura divina & humana, potest esse una Persona*; & num. 4. *Persona quæ est Deus, est homo*; quæst. 99. num. 5. in fine dicit: *Quæ* (Deitas, & humanitas) *sunt unum suppositum*; quæst. 101. num. 2. ait: *Deus Filius est suppositum, & homo est suppositum: unde, si Deus assumpsisset hominem, de necessitate sequeretur, quòd Christus esset duo supposita, vel unum compositum ex duobus, & sic Christus non esset una Persona, in qua Deus esset homo, & homo esset Deus*; & tandem concludit, quòd *Deus assumpsit humanam naturam, & non hominem, & de ipsa humana natura se fecit hominem, ut esset unum suppositum ex duabus essentiis & naturis.*

XXX. Idem expressè, & determinatè fatetur in notata quæstione 102. ubi inquirit: *Utrùm hæc propositio sit vera Christus est duo?* Ex cujus contextu sole meridianò clariùs apparet, nihil esse notâ dignum in relatis ejus verbis; nam ibi, num. 1. ad solutionem quæstionis, consideratò numerò in Divinis, ita quòd ibi sint tria supposita, & non sint tres Dii, sed unus Deus. *Assumpsit* (Raymundus) *de illo numero similitudinem, quam potuit, & per illam respondit ad quæstionem dicens, quòd in Christo sint duæ naturæ, scilicet divina, & humana, & per divinam in Christo sit unum suppositum, quod est Deus, & in illo supposito sit factus homo de humana natura, quæ* (qui) *est suppositum non distinctum à Divino supposito, ut in Christo non sint duo supposita, sed unum, & sic unus Christus, sicut tres Personæ sunt unus Deus; & sicut Pater est Deus, & Filius est Deus, & Sanctus Spiritus est Deus, sic Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est Deus, & Christus est homo, & sic Deus est homo; & ideo, secundùm hunc modum numerandi, dixit, quòd Christus sit duo, scilicet Deus, qui est unum suppositum, & homo, qui est suppositum; sed quia Deus est homo, & homo est Deus, non fuit ausus dicere, quòd Christus sit duo supposita, quia si diceret, affirmaret, quòd Deus in Christo non sit homo,*

Text. prop. 10.

nec homo sit Deus, quod est contra Sanctam Catholicam Fidem : & ideo dixit Raymundus, quòd sit distinguendum, tenendo per unum modum affirmativam, & per alium modum negativam, ut superius significatum est.

XXXI. Quid quæso clarius dici poterat, nedùm ut videretur Lullus, prout exprimit laudatus Censor, negare in Christo duo supposita, sed etiam ut evidentissimè cognosceretur hunc esse ejus intimum sensum, & mentem ? Nedùm expressè negat in præsenti quæstione esse in Christo duo supposita, sed etiam hujus negationis diffinitivam profert rationem : quomodo ergo potest notari illa clausula : *secundùm hunc modum numerandi dicitur quòd Christus est duo, scilicet Deus, qui est unum suppositum, & homo qui est suppositum :* ac si Lullus per eam prætendat duo in Christo supposita ? Nemo dubitare potest quòd Deus in Christo est suppositum, neque quòd homo in Christo est suppositum, neque etiam quod idem Christus est Deus, & homo, neque tandem, quòd Deus, & homo aliquô modô sunt duo : atque ita quicumque asserat Deum, & hominem in Christo esse unum tantùm suppositum, & sic Christum *aliquô modô* esse duo, scilicet Deum, qui est suppositum, & hominem, qui est suppositum : nullatenus intelligetur asserere Christum esse duo supposita, sed Christum, qui est unum suppositum, aliquô modô esse duo, hoc est suppositum duarum naturarum.

XXXII. Prætereà, dum Lullus dicit : *secundùm hunc modum numerandi*, &c. restringit illam propositionem : *Christus est duo*, ut non intelligatur absolutè, sed restrictè ad illum modum numerandi ; ille autem modus numerandi immediatè anteà exponitur, dum ibi dicitur : *& sic unus Christus, sicut tres Personæ sunt unus Deus, & sicut Pater est Deus, & Filius est Deus, & Sanctus Spiritus est Deus, sic Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est Deus, & Christus est homo, & sic Deus est homo ; & ideo secundùm hunc modum numerandi, &c.* Unde, cùm hic modus numerandi, restringatur ad hoc quod Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est Deus & homo, ita quòd in Christo sint duæ naturæ, ut ante prædixit, & unum tantùm suppositum, planum est quòd dum dicit, quòd *secundùm hunc modum numerandi Christus est duo*, non possunt intelligi duo supposita, vel duo absolutè, sed restrictè, quoad naturas quas supra explicuit esse duas in uno Christo, id est, *Christus est duo quoad naturas, vel est duo unita.* Sed meliùs dici potest, quòd illa propositio : *Christus est duo*, restringitur secundùm modum numerandi, qui est : *Deus est Christus, Homo est Chris-*

tus, *Christus est Deus*, *Christus est Homo*, *& Deus est Homo*, & sic est duo ex modo numerandi, & non ex parte rei numeratæ, quia supponitur Christum tantùm esse unum, & ideo tantùm intelligitur, quòd *Christus est duo ex parte modi numerandi.* Nec obstat quòd explicans quid sint illa duo adjiciat, *scilicet Deus qui est unum suppositum*, *& Homo qui est suppositum*, quia hæc verissima sunt, & adhuc abstracta à contextu, & per se considerata, non indicant distincta supposita, maximè autem hoc apparet ex contextu præcipuè subsequenti, ubi immediatè subnectit: *sed quia Deus est Homo*, *& Homo est Deus*, *non fuit ausus dicere*, *quòd Christus sit duo supposita*, *quia*, *&c.* & in conclusione resolvit, quòd sub distinctione est resolvenda præfata quæstio, affirmativè tenendo Christum esse *duo* ex modo numerandi, & negativè quoad supposita.

XXXIII. Neque obstat, quod ex comparatione, quam instruit in textu, videtur dicere, quòd sicut in Deitate tres Personæ sunt unus Deus, ita illa duo, nempè Deus, & homo, sunt unus Christus: atque ita sicut ille numerus in Deo est numerus Personarum, ita iste numerus in Christo erit Personarum; non inquam obstat, quia expressè protestatur non esse totalem similitudinem, sed tantùm ea, quæ potest esse; *assumpsit*, inquit, *similitudinem quam potuit*; in textu autem exponit similitudinem, & differentiam ex parte extremorum comparatorum, videlicet, quòd in Deitate sunt tres Personæ & una natura; in Christo autem duæ naturæ, & una Persona, seu unum suppositum, ut ampliùs explicat, num. 4., ubi respondens ad objectionem Eremitæ, dicit, in Christo non esse duo supposita, quia, quæst. 101. probavit de Deo, *quòd non assumpsit hominem*, *sed humanam naturam*, *de qua se fecit hominem in seipso*, *ut cùm ipso sit unum suppositum*, *& non duo supposita*, *quod suppositum est duo*, *scilicet Deus*, *& homo*, *qui sunt illud suppositum*; & num. 5. similiter loquitur dicens: *& quando dicis*, *quòd conveniat quòd in Christo sint duo supposita*, *postquam ipse est duo*, *scilicet Deus*, *& homo*, *non sequitur*, *cùm homo in se non sit suppositum*, *sed de sua humanitate factum est suppositum in Divino supposito*, *in quo est sustentatus*, *& factus*, *& in ipso est hoc*, *quod est*, *& sine ipso non esset hoc quod est*, *nec per se sustentatus*; *ratione cujus non potest esse per se simpliciter suppositum*, *cùm de natura suppositi sit quod sit per se subsistens*, *& sustentatum*, *& quod* (per se) *sit hoc quod est.*

XXXIV. Similem loquendi modum, ac Lullus, tenent aliqui. Sic apud Euthymium, in Panopl. tit. 7. (ut scribit Petavius, lib. 4. de

Incarn. cap. 4., num. 6.) à quodam ex antiquis Patribus habetur ſcriptum: *Cùm igitur duo in Chriſto dicimus, non eum aſſerimus eſſe numerò duo, ſed unum quidem numerò, propter unitatem hypoſtaſis, duo verò ſpecie, hoc eſt naturâ.* Pariformiter apud eumdem Petavium, lib. 3. de Incarn. cap. 12. à, num. 8. plures Patres dicunt Chriſtum eſſe duplicem, ut Athanaſius ab Euthymio citatus: *Duplex naturis eſt Chriſtus, & hypoſtaſi ſingularis*; Cyril. Hyeroſol. Catech. 4. ait; *Duplex erat Chriſtus: homo quidem, id quod apparebat; Deus autem quòd non apparebat;* & Antiochus Ptolemaidis Epiſcopus, ita Chriſtum compellat: *Domine Fili David, duplex & ſimplex, duo, & unum. D. Bernardus, ſerm. 3. in vigil. Nativit. Domini: Verbum & anima, & caro in unam convenere Perſonam, & hæc tria unum, & hoc unum triâ, nòn confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ.* Tandem à pleriſque Patribus aſſeritur quòd *Chriſtus eſt duæ naturæ*, ut obſervat Bernal. de *Incarnatione*, Diſp. 14. ſect. 3., & ipſe cum Vaſquez, & aliis prædictam admittit propoſitionem, & ſic poterit benè dici quòd *Chriſtus eſt duo, quoad naturas*, prout videtur prætendere Lullus in notato textu, non autem abſolutè *Chriſtus eſt duo.*

§. IV.

Rectè & conformiter ad plurimorum Theologorum Sententiam loquitur Lullus de indulgentiis in propoſitione 11.

XXXV. Undecimô locô ſic ſcribit laudatus Cenſor: » *Quæſt. 133. utrùm Indulgentiæ tantùm valeant; quantùm ſonant?*

Cenſura: *Multa loquitur Lullus ineptè de Indulgentiis in hac quæſtione.*

XXXVI. Cùm in hac Cenſura non determinetur aliqua propoſitio, erit per clauſulas exponendus integer textus, & diſcutiendus, præcipuè ubi videbitur ſuboriri poſſe difficultatem. Itaque Lullus ad ſolutionem hujus quæſtionis, num. 1. ſic diſcurrit: « In pipere » eſt ignis in quarto gradu caliditatis, terra in tertio ſiccitatis, aër » in ſecundo humiditatis, aqua in primo frigiditatis; & in pipere » unus gradus caloris intenſus valet quatuor gradus extenſos in » numero, & in ſeipſis intentos; ſed de uno gradu aquæ nòn eſt » ſic, cùm una frigiditas intenſa non valeat niſi unum gradum » aquæ intenſum, ſed valet quatuor gradus caliditatis ignis extenſos » in numero; cùm ſit dilatata, & diffuſa per omnes; non valet ta- Text. prop. 11.

» mam ipsas intensivè ; & idem est suô modô de tertio gradu, & se-
» cundo : à simili de indulgentia, quæ est instrumentum datum à
» Prælato, qui habet claves ad alleviandum pœnas Purgatorii, &
» ipsa indulgentia habet plures gradus, secundùm magis, & minus,
» sicut una quæ habet decem dies, alia viginti, alia triginta, &
» alia quadraginta, &c. »

XXXVII. In hoc textu, prætermissâ philosophicâ Doctrinâ, quæ tantùm ponitur ut exemplum, nihil in reliquo videtur notâ dignum. Indulgentia autem dicitur *instrumentum*, quia, hoc generaliter sumitur pro quocumque, cum quo aliquid efficitur vel habetur, & quia cum indulgentiis alleviantur vel tandem tolluntur pœnæ Purgatorii, ideo dicitur instrumentum. Dum verò dicitur quòd indulgentia *datur ad alleviandum pœnas Purgatorii*, non prætenditur eam tantùm valere pro defunctis & non pro vivis, sed, quia pœna temporalis debita pro peccatis, nisi solvatur in hac vita, debet sustineri in Purgatorio, ideo, pœna Purgatorii dicitur alleviari per indulgentiam, quia quantùm alicui fuerit remissa pœna per indulgentiam in hac vita, tantò minùs sufferre debet in Purgatorio ; & hoc clarè constat ex num. 3. ubi ait : *Dixit Raymundus : narratur quod quidam miles dixerit, suppositô quod moreretur sine peccato mortali, quòd ipse faceret tantas eleemosynas ad acquirendum indulgentias, quòd nunquam intraret in Purgotorium, &c.* ; Ac proindè pro hac vita valent indulgentiæ, ita ut, si quis totam pœnam per indulgentias adæquaret, non intraret in Purgatorium ; & ita alleviant pœnas Purgatorii, quatenus quò plures lucrantur indulgentiæ, eò minùs sufferendum restat in Purgatorio. Dicitur indulgentia dari à Prælato, qui habet claves, quia ipsi tantùm jure ordinariô competit illas conferre ex potestate clavium.

XXXVIII. Post relata verba, num. 36. & assignatô variô indulgentiarum gradû, videlicet decem, viginti, &c. dies, subnectit Lullus immediatè : « Et quilibet gradus est verus & intensus quoad
» dantem, & non simpliciter quoad recipientem, in aliquibus tamen
» sic : sicut unus homo, qui non habet nisi unum gradum actûs
» charitatis, & pro uno denario illi datur indulgentia quadraginta
» dierum, & ille gradus (charitatis) valet (id est, correspondet,
» & proportionatur) quadraginta dies extensivè, non tamen inten-
» sivè (id est, remissè & debiliter proportionatur, non autem intensè & efficaciter, juxta comparationem datam de gradibus elementorum) respectû alterius hominis, cui data est indulgentia

„ quadraginta dierum pro uno obolo, datò cum uno actu charitatis
„ in quarto gradu, qui intensivè & extensivè valet quadraginta dies;
„ & ideo, Eremita, respectû recipientis indulgentiam, ipsa indul-
„ gentia valet tantum, quantum sonat, intensivè, & extensivè ut
„ supra significatum est.

XXXIX. Patet ex hoc textu sensus Lulli esse quòd indulgentia lucratur proportionatè ad charitatem illius, cui conceditur, & qui impositam eleemosinam largitur, ita ut plùs lucratur & intensiùs eidem proficit, qui dat unum obolum de eleemosina pro indulgentia quadraginta dierum cum actu charitatis in quarto gradu, quàm qui dat denarium, qui est plùs quàm obolus, pro simili indulgentia cum actu charitatis in uno tantum gradu. Dicitur autem, quòd ille unus gradus charitatis valet extensivè quadraginta dies indulgentiæ, quatenus remissè & debiliter proportionatur illis quadraginta diebus, sicut, ut præmonuit in principio, in mixto calido in quarto gradu, unus gradus frigiditatis tantùm remissè proportionatur quarto gradui caloris: ac proinde Lulli resolutio est, quòd indulgentia tantùm valet, quantùm sonat in eo, qui existit in gratia, & operâ præscripta peragit, proportionatè ad charitatem, quâ exequitur opera præscripta, videlicet, si est in actu remisso charitatis, V. G. in gradu primo, remissè lucratur indulgentiam concessam; si verò est in gradu intenso charitatis, intensè eam lucratur.

XL. Hoc ipsum pleniùs patet ex objectionis solutione, nam, num. 2. ita objicit Eremita: *Quòcumque modo indulgentia sit recepta, convenit quòd tantùm valeat quantùm sonat, ut maneat vera, perfecta, & integra à parte dantis & à parte recipientis, sicut etiam Sacramentum Altaris, quod est ita verum, & perfectum si conficiatur ab injusto Præsbytero, sicut à justo; & hoc est ratione characteris recepti ab ambobus: aliàs si indulgentia non valeret tantùm in recipiente quantùm sonat intensivè, indulgentia posset corrumpi & diminui à parte recipientis, & per consequens character Sacramenti in injusto Præsbytero, quod est impossibile: Ergo indulgentia valet tantùm intensivè quantùm sonat, sive accipiatur cum primo gradu actûs charitatis, sive cum quarto, & sic de secundo & tertio.*

XLI. Ad hoc respondet Lullus, num. 3. dicens: „ Narratur quòd
„ quidam miles dixerit, suppositô quòd moreretur sine peccato mor-
„ tali quòd ipse faceret tantas eleemosynas ad acquirendum indul-
„ gentias, quòd nunquam intraret in Purgatorium; & fuit ei res-
„ ponsum quòd Sancta Sophia habebat plùs meriti per ædificationem

„ Ecclesiæ Constantinopolitanæ in dando quôlibet die denarium her-
„ bæ bobus, qui portabant lapides, quàm imperator, qui ædificavit
„ & perfecit totam Ecclesiam. „ Hôc exemplô docet Lullus quòd, sicut ad lucrum meriti non tantùm est attendenda magnitudo operis, quod peragitur, quantùm charitas & devotio, quâ perficitur: ita ad lucrum indulgentiæ: Unde, num. 4. sic continuat: « Item dico tibi,
„ quòd sicut unus homo cum charitate (habituali) æquali (quoad
„ essentiam) charitati alterius hominis plùs posset acquirere de præ-
„ mio, quàm alius, suppositô quòd magis agat de ipsa, (id est,
„ dummodo majores & ferventiores actus eliciat) sic à simili cum
„ æqualibus indulgentiis in essentia unus homo posset acquirere plùs
„ remedii in Purgatorio, quàm alius, remanente qualibet indulgen-
„ tia æquali alteri per essentiam (id est, quoad suum esse determi-
„ natum à Pontifice concedente) non per actus secundarios (id est,
„ per actus, quorum executione intenditur lucrari; nam cùm isti
„ sint inæqualis valoris & meriti, secundùm ipsos est inæqualis in-
„ dulgentiam quoad lucrantem) per quos (actus secundarios) essen-
„ tiæ indulgentiarum non corrumpuntur (id est, non redduntur
„ omninò infructuosæ) nisi eveniat mortale peccatum (quia hôc
„ admissô nulli prodest indulgentia) ideo, Eremita, mea verba sunt
„ vera, ratione magnitudinis divinæ justitiæ, & suæ bonitatis, po-
„ testatis, virtutis Dei, & tua verba non sunt vera, imò contradi-
„ cis magnitudini divinæ justitiæ, &c. „

XLII. Tota hæc Lulli doctrina ad præfatum collimat scopum; videlicet quòd indulgentia quoad suum esse semper est eadem in essentia; quia tamen peragentes opera præscripta ad ipsius lucrum, non sunt in æquali gradu charitatis, ideo, licèt omnes lucrentur ipsam, non tamen æqualiter ipsis prodest, quia intensiùs proficit habenti intensiorem charitatem: sicut cum eodem & æquali habitu charitatis quoad essentiam plùs meretur, qui ferventiores elicit actus, quàm qui languidos & remissos: undè Indulgentia quoad essentiam eadem est respectivè ad peragentes opera præscripta; & quia solùm peccatum mortale, vel defectus gratiæ habitualis, ipsam reddit infructuosam, solùm ipsum illam corrumpit quoad ipsum peccatorem, non autem actus, quos cum gratia elicit, licèt sint languidi & remissi, quia sunt actus secundarii, à quibus non pendet essentia indulgentiæ, quæ propterea non æquè valet uni, ac alteri, quia unus ob intensum actum charitatis, intensè eam lucratur, alius verò, ob remissionem charitatis, extensè solùm & remissè ipsam consequitur.

XLIII. Hæc planè Lulli doctrina de inæquali lucro indulgentiæ pro inæquali actu charitatis, ad quam reducitur totus hujus quæstionis contextus, si non ab omnibus, à plerisque tamen Doctoribus catholicis profitetur, ut videri potest apud Amort, tract. de Indulgentiis, part. 2. sect. 3. ubi variæ adducuntur Theologorum sententiæ de indulgentiis, ex quibus pauca adducam; ibi enim, num. 8. Sanctus Raymun. de Pennafort scribit: *Sciendum est autem quòd majoritas* & *minoritas remissionis pœnitentiæ attenditur secundùm tria, scilicet secundùm majorem & minorem devotionem ipsius pœnitentis*, &c. num. 11. Sanctus Bonavent. in 4. dist. 20. p. 2. q. 6. ait: *Concedo igitur quòd indulgentiæ quantum ex parte dantis, tantum valent quantum promittunt, sicut ostendunt primæ rationes: concedo nihilominùs, quòd cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus, sed secundùm existimationem ejus, quam habuit vel habere debuit, qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere; quia omnes Fideles debent illud in corde præsupponere, quòd dona, & miserationes Sancti Spiritûs donentur cum æquo libramine; nec hoc debet aliquem ab his retrahere, quia semper plùs valent, si homo sit in charitate, quàm valeat obsequium, vel aliud aliquid pro quo indulgentia conceditur & donatur;* num. 13. Innocentius V. seu Petrus de Tarantasio in 4. sent. dist. 20. q. 3. art. 3. postquam dixit, quòd valent indulgentiæ in se quantum sonant; & hoc quomodo sit explicuit, subjungit: *Quia verò actus activorum non sunt nisi in patiente disposito, ideo non valent indulgentiæ omnibus æqualiter, sed secundùm quod sunt magis vel minùs dispositi per meritum redemptionis pœnæ, non adeptionis vitæ. Unde sicut* 40. *dies pœnitentiæ plùs valent uni perficienti eam cum majori fervore & labore, quam alteri, qui cum minori: ita dico quòd* 40. *dies indulgentiæ plùs valent illi, qui se magis ad eam disponit, majori scilicet fervore, & labore, seu afflictione, seu dati quantitate*, &c.

XLIV. Etiam ibi, num. 3. Richardus de Media Villa, in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 3. quæst. 2. dicit: *Dicendum quòd ad remissionem extensionis pœnæ pares sunt ille, qui minus dat, & ille qui plus. Sed quantum ad remissionem intensionis pœnæ; & quantum ad sui dispositionem ad recipiendum augmentum gratiæ, impares sunt. Nec propter hoc sequitur quòd tantum remittatur uni de pœnitentia, quantum alii, quia pœnitentia unius anni in hac vita non tantum valet illi, qui eam facit ex minori charitatis fervore, & remissam, sicut illi qui eam facit ex majori, & asperam.* Videantur ibidem alii, qui majori fervori & charitati attribuunt majus indulgentiæ Lucrum ut Raynerius, Petrus de Palu-

de, Bartholom. Pisanus, Joannes Nider, & plurimi alii, inter quos Christianus Lupus qui, Dissert. de Indulgentiis hanc ex Gelasio II. adducit regulam: *Quilibet indulgen tiæ fructum percipit juxta modum suæ pœnitentiæ ac meritorum;* & Cardinalis Denoff. ibid. ex Bonif. VIII. in Bulla pro Jubilæo hæc adducit verba: *unusquisque tamen plùs merebitur, & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs & devotiùs frequentabit;* & ex Innocent. IV. Quòd quisque indulgentiam lucrabitur, *juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum.* Quare ipse Amort, ibid. sect. 4. hanc ponit Thesim. *Frustra sperant sibi multùm pro futuras indulgentias, qui, ut congruè pro suis peccatis satisfaciant, seriò non allaborant*: quam diffusè probat, sicut & in Theol. Eccles. tom. 3. tract. de pœnitentia, disp. 7. de indulgentiis, & §. 188. Solvens objec. 4. ait, sat multos esse Theologos, *qui docuerunt tantum quemlibet de indulgentia recipere, quantum secundùm fervorem suæ devotionis, laboris difficultatem, studium bonorum operum & satisfactionis coram oculis divinis dignus est:* eosque, num. 71. citat, productis eorum verbis.

§. V.


Docet Lullus in Prop. 12. Humanitatem in Christo per se, id est, ex connaturali virtute, non facere hominem Deum.

XLV. Duodecimò locò notatur hæc propositio: *Humanitas in Christo non dat esse humanum, hoc est non facit hominem.* Hanc propositionem non explicat hic Censor ex qua extraxerit quæstione, præsentis Libri Sentent. De illa agemus latiùs infra, dist. 4. differt. 1. prout tamen spectat ad Librum Sentent. videtur desumpta ex quæst. 94. ubi num. 1. reddens Lullus rationem, cur in Christo Deus est homo, & homo est Deus, & Christus est homo Deus, ita scribit: *Et ratio est, quia humana natura in Christo nec per se, nec in se facit suppositum vel hominem, sed de ipsa factus est homo in divina natura, vel in divino supposito, quod in se facit se hominem de humana natura.* At, ut apertum est, in hoc textu non negat Lullus quòd humanitas det esse humanum, neque absolutè negat quòd faciat hominem, sed limitatè, nempe per se nec in se.

XLVI. Imò in eodem textu paulò ante relata verba expresè fatetur humanitatem dare esse humanum, cùm scribat Christum per humanitatem esse hominem, nam ibi ait: *Deus est cum assumpta natura*

una persona ex duabus naturis, scilicet ex divina, & humana; & Persona, quæ est Christus, non est tertium ex ipsis: Unde sequitur quòd Christus Deus sit ipsa Persona, & homo Christus etiam, & Persona Deus sit homo: est Deus per Deitatem, & homo per humanitatem, & una est Deitas, & alia humanitas; & secundùm talem modum existendi Deus non existit cum aliqua creatura, nam, si cum aliqua alia creatura ita esset unitus, per illam esset creatura, sicut per humanitatem, quam assumpsit, est homo. Cùm ergo adeo expressè doceat Lullus quòd Christus est homo per humanitatem, sicut est Deus per Deitatem, & quòd Deus per humanitatem sibi unitam est homo, apertè fatetur quòd humanitas dat esse humanum; idem enim est dare esse humanum, ac esse naturam seu rationem, per quam est homo.

XLVII. Hôc non obstante, dicit Lullus ibidem, quòd humanitas vel humana Christi natura *per se* non facit hominem, *nec in se*, quia, licèt humanitas sit essentia & natura, ex qua fit & est homo, ita ut Christus per ipsam est homo, cùm tamen in suo proprio naturali ordine & in connaturali ejus termino, seu supposito, non fiat homo ex ipsa, sed tantùm in divino supposito, ideo ipsa per se non facit hominem nec in se, quia per se non facit aliquid, cùm non sit per se & independenter, sed divinum suppositum illam sibi unit, & de ipsa se facit hominem; & quia ille homo, qui ex ipsa fit, est Deus, & quòd homo sit Deus non continetur in naturali humanitatis virtute; ideo ipsa per se non facit illum hominem, sed de ipsa divinum suppositum fit ille homo, ac consequenter illa humanitas *in se* non facit hominem, quia homo, qui fit ex ipsa, fit in divino supposito, & non in ordine proprio & connaturali humanitatis; quia si fieret homo in ipso humanitatis proprio ordine, fieret suppositum homo in seipso, & non in Deo, & homo esset aliud suppositum à Deo, quod repugnat in Christo; quare, cùm in hoc omnes conveniant, nihil adstruit ibi Lullus, quod communi doctrinæ non cohæreat.



DISTINCTIO III.

De tertia Classe Censurarum adversùs Librum Quæstionum super Magistrum Sententiarum.

DISSERTATIO I.

De Propositionibus à prima usque ad decimam, ex Prologo & Quæst. 1, 3, 12.

§. I.

De sua Arte, non de hujus Libri Doctrina, dicit Lullus eam se habuisse à Deo; & quia in neutra est ullus error, immeritò Censurâ notatur.

I. CUM Propositiones ab hoc tertio Censore notatæ sint pleræque eædem, ac notatæ à primo & secundo, quæ jam sunt discussæ; ideo hujus Censoris propositionem 2. & 3. remittimus ad dist. 1. differt. 1. ad Textum primum, & secundum; sicut & quartam, & octavam ad differt. 2. & ad Textum primum & septimum. Similiter propositio nona hujus Censoris est eadem ac quinta Censoris secundi, quæ explicata manet supra dist. 2. differt. 1. §. 2. à num. 9. Tandem decima propositio est eadem ac decima-octava primi Censoris, quæ discussa fuit supra dist. 1. differt. 7. §. 5. à n. 39. & magis diffusè, tom. 2. cap. 42. ad Artic. 60. Eymerici, qui est idem ac utraque propositio ab ambobus notata Censoribus.

II. Ex dictis pariter constat quid dicendum sit ad primam propositionem, quam ita exponit laudatus Censor: *Raymundus multùm doluit, & super hoc potissimè, quòd ipse per artem generalem, quam sibi Dominus Deus pro sæculi hujus tenebris illustrandis contulerat, rem Christi Ecclesiæ publicam promovere nondum potuit, ut sperabat.* In Prologo Sententiarum.

Censura: *Propositio est temeraria, scandalosa, & periculosa in Fide,*

quia ait quòd hæc doctrina fuit à Deo Lullo revelata, cùm falsa, & erronea, & hæretica sit, respectivè quoad multa.

III. De hac materia egimus, tom. 2. cap. 42. ad artic. 100. Eymerici; & sanè hic Censor animadversione Eymerici præventus, etiam non distinguit, sicut ille, inter artem Lulli, ejusque doctrinam. Ars Lulli est ejus discurrendi methodus, principia regulasque complectens, prout Tom. 2. citato, cap. 42. explicuimus, sed adhuc diffusius Tom. 1. dist. 1. à dissert. 1. Doctrina autem Lulli, sunt conclusiones seu deductiones, quas in omni scientiarum genere ex sua generali methodo deducit, prout inter libros Theologicos in hoc libro sentent. doctrinam Theologicam exponit; nullibi tamen fatetur Lullus suam doctrinam, seu deductiones ex arte generali, quas exponit, fuisse sibi revelatam, imò fatetur se laborasse in hujusmodi conclusionum investigatione, ac errare potuisse sæpè fatetur; & propterea sua omnia correctioni Ecclesiæ submittit.

IV. Unde solùm de sua arte generali dicit sibi à Deo fuisse revelatum; qualiter autem & quomodo hoc sit intelligendum dictô, tom. 2. cap. 42. manet explicatum, & ipse indicat in hoc eodem textu notatô, nam in prologo hujus libri juxta Moguntinam editionem ita præfatur: *Raymundus Parisiis studens & considerans perversum statum hujus mundi multùm doluit, & potissimè super hoc, quòd ipse per artem generalem, quam Dominus Deus illi dederat pro illustrandis tenebris hujus mundi, rem publicam Ecclesiæ Christi nondùm potuerit promovere, ut obstabat.* Posteà narrat quomodo cuidam Eremitæ obviaverit, qui in libro Magistri Sentent. quasdam difficiles quæstiones observabat, nec solvere sciebat; & quia ad hujus verba Lullus tacitus & considerabundus persistebat, percontatus ab Eremita in quo cogitabat, respondit: *Cogito dequadam arte generali, quam Deus mihi ostendit in quodam monte, cum qua libenter ad honorem Dei & tuam pacem tentabo solvere tuas quæstiones.* Text. prop. 1.

V. Sanè ex relatis Lulli expressionibus tantùm erui potest, ipsum fateri suam artem generalem esse quoddam Dei donum eidem collatum, sicut omnes intellectuales notitiæ dici possunt esse Dei dona, cùm non ab alio, nisi à Deo, habeantur, quin indicetur specialis & supernaturalis revelatio in dictis verbis, licèt alibi, ut dictô locô explicuimus, indicet fuisse donum supernum; quod qualiter fuerit ibidem discussimus: solùm autem hîc notare oportet, Lullum non jactanter & in seipso confidentem ea verba expressisse, sed humiliter & solo Dei fretus auxilio præsumpsisse quæstiones Theologicas sol-

vere : unde, cùm Eremita eum rogasset, *ut videas secundùm tuam artem, an de ipsis mihi posses ostendere necessariam veritatem*, num. 4. ita eidem respondit Lullus : *Ad honorem Dei, & ex debito charitatis, quæ nobis omnibus est necessaria ad salutem, cupio tibi in hac parte obedire, & juxta meum posse cum auxilio Dei per prædictam artem inquirere veritatem de supradictis quæstionibus.* Posteà requisitus ab Eremita enumerat suæ artis principia, & subjungit : *Per ista octodecim principia generalia miscendo unum principium cum alio, & recipiendo significationem illius mixtionis ad propositum, sicut in illa arte penitus traditur, invenitur veritas quæ quæritur.*

VI. Mirum sanè est quòd, cùm Lullus adeo apertè distinguat inter suam artem ejusque methodum, ac deductionem seu doctrinam, quæ ex ipsa deducitur, utrumque tamen hic Autor confuderit; nec calumniandus est Lullus ex eo, quòd ex dicta arte sub ejusdem methodo præsumpserit Theologicas solvere quæstiones, sicut neque alius quivis est dignus notâ, qui prout variæ sunt adinventæ discurrendi methodi, juxta quam profitetur in Theologia discurrat : Unde, cùm de arte sua expressè dicat, eam habuisse à Deo contradistinctè à doctrina, licèt in ista essent aliqui errores, dum non sint in illa, prout de facto non sunt, immeritò Censura infligitur, ex equivocatione supponendo ipsum dixisse se hanc præsentis libri doctrinam habuisse à Deo, cùm hoc non dicat, sed tantùm de sua arte, ex qua doctrinam deducit.

VII. Nec ipsa hujus libri doctrina ullo scatet errore, prout supponit laudatus Censor; nulla est enim propositio notata, quæ inspecto sensû obvio juxta contextum ejusdem libri, non sit vera ac catholica, quamvis aliqua à contextu avulsa posset in malam partem deflecti; sicut etiam possunt taliter deflecti multæ Patrum assertiones à contextu separatæ; quia tamen rectus censendi modus est sensum ex contextu indagare, nullatenus est Censurâ digna doctrina Lulliana; quamvis autem aliquid duriusculum dixisset, deberet in bonam accipi partem, cùm ubique se verum Catholicum profiteatur, & neutiquam intendat ab Ecclesiæ sensu declinare, ideoque sua scripta eidem submittit, & signanter hujus libri doctrinam, ut in eodem notato Prologo sic, num. 6. profitetur : *Illa quæ in hoc libro propono dicere, volo quòd sint & intelligantur in omnibus, salvâ veritate, reverentiâ, & honore sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus correctioni hæc & omnia alia mea dicta submitto.*

§. II.

Nullum fit in Prop. 5. Verbum de actu beatifico Dei, sed tantùm creaturæ; atque ita ille non constituitur in creatura.

VIII. Propositionem 5. exponit laudatus Censor per hæc verba: *Nisi esset in prædicto gradu fruitio, scilicet perfecta, ut docet fides, nec Deus quiescere posset cum suis rationibus in effectu suo, nec effectus in Deo.* Quæst. 3. Sentent. num. 1.

Censura: *Propositio est erronea, quia constituit actum beatificum Dei, qui est Dei essentia, in creatura.*

IX. In notata quæst. 3. hujus libri Sent. inquirit Lullus: *Utrùm frui sit actus potentiæ appetitivæ, vel cognoscitivæ?* Ad cujus solutionem, num. 1. ita præmittit: *Antequam Raymundus respondisset ad hanc quæstionem secundùm principia suæ artis, consideravit fruitionem, quæ est in Patria, & invenit, quòd illa fruitio sit ille terminus, qui est in altiori & nobiliori gradu magnitudinis, bonitatis, æternitatis, potestatis, &c. qui possit esse inter Deum, & Beatos, & hòc convenit esse, ut sequatur ille finis, quare Deus creavit universum, aliàs non esset in prædicto gradu; nec Deus posset quiescere cum suis rationibus in suo effectu, nec effectus in Deo, nec in suis attributis, quod est impossibile: Unde cùm Raymundus sic consideravisset, dixit, quòd Deus sit summè intelligibilis & amabilis cum summa magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis, &c. Unde sequitur, quòd secundùm hæc antecedentia sequatur ista consequentia, scilicet quòd frui sit actus potentiæ appetitivæ, & cognoscitivæ, sic ad invicem proportionati, dispositi, & ordinati secundùm summam amabilitatem, & intelligibilitatem; & sic Raymundus dixit quòd frui æqualiter sit actus potentiæ appetitivæ, & cognoscitivæ Beatorum. Frui est etiam æqualiter actus divinarum dignitatum, qui coadjuvat fruitionem potentiæ appetitivæ, & cognoscitivæ, influendo, attrahendo, & perficiendo actus earum, & sic frui dicit plùs quàm actus potentiarum, ratione cujus potentiæ attingunt finem intra, & extra, mediante fruitione.* Text pr. 5.

X. Profectò ex titulo quæstionis, allato textu, & toto ejusdem quæstionis decursu, est manifestum, Lullum unicè loqui de fruitione creaturæ rationalis, seu de ejus actu beatifico, nullumque esse verbum, adhuc incidenter, de actu beatifico Dei, ac proinde æquivocationem fuit passus laudatus Censor putans hîc agi de actu beatifico Dei, & à Lullo constitui in creatura. Dicit sanè Lullus fruitionem

esse illum terminum creaturæ rationalis, qui est in altiori & nobiliori gradu bonitatis, magnitudinis, &c., qui possit esse inter Deum, & beatos, quia agitur de fruitione Dei, quâ perficitur creatura rationalis, & sic debet esse in majori bonitate, magnitudine, &c.; & quia hic actus habet pro objecto ipsum Deum, est inter Deum & Beatos, ac proindè, est in altiori gradu bonitatis, magnitudinis, &c., qui possit esse inter Deum & Beatos; quia, si non esset in prædicto gradu, nec Deus posset quiescere cum suis rationibus in suo effectu, id est creaturâ rationali, quatenus ipsi non conferret majus & nobilius complementum; nec effectus, id est creatura rationalis, in Deo nec in suis attributis, quatenus creatura rationalis non assequeretur Deum, nec Deo frueretur majori & nobiliori fruitione, & sic illam adhuc appetendo, non quiesceret in Deo nec in ejus attributis.

XI. Proinde dum dicit Lullus, quòd nisi fruitio esset in altiori gradu bonitatis, magnitudinis, &c., nec Deus posset quiescere cum suis rationibus in suo effectu, nec effectus in Deo, nec in suis attributis; per *quiescere Deum in suo effectu* non intelligit actum Dei beatificum, vel Dei quietem suo actuî beatifico annexam, sed quietem illam extrinsecam, quam habet in creatura rationali beata; Deus enim per illam fruitionem, eam complet & perficit summâ perfectione, cujus ipsa est capax, ad differentiam perfectionis, quam eidem confert, dum est in via, & propterea in ea Deus tunc quiescit, quia summam perfectionem, cujus est capax, eidem confert. Præterea in gloria, sicut creatura rationalis unitur Deo, ita Deus unitur creaturæ; ita ut ultra non proficiat, & sic in ea Deus quiescit, quia in ea permanet, & permanenter in ea beatificè moratur, ita quòd illam evexit ad summum suæ perfectionis gradum: unde in fruitione, creatura quiescit in Deo ejusque perfectionibus ut in suo objecto beatifico, Deus verè quiescit in creatura, non quidem ut in objecto beatitudinis, sed ut in subjecto, quod beatificat.

XII. Hoc patet in eodem textu, ubi ait Lullus: *Frui est etiam* (est quidem, non formaliter, sed connotativè & præsuppositivè) *æqualiter actus divinarum dignitatum, qui coadjuvat fruitionem potentiæ appetitivæ & cognoscitivæ, influendo, attrahendo, & perficiendo actus earum.* Hîc dicit fruitionem esse actum divinarum dignitatum, id est esse effectivè ab actu divinarum dignitatum, vel præsupponere ipsum actum, quatenus Deus cum suis dignitatibus influit, attrahit & perficit actum intellectûs & voluntatis: quô actu fruitionis positô, quiescit

quiescit creatura rationalis in Deo tamquam in objecto beatifico, quia, ut explicat Lullus in dicta quæstione 3. numero 2. summa intelligibilitas se communicat intelligibilitati intellectûs beati; & sicut pulchrum, verum, & bonum objectum excitat potentiam ut ab ipsa sit apprehensum, sic supremum objectum excitat & coadjuvat, & etiam movet intellectivitatem intellectûs, ut ab ipso sit intellectum sine aliquo medio extraneo, & sic dicit Lullus quòd effectus quiescit in Deo tamquam in objecto beatifico, Deus autem dicitur quiescere in suo effectu tamquam in subjecto beatitudinis, seu in subjecto quod ipse Deus beatificat, non autem tamquam in objecto divinæ beatitudinis, atque ita nullum est fundamentum attribuendi Lullo, quòd constituat actum beatificum Dei in creatura.

XIII. Patet itaque nullum esse scrupuli locum in sensu Lulli quoad prædictum textum notatum, imò neque in phrasi & modo loquendi, quatenus modum, quô Deus se habet in fruitione, quâ creatura ipsô fruitur, explicat per hoc quòd Deus *quiescat* in creatura; hæc enim phrasis conformis est scripturæ, in qua illa habitudo, quâ Deus in via se habet ad animam per gratiam sibi unitam, explicatur per mansionem, ut Joannis 6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo*, & 14. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* & 15. 4. *manete in me, & ego in vobis.* Sanè hujusmodi habitudo, quæ est in via, non est nisi signum ejus, quæ futura est in Patria: sicut etiam per quietem, & requiem Dei explicatur inhabitatio Dei in anima fideli & sanctâ, & præcipuè in beata, juxta illud Eccl. 24. *In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor ::::: & qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* Conformiter ad hoc D. August., lib. 13. Confess. cap. 37. ait: « Etiam tunc (in Sabbato vitæ æternæ) enim sic requiesces » in nobis, quemadmodum nunc operaris in nobis; & ita erit illa » requies tua per nos, quemadmodum sunt ista opera tua per nos ». Et lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 16. super illud Gen: *Et requievit die septimô*, sic, num. 27. scribit: « Illud quoque attendendum est, » quod Dei requiem, quâ de seipso Beatus est, nobis insinuari oportebat, ut intelligamus quomodo dicatur requiescere in nobis; » quod non dicitur, nisi cum in se requiem præstat & nobis ».

§. III.

Ex contextu in Prop. 6. passio in Deo intelligitur esse productio passiva.

XIV. Hæc est sexta propositio notata: *Spiritus Sanctus habet duas passiones, unam à Patre, aliam à Filio, sicut Pater habet duas actiones, ac Filius unam actionem, & unam passionem.* Quæst. 12. sent. num. 3.

Censura: *Propositio est impropria, & periculosa in fide, quia in divinis non potest sumi nomen passionis.*

XV. Quia Eymericus eamdem quæstionem notavit, de hac supra egimus, tom. 2. cap. 9. ad artic. 20 & 21., ad quod remittimus pro pleniori intelligentia; cùm autem hic Censor exponat, quâ ratione Censuram inurit, aliqua sunt breviter adducenda; & quidem passionem aliquô modô Deo attribui, non quidem in sensu philosophico, sed grammaticali, sicut etiam de actione, docet D. Thomas, 1. p. quæst. 41. art. 1. ubi ad 2. ita discurrit: » Ad cujus evidentiam attendendum est, quòd primò conjicere potuimus originem alicujus ab alio ex motu, quòd enim aliqua res à sua dispositione removeretur per motum, manifestum fuit hoc ab aliqua causa accidere; & ideo *actio secundùm primam nominis impositionem importat originem motûs*, sicut enim motus, prout est enim in mobili ab aliquo, dicitur passio, ita origo ipsius motûs, secundùm quod incipit ab alio & terminatur in id quod movetur, vocatur actio: remotô igitur motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis secundùm quod à causa aliqua, vel principio, procedit id quod est à principio: Unde, cùm in divinis non sit motus, actio Personalis producentis Personam nihil aliud est, quàm habitudo principii ad Personam, quæ est à principio, quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones, quia, cum de Divinis & intelligibilibus rebus loqui non possimus, nisi secundùm modum rerum sensibilium, à quibus cognitionem accipimus, & in quibus actiones & passiones, in quantum motum implicant, aliud sunt à relationibus, quæ ex actionibus & passionibus consequuntur, oportuit seorsùm significari habitudines Personarum per modum actûs, &c. Et ad 3. sic scribit: » Dicendum quòd actio secundùm quòd importat originem motûs infert ex se passionem, sic autem non ponitur actio in Divinis Personis: Unde non ponuntur ibi passiones, *nisi grammaticè loquendo*, quantum ad modum

» significandi, sicut Patri attribuimus generare, & Filio generari.

XVI. Itaque, juxta Divum Thomam, actio & passio, remotô defectu, Deo attribuuntur, non quidem in sensu philosophico, sed in sensu grammaticali, prout actio dicit producere, & passio, produci, & disculpanda est Doctorum locutio eisdem terminis utens, cùm à creaturis sensibilibus sumatur modus loquendi de rebus intelligibilibus, dummodo sanum sensum prætendat, & defectum, qui actionem & passionem in creatura comitatur, Deo non attribuat. Hoc autem expressè cavet Lullus passim, sed expressè in eodem Lib. Sent. nam. quæst. 8. docet productionem in Deo esse sine defectibus, qui sunt in productione creata, & sine ullo accidente. Quæst. 11. objicit Eremita; sic num. 2. « Item si Deus non est in genere, non » est in relatione, nec de genere actionis & passionis, nec est in » isto nunc, in quo sumus, nec in isto loco, vel in alio, & sic de » similibus: Unde, remotâ relatione à Deo, non esset in Deo dis- » tinctio Personarum, & idem de remotione actionis, & passionis, » ratione cujus in Deo non essent generatio, & spiratio, &c. » Ad hoc autem num. 3. ita respondet: « Et sicut ipse (Deus) per suam » coëssentialem substantiam, quæ est eadem cum sua coëssentiali dif- » ferentia, differt à substantia creata, sic cum sua coëssentiali rela- » tione, productione, infinitate, æternitate differt à creata relatio- » ne, actione, & passione, loco, & tempore; sed intellectus con- » junctus ponit Deum in genere, ut per aliqua media possit con- » templari, & attingere veritates, quas Deus habet in se, dicens, » quòd Deus sit in genere substantiæ, cùm substantia sit per se stans, » & dicit quòd sit in genere relationis, ut in ipso possit attingere » pluralitatem personarum, & dicit quòd *sit in genere actionis & pas-* » *sionis, ut in Deo intelligat suam operationem & productionem intrin-* » *secam*, & sic per consequens de tempore & loco, &c.

XVII. Hinc patet, sensum Lulli esse, quòd, dum in Deo concipitur vel exprimitur actio & passio, unicè est ad explicandam intrinsecam productionem, quin reverà sit in Deo actio & passio de genere actionis, & passionis accidentalis, licèt intellectus, ut dictam productionem concipiat, eam ponat sub genere intentionali actionis, & passionis, ac proinde docet apertè, actionem, & passionem, quæ de Deo dicuntur, solùm exprimi, ut intelligatur Divina productio; in qua una Persona est producens, & alia producta; non autem ut significetur esse in Deo actionem & passionem de genere accidentium, & cum defectu, cum quo sunt in creaturis. Prætereà, quæst.

20. num. 4. objicit Eremita quòd si in Deo esset numerus Personarum, sequeretur quòd *Deus esset compositus & subjectus tempori, actioni, & passioni, & sic de aliis accidentibus :* ad quod num. 5. respondet Lullus : « quòd sit impossibile, quòd sit limitatio inter producens infinitum, & productum infinitum, infinitô producere existente in æternitate de infinito producente, & producto, nec per consequens compositio, cùm producens sit infinita simplicitas, sicut est infinita bonitas, magnitudo, &c. & de tota sua simplicitate producit productum, ratione cujus compositio non potest resultare, cùm inter naturam, & essentiam simplicitatis & compositionis sit magna distantia, & sic per consequens de passione, quam tu dicis, cùm Filius sit productus de Patre, qui est pura forma, ratione cujus in Filio non potest esse passio materialiter, nec tempus, cùm sit productus in æternitate, & de æternitate, nec per consequens quantitas, qualitas, locus, situs, & habitus, cùm sit productus de infinitate, & in infinitate, & sic de Sancto Spiritu.

XVIII. Constat itaque Lullum in eodem libro explicare, non esse in Deo passionem in sensu philosophico, & modô quô attribuitur creaturæ, subindeque, dum quandoque Deo attribuitur, non accipi in sensu rigoroso & de genere prædicamentali, sed unicè ad exprimendam productionem passivam personæ productæ, absque tamen ullo defectu per passionem creatam importato : atque ita laudatus Censor immeritò excandescit contra Lullum in relata Censura, cùm, præter doctrinam allatam, ex eodem libro sufficienter intelligatur sensus Lulli in quæstione 12. notata : nam ibi inquirit Lullus : *Utrùm Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio ?* Probat Spiritum Sanctum debere esse in Deo, ut in Deo sit principium principiatum non principians, hoc est principium productum, non producens, & concludit : *Ergo est tertia Persona, quæ procedit à Patre & Filio ; à Filio procedit, ut Filius sit principiatus, & principians* (productus, & producens) *à Patre procedit, ut Pater sit æqualis Filio in bonitate, infinitate, æternitate, &c. Patre habente duas actiones, unam in generando, aliam in spirando, sicut Filius habet duas, scilicet unam actionem in quantum spirat Sanctum Spiritum, ut probatum est, & unam passionem, in quantum à Patre recipit filiationem* (id est, in quantum à Patre producitur ut Filius) *& sic à simili convenit quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre, & Filio, ut sit æqualis Patri & Filio, & quòd sic habeat duas passiones, unam à Patre, & aliam à Filio, sicut Pater ha-*

Text pr. 6.

bet duas actiones, & Filius unam actionem, & unam passionem, ut dictum est.

XIX. Sanè istemet Textus notatus apertè ostendit quòd passio ibi sumitur tantùm grammaticaliter pro productione passiva, cùm Textus intendat probare, quòd Spiritus Sanctus producitur à Patre, & Filio; deinde passio sumitur eô modô, quô sumitur actio; actio autem sumitur pro activa productione, atque ita passio pro passiva productione; quòd expressè specificatur dum dicitur, Filium habere *unam passionem, in quantum à Patre recipit filiationem;* id est, in quantum à Patre producitur, ac proinde passio, quæ atribuitur Spiritui Sancto, non est aliud quàm ipsius productio passiva; dicitur autem habere duas passiones, prout explicuimus citatô tom. 2. cap. 9. non quidem duas quoad rectum productionis passivæ, sed quoad connotatum, quatenus à duabus Personis producitur: adeoque indebitè relatus Lulli Textus præfatâ inuritur Censurâ, cùm apud omnes debeat esse certum hujusmodi actionem, & passionem, id est, sumptas pro activa productione & passiva, esse in Deo; atque ita in Deo esse actionem & passionem absque defectu; si enim actio potest concipi, absque defectu, ita etiam passio eidem correspondens.

XX. Hæc omnia expressè docet Castilla in speculo Theologiæ Bacconicæ, tom. 3. tract. 10. de Trinit. ubi quæst. 26. inquirit: *Utrùm processiones activæ & passivæ, sint verè & propriè de prædicamento actionis, & passionis?* Et statim, num. 95. præmittit sic: » Cùm potentiæ activæ sua passiva potentia correspondeat, & omnis » potentia sit propter suum actum, cuilibet activæ processioni sua » quæque correspondet passiva processio: unde, si in Deo damus » & concedimus utrasque processiones, & verè, & propriè, sicut » eâdem veritate confitemur originans, & originatum, has easdem » actiones & passiones, ut par est, debemus in illo concipere, ablatis » iis imperfectionibus, quas in creatis processionibus cognoscimus, » & quæ limitationi sunt obnoxiæ. Hucusque omnes convenire te» nentur, & ab hoc incipit diversitas in modo sentiendi circa apicem » & quidditatem harum divinarum processionum.

XXI. Unde, num 99. hanc statuit conclusionem primam: *Processiones activæ Divinæ sunt de genere & prædicamento actionis*, quam dicit esse Doctoris resoluti Joannis Baconii, in 1. dist. 8. & probat, quia actio ut spectans ad prædicamentum est perfectio, quæ depurari potest ab omni defectu, ac proinde ad eam spectat actio divina. Postea, num. 102. hanc scribit conclusionem secundam: *Processiones*

passivæ, quæ sunt generari in Filio, & spirari in Spiritu Sancto, sunt verè passiones de hoc prædicamento: quam dicit esse resoluti Doctoris in eadem, dist. 8. & probat, quia passio sic sumpta nullam involvit imperfectionem, ob quam Deo repugnet; & ideo ad objectionem, num. 128. propositam, quòd scilicet *passio ex sua ratione formali dicit imperfectionem potentialitatis*, respondet, num. 130. dicens: » Datur duplex genus potentiæ passivæ; & datur passiva potentia » subjectiva, & objectiva: prima potentia est propria subjecti trans- » mutabilis, & per actionem mobilis de non esse ad esse, ut poten- » tia materiæ primæ respectu generationis . . . . . potentia passiva » objectiva & terminativa præscindi potest ab hujusmodi imperfec- » tione potentialitatis & limitationis, juxta modum potentiæ activæ » sibi correspondentis. Si enim activa potentia, & ejus actio esset » termini productiva per purissimam communicationem ejusdem na- » turæ & substantiæ agentis, tunc passiva potentia ad produci, & » ejus passiva productio erit similiter actualissima, passumque & » terminus per eam productus non esset in potentia essentiali, sed » in actu ejusdem essentiæ: sic loquimur de divinis passivis pro- » cessionibus.

§. IV.

In Propositione 7. solùm Spiritui Sancto attribuitur appropriatè missio Angeli Gabrielis, non autem privativè ad alias Personas.

XXII. Septima notata propositio sic exponitur: *Sicut Deus Pater suum Filium misit ad assumendum carnem, sic Spiritus Sanctus misit Angelum Gabrielem nuntium Beatæ Virginis, quam Spiritus Sanctus inspiravit.* quæst. 12. num. 5.

Censura: *Temeraria est comparatio & erronea: tum quia missio Angeli est tribuenda toti Trinitati; tum quia est discrimen inter utramque missionem.*

XXIII. Nescio, cur hic præclarissimus Censor emotam bilem contra Lullum jam à prima propositione ostendat, quod maximè apparet in hac Censura; ut autem videatur quàm immeritò, notandum est Lullum in hac, q. 12. postquam explicuit, ut diximus §. antecedenti, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, sibi num. 2. proponere objectionem Eremitæ, videlicet, quòd, quia B. Joannes, cap. 15. 26. solùm explicuit Spiritum à Patre procedere, *Spi-*

ritus, qui à Patre procedit; non videtur S. Spiritum, à Filio procedere, quia si sic esset, hoc dixisset Evangelista: & num. 3. respondet dicens: *Quòd sicut Deus Pater misit suum Deum Filium ad assumendam carnem, sic Sanctus Spiritus miserit Angelum Gabrielem ad annuntiandum Beatæ Virgini Mariæ, quam Sanctus Spiritus inspiravit; & quia Sanctus Spiritus procuravit Incarnationem, Beatus Joannes in supradicta authoritate locutus est de Sancto Spiritu & de Patre, nec convenit; quòd dixerit Sanctum Spiritum procedere à Filio, cùm ipse Evangelista consideraverit missionem, & spirationem Incarnationis.* Text. prop. 7.

XXIV. Sanè in prædicto textu non negat Lullus missionem Angeli esse à tota Trinitate, nec illud innuit, & solùm illam attribuit Spiritui Sancto, sicut ipsi attribuitur Incarnatio Filii Dei, licèt sit operatio à tota Trinitate procedens, ut communiter explicant P P. & DD. ad illa verba: *Spiritus Sanctus superveniet in te*; & hoc ideo, quia Incarnatio est opus amoris, opera autem amoris, licèt sint à tota Trinitate, Spiritui Sancto attribuuntur: unde, cùm ipsa Incarnatio attribuatur Spiritui Sancto, non est inconsequens, imo apprimè consentaneum, quòd missio Angeli ad annunciandam hanc Incarnationem, utpote ad eamdem ordinata, tribuatur etiam Spiritui Sancto, sicut etiam illa inspiratio Divina, quâ B. Virgo Maria fuit inspirata supernè, ut assentiretur illi operationi, quam in ipsa peragere Deus decreverat, eidem Spiritui Sancto tribuitur; & quia sic verè dicitur quòd *Spiritus Sanctus procuravit Incarnationem*, ut loquitur Lullus in adducto textu, consequenter etiam verè dicitur quòd *misit Angelum ad annuntiandum*, per appropriationem quidem, sicut ipsa operatio Incarnationis, & alia plura, non autem privativè & per exclusionem concursûs aliarum Personarum.

XXV. Præterea, ex eodem textu eadem explicatio deducitur; nam reddens, rationem, cur Evangelista Joannes solùm dixit Spiritum Sanctum à Patre procedere, & non explicuit à Filio, dicit hoc esse quia Evangelista consideravit missionem, & spirationem Incarnationis, id est, missionem Filii à Patre ad se incarnandum, & spirationem Virginis ad consentiendum, ad quam spirationem eam prævenit missio Angeli annuntiantis Dei decretum, & quia ad missionnem Filii consequitur missio Angeli, & inspiratio Virginis, solùm fuit necesse exprimere Spiritum Sanctum à Patre procedere, quia solùm exprimebatur operatio Spiritûs Sancti tamquam consequens ad operationem Patris, & non uti consequens ad operationem Filii: unde, sicut inspiratio Virginis rectè tribuitur Spiritui

Sancto, & ipsa Incarnationis operatio, ita etiam Angeli missio, quæ tantùm erat prodoma, & præparativa ad hæc omnia, licèt hæc omnia effectivè sint à tota Trinitate.

XXVI. Neque ab Angeli missione alias Personas excludit Lullus per comparationem, quâ dixit: *Sicut Deus Pater misit suum Filium Deum ad assumendam carnem, sic Sanctus Spiritus misit Angelum Gabrielem ad annuntiandum B. Virgini Mariæ;* nam, licèt solus Pater privativè ad alias Personas mittat Filium, non sequitur in dicta comparatione quòd solus Spiritus Sanctus privativè ad alias Personas mittat Angelum, quia notum est, & evidens in Theologia, comparationes non tenere ex omni parte, cùm nulla sit omnimodè correspondens rebus divinis; & solùm proponuntur comparationes ad explicandas res secundùm illum sensum, ad quem intelligendum deserviunt exempla comparata: Unde in dicta comparatione non confertur operatio propria cum operatione propria, sed operatio appropriata, cum operatione propria; cùm enim ea, quæ ad incarnationem spectant tribuantur in scriptura Spiritui Sancto, prout dicitur Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te*, & est Articulus Fidei in symbolo, quòd Christus *est conceptus de Spiritu Sancto*; sicut in incarnatione Pater misit Filium suum & hoc est ipsi proprium: Filius assumpsit carnem, quod ipsi quoque est proprium: ita Spiritui Sancto est appropriatè proprium quòd Virginem inspiravit, eam fœcundavit, & humanitatem Deitati univit, ac consequenter quòd Angelum ad Virginem misit, cùm hæc missio fuerit quædam præparatio ad incarnationem.

XXVII. Etiam dici potest, quòd dicta comparatio est quoad motivum incarnationis; quia, sicut Pater misit Filium ex amore, juxta illud Joannis 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, & alia plura scripturæ loca; ita Spiritus Sanctus, qui est amor, ad hujus missionis executionem misit Angelum ad annuntiandum Beatæ Virgini; vel etiam potest dici, & fortè plùs ad mentem Lulli, quòd attenditur in dicta comparatione ex una parte Pater & Filius, & ex alia Spiritus Sanctus & B. Virgo, ut ex ipsa sumeret sibi carnem ipse Filius, consentiente ipsâ Beatâ Virgine; & sicut Pater misit Filium ad accipiendam carnem, ita Spiritus Sanctus inspiravit B. Virginem, ut consentiret, & ad hoc ad eam misit Angelum, qui nuntiaret divinæ Trinitatis decretum, & induceret ad consensum: Unde in dicta comparatione ly *sicut* nunquam sumitur sub æqualitate, sed tantùm cum aliquali similitudine & proportione,

prout

prout in omnibus aliis comparationibus, quæ ad divina explicanda proponuntur: atque ita non officit secunda ratio allatæ Censuræ, scilicet, *quia est discrimen inter utramque missionem*; nulla enim tum in scriptura tum in Patribus exposita est comparatio ad divina, in qua, si benè perpendatur, non sit magnum discrimen inter comparata, ut V. G. Comparatio Verbi humani ad Verbum divinum, & plura alia, quæ facilè observari possunt.

XXVIII. Porrò quòd missio Angeli sit à tota Trinitate effectivè, supponitur à Lullo in toto hoc libro, ubi sæpè opera ad extra toti Trinitati seu Deo adscribuntur, ut q. 2. num. 3. q. 9. num. 1. ubi asserit quòd *tota Trinitas est creatrix*, & quòd posse in Deo est Personis *commune quoad creationem*; q. 10. num. 3. Deo adscribit creare, & gubernare mundum; q. 15. ostendit quòd emanatio creaturarum de necessitate præsupponit generationem & spirationem, & quòd tota Trinitas est creatrix, & idem supponit in pluribus aliis quæstionibus; expressè autem hanc Angeli missionem adscribit Deo, juxta verba Evangelii, & non Spiritui Sancto privativè, ubicumque agit determinatè de dicta missione: sic in *Doctrina Puerili*, cap. 6. *de conceptione Jesu-Christi* ait, quòd *Deus misit Angelum, Sanctum Gabrielem ad B. Virginem*. Etiam lib. de *Benedicta tu*, part. 2. Deo etiam adscribit missionem Gabrielis Archangeli; lib. de laudibus B. Virginis Mariæ, cap. 21. de Fide dictam missionem etiam Deo adscribit, & in lib. *Clericus*, cap. 8. de articulo *conceptus de Spiritu Sancto*: Ubi sic scribit: *Deus Pater & Deus Filius per amorem spirant Spiritum Sanctum, & ideo Spiritûs Sancti fuit sacratissimam Mariam inspirare ad consentiendum verbis Gabrielis annuntiantis Filii Dei incarnationem, quà posset se Filius Dei hominem facere.*

XXIX. Clarius fortè hoc exprimit Lullus in Apostrophe latina (tom. 4.) de Articulis Fidei, in Artic. 9. Tit. de Incarn. Filii Dei & sua Concep. per Sanc. Spir. num. 3. pag. 46. ubi sic scribit: *In omni divino opere extrinseco operatur tota Trinitas, aut secundùm unam communem rationem, aut secundùm proprietates personales; sed in tali incarnatione Pater mittit Filium, ut generetur . . . in humana natura . . . quam generationem appellamus missionem; Filius autem est, qui generatur: igitur, cùm in tali incarnatione non sint nisi tria, scilicet missio generatio passiva, & conceptio, cùm Patri attribuatur missio, generatio passiva Filio, Sancto Spiritui debuit attribui conceptio.* Similiter, lib. Proverb. p. 3. cap. *de incarn.* Filii Dei, num. 2. *Deus Pater misit suum Filium ad assumendum carnem, & Filius illam assumpsit, & Sanctus*

Spiritus illum carne vestivit; num. 9. *Sanctus Gabriel à Patre fuit nuncius missus ad nostram Dominam, & Sanctus Spiritus perfecit illam nuntiationem, illâ concipiente;* & num. 10. *Quia Pater producit Filium, ad illum pertinebat missio, & quia Sanctus Spiritus est productus à Patre & Filio, ad illum pertinebat unitio divinæ & humanæ naturæ.*

XXX. Itaque, cùm Lullus agnoscat & fateatur, missionem Angeli ad Beatam Virginem esse à tota Trinitate, censendum est solùm per appropriationem, & non per exclusionem aliarum Personarum, eam attribuere Spiritui Sancto in textu notato: ad modum quo ipsam missionem Angeli attribuit Filio. D. Petrus Chrisologus apud Bibliam Marianam Josephi de San-Miguel & Barco in D. Luc. super Evang. *Missus est.* Dubio 23. dicens: « Veni Angele, & in gravi arcanoque » Mysterio obsequium tuum exhibe, in hoc miraculo mihi ministra. » Equidem misereor Adæ, qui in peccatum lapsus miserè periit, & » Paradiso exclusus, exul est & errabundus, in fauces lupi incurrit. » Decrevi igitur descendere ut illum quæram, & inimicum ejus » comprehendam. Hoc arcanum nulli cœlestium virtutum pando, » nisi tibi: itaque vade ad Virginem Mariam, & annuntia ei secre» tum, ut mihi in terris præparet habitaculum; noli autem illi terro» rem inferre, sed prima salutationis verba sint, quæ gaudium sonent: » *Ave gratia plena.* » Similiter eamdem Angeli missionem Filio divino attribuit D. Bernardus, serm. 1. *in Annuntiatione Beatæ Mariæ*, de Verbis Psalmi: *Ut inhabitet gloria in terra nostra*, num. 14. dicens: » Intellexit Rex (id est Filius pèr Regem Salomonem expressus, » ut anteà exposuit) quid loqueretur, & ait: *Pænitet me fecisse ho-* » *minem.* Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, » pœnitentiam agere pro homine, quem creavi. Tunc ergo dixit: » *Ecce venio.* Non enim potest hic calix transire nisi bibam illum. » Et accersito protinus Gabriele, vade, inquit, dic Filiæ Sion: *Ecce* » *Rex tuus venit.* Festinavit ille, & ait: *Adorna Thalamum tuum* » *Sion*, &c.

§. V.

Rectè sentit Lullus in Proposit. 11. *quòd anima sensitiva hominum est genita, & distincta à rationali.*

XXXI. Undecimus Textus notatus est iste: *Anima sensitiva hominum est à generante. Si anima sensitiva hominum esset à creante, &*

anima sensitiva brutorum à generante, plura inconvenientia sequerentur contra ordinem naturæ. Quæst. 89. num. 2.

Censura: *Propositio est erronea, vel admodum temeraria.*

XXXII. Miror sanè tam facilè cudi Theologicos errores in materia purè philosophica, & de qua nihil formaliter nec virtualiter est expressum in Sacra Scriptura, traditione, vel Ecclesiæ definitionibus. Fateor quidem Lullum non in hac tantùm notata quæstione, sed alibi passim asserere in homine, præter animam rationalem, esse pariter animam sensitivam, & hanc genitam esse, seu à generante productam; animam verò rationalem à Deo creatam. Nedum hoc asserit Lullus, sed etiam efficaciter probat philosophicis rationibus, imò & indirectè theologicis, quarum nulla evidenter potest solvi. Hoc sanè fateor tenere Lullum, constanter tamen pronuntio, thesim ipsam de generatione animæ sensitivæ in homine nullatenus adversari alicui Scripturæ textui, neque rationes, quibus hoc probat; quinimò eamdem Lulli sententiam valde conformari scripturæ sensui, & phrasi.

XXXIII. Dico nullum Scripturæ textum posse adduci, qui convincat animam sensitivam hominis non esse genitam, nec ex Ecclesiæ traditione hoc deduci, imò ex definitionibus ipsius infertur ipsam reliquisse in sua probabilitate hanc sententiam philosophicam; nam ignotum non est, Apollinarem Laodicenum Episcopum tenuisse in hominibus esse animam vegetativam, sensitivam, & rationalem; quam, quia hominibus propriam, vocabat humanam animam, & licèt Deum factum hominem in Christo affirmaret, negabat tamen in ipso animam humanam, licèt eidem animam vegetativam, & sensitivam concederet, ut refert Cabassutius in *Notitia Ecclesiast.* sec. 8. ad Synod. Œcumen. 8. num. 12. ad ejusdem, can. 10. & tamen referente ipsô ad sæculum, 4. pag. 101. num. 4. in Alexandrina Synodo anni 362. à D. Athanasio coactâ, solùm damnata fuit ejus hæresis negans animam rationalem in Christo; nec Verbum ullum fuit contra animam sensitivam in ipso, vel in aliis hominibus, distinctam à rationali; imò ex Petavio, lib. 1. de Incarn. cap. 6. num. 16. decrevit ipsa Synodus Christum, *non solùm animam, sed etiam mentem, habuisse*; hæc enim posterior peculiaris fuit labes Apollinaristarum: quam potissimùm notandam Patres illi Censuerunt. Id clarè demonstrat Synodica Concilii illius Epistola, quæ apud Athanasium legitur, ubi hujusmodi professio à Catholicis ad ineundam concordiam expressa dicitur: *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec*

sensûs aut mentis expers. Neque posteà, cùm iterum, referente ad sec. 4. pag. 123. eôdem Cabassutiô, damnata fuit Apollinaris hæresis in Concilio Romano sub Damaso anno 381. eôdem tempore, quô secunda œcumenica Synodus Constantinopoli celebrabatur, aliquid est expressum contra animam sensitivam Christi, vel aliorum hominem, sed tantùm præscripta fuit hæresis, animam abrogans rationalem incarnato Filio Dei, ex quo etiam solo capite Apollinarem impugnant Ecclesiæ Patres.

XXXIV. Tantum verò abest, ut in dictis Conciliis damnata fuerit Doctrina de anima sensitiva distincta à rationali, tam in Christo quàm in aliis hominibus, quòd ipse Athanasius eam videtur adstruere in summa disput. habitæ inter Apollinaristam & Grec. Episc. nam ibi, in principio pag. mihi 1083. lit. B. sic scribit: *Item, sicut animâ rationis participæ cum animali conjunctâ, homo existit, nec tollitur, quòd sit animal, ita Deus conjunctus & unà creditus cum animali rationis participe agnoscitur, & creditur esse Christus, neque tollitur quòd sit homo, sed idem est Deus & homo.* Nam, si anima rationalis unitur cum animali, caro cui unitur est animata animâ sensitivâ, ac proinde hæc est distincta à rationali, tum in homine quolibet, tum in Christo. Et per hæc verba idem sentit ipse in Epist. Synod. adversus Apollinarem dicens: *Cùm Dominus propter nos homo factus sit, non posse corpus ipsius esse mentis expers, aut animæ.* Patres etiam, qui contra Apollinarem decertarunt, admittere in Christo aliam animam præter rationalem videntur. Sic (apud Petav. Theol. Dog. de Incarn. lib. 5. cap. 11. num. 5.) Constantinop. secunda Synod. in Epist. Synod. ad Damasum ait: *se nec animæ, aut mentis, expertem, nec imperfectam carnis œconomiam, admittere.*

XXXV. D. Epiph. (ibid. num. 6.) in Ancoratu, *Deum hominem factum* sic explicat, ut significet *perfectum assumptum hominem, animam, & corpus, & mentem, & quidquid aliud homo est, exceptô peccatô.* D. Aug. (ibidem num. 8.) Epist. 57. *Cùm dicis perfectum hominem totam illic naturam humanam vis intelligi; non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit.* Gregorius Nazian. (ibidem cap. 12. num. 2.) Epist. 1. ad Cledon. *Nam Divinitas cum sua carne homo non est, sed neque cum sola anima, neque cum ambobus, si mentem abstuleris, quæ etiam magis homo censetur.* Item D. August. Epist. 140. aliàs 120. cap. 4. num. 12. ait: *Neque enim homo Christus, ut Apollinaristæ hæretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationalem.* Idem, lib. de agone

Christ. cap. 18. scribit : « Si ergo visibilia munda à visibilibus im-
» mundis contingi possunt, & non inquinari : quantò magis invisi-
» bilis, & incommutabilis veritas, per spiritum animam, & per
» animam corpus suscipiens, totô homine assumptô, ab omnibus
» eum infirmitatibus nullâ suî contagione liberavit ? » Et cap. 19. »
» Nec eos audiam. 9. qui Trinitatem quidem in unâ æterna substan-
» tia confitentur, sed hominem ipsum, qui temporali dispensatione
» susceptus est, audent dicere, non habuisse hominis mentem, sed
» solam animam & corpus. Hoc est dicere non fuit homo, sed mem-
» bra corporis habebat humana. Animam enim, & corpus habent,
» & bestiæ, sed rationem non habent quæ mentis est propria;
» sed si execrandi sunt illi, qui eum negant humanum corpus ha-
» buisse, quod est infimum in homine; miror quòd isti non eru-
» bescant, qui hoc eum negant habuisse, quod est optimum in ho-
» mine. « In relatis sanè Patribus apparet solùm impugnatos fuisse Appollinaristas, quia Christo negabant rationalem animam, non autem quia eidem attribuerent sensitivam distinctam; imò istam approbare videntur tanquam quid à mente vel Spiritu distinctum.

XXXVI. Duas esse in homine animas, unam bonam & aliam malam, ambas rationales utpote rationis participes, & quæ, bonum, videlicet bona, & malum, quæ mala, ageret, tenuerunt Manichæi, ut omnibus est in confesso, quós impugnat Augustinus, lib. *de duabus animabus* ex eo præcipuè quòd unam ex Deo non esse mentiebantur; qui cap. 13. in eadem anima rationali agnoscit partem inferiorem & superiorem; attendens tamen ad sensibilia, ad quæ propendimus, & ad intelligibilia, quæ rimamur, subjungit : *Quamquam si eis concedatur inferiore aliô genere animarum nos illici ad turpia, non indè conficiunt, aut illas naturas malas esse, aut istas summum bonum*; & infra : *Ex quibus illud est quod intelligi volo, etiam si sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccatô, sed naturâ deditæ, nosque, quamquam sint inferiores, aliquâ tamen inferiore vicinitate contingunt, non illas ideo malas habere oportere, quia & nos, cùm eas sequimur, & corporea diligimus, mali sumus.* His enim verbis apertè innuit Augustinus non esse certum, & exploratum in homine non esse animam sensitivam à rationali distinctam; certum autem esse, quòd, quamvis ipsa admittatur, non tamen naturâ est mala sed bona & à Deo creata, nos autem malos effici, dum ejus condescendimus cupiditati.

XXXVII. Hunc Manichæorum errorem notat Autor, lib. de Ec-

clesiasticis Dogmat (qui tamen non est D. Augustinus) cap. 15. ubi scribit: *Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus & alii Syrorum scribunt, unam animalem, quâ animetur corpus, & immixta sit sanguini; & alteram spiritalem, quæ rationem ministret: sed dicimus unam esse eamdemque animam in homine, quæ & corpus suâ societate vivificet, & semetipsam suâ ratione disponat, habens in sese libertatem arbitrii, ut in suæ substantiæ eligat cogitatione quod vult.* Sanè hic Autor, licèt id prætendat Eusebius Amort. Philos. Polling. part. 3. Philos. partic. quæst. 2; non repræsentat sensum universalis Ecclesiæ, quia plures docet errores, qui non possunt censeri de sensu universalis Ecclesiæ; ipse tamen per ly *animam animalem* non intelligit animam sensitivam à rationali distinctam, quia hanc in homine supponit ex parte corporis ab anima rationali contradistincti, nam cap. 19. sic scribit.: *Duabus substantiis tantùm constat homo, animâ, & corpore: animâ cum ratione sua, & corpore cum sensibus suis, quos tamen sensus absque animæ societate non movet corpus; anima verò, & sine corpore, rationale suum tenet.* Unde si corpus cum sensibus suis contraponitur animæ rationali, consideratur in corpore anima sensitiva, cujus potentiæ sunt corporis sensus; quia sensus non consistunt in organis corporis, sed in virtute agente per illa.

XXXVIII. Itaque illa animalis anima, quam in homine negat, est illa anima naturâ mala, quam asserebant Manichæi immixtam sanguini, & córpus vivificantem: quæ omnia, cùm mala reputarent, malæ animæ tribuebant, & ideo animalis & contradistincta à spiritali dicebatur; ipsa tamen in eorum sensu rationalis erat, quia malum ab ipsa procedebat; & hoc videtur innuere idem Autor, dictum errorem tribuens Jacobo, & aliis Syris, quia hic Jacobus fuisse videtur ille Autor Jacobitarum, qui suô errore commaculans suos compatriotas Syros & Armenos apud orientem, hucusque celebratur, ut refert Petavius, Theolog. Dogm. tom. 4. lib. 1. de Incarn. cap. 17. num. 6. & Annatus in Apparatu, lib. 7. art. 7. *tit. de Jacobitis*; quippe, cùm iste Jacobus esset ex discipulis Eutychis, & Monophysitas sub Ducatu suo colligeret, ipseque Eutyches de grege esset Manichæorum, hanc ex istis videtur adoptasse falsam doctrinam de duplici anima, quarum una bona, aliaque mala esset; quamvis ipsi Jacobitæ ex aliis pejoribus erroribus communiter sint magis noti.

XXXIX. Eumdem errorem damnavit Concil. gen. VIII. & IV. Constantinopolitanum, Can. 10. prout refert Cabassutius, Notit. 20. de istis verò Autoribus notare licet, nullum, quantum videre li-

Eccleſ. ſæc. IX. in hac Synodo, qui dictum Canonem ſic excribit: *Cùm vetus novaque Lex unicam Domini, eamque ratione & intelligentiâ pollentem, eſſe animam: eamdemque ſententiam Deiloquorum omnium Patrum, & Doctorum Eccleſiæ doctrina confirmat; ſunt tamen qui duas homini eſſe animas aſſerant, & quibuſdam vitioſis ratiocinatiunculis ſuam hæreſim ſtabiliant: Itaque Sancta hæc & Œcumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota ſecta ſua magnâ voce anathemathizat; qui verò poſt contraria dicere auſus fuerit, anathema eſtò.* Feriri Manichæos iſtô Canone fatetur ipſe Cabaſſutius, quamvis explicet ipſos tenuiſſe animam ſenſitivam diſtinctam à rationali, adeoque hunc Canonem detorquet contra aſſerentes animam ſenſitivam diſtinctam à rationali, quamvis eam cum Manichæis non agnoſcant naturâ malam; at cùm animam naturâ malam, principium malorum operum agnoſcerent Manichæi, eam non purè ſenſitivam, ſed quodammodo etiam rationalem fatebantur: Unde omnes agentes de Manichæorum hæreſi communiter tenent, eos aſſeruiſſe duas in homine rationales animas, ut clarè indicat ipſe Auguſtinus, lib. citat. de *duabus animabus*.

XL. Quare P. Biner. in Apparatu ad *Juriſprud. Eccleſ.* par. 3. cap. 2. artic. 8. pag. 123. ad can. 11. dicti Concilii ſcribit: *Opinio de duabus hominis animabus quam Photius tenuiſſe dicitur, damnatur, tamquam Sacræ Scripturæ & SS. PP. contrària.* Et licèt cum Cabaſſutio ſubdat Manichæos tenuiſſe, præter animam rationalem, aliam ſenſitivam eſſe in homine naturâ malam, ſubjicit tamen: *Fortaſſis tamen Concilium iſtud tantùm eos damnat, qui duas animas rationales in homine aſſerunt. Licèt enim videatur univerſaliter duas animas rejicere, ratio tamen, quam affert ex Sacra Scripura, tantùm contra duas animas rationales pugnat; ſic enim Canon iſte ex Anaſtaſii verſione incipit:* » Veteri & novô teſtamentô unam animam rationalem & intel- » lectualem habere hominem docente, & omnibus Deiloquis PP. » & Magiſtris Eccleſiæ eamdem opinionem aſſeverantibus, in tan- » tum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam, » devenerunt, ut duas eum habere animas imprudenter dogmatiza- » re, &c., *ubi tantùm de duabus animabus rationalibus videntur loqui*, » *nihil cogitantes de principio ſenſationum, & vegetationum.* » Idem tenent plures Autores, licèt aliundè impugnent ſententiam de anima ſenſitiva diſtincta à rationali, ut Maſtrius Philoſ. tom. 3. diſp. de anima. quæſt. 8. num. 86. & ſcribentes de hæreſibus, ut Alfonſus à Caſtro & Paulus Gryſaldus in Deciſ. Fid. Cathol. verbô *animâ*, num.

cuit, asserere damnatam sententiam de anima sensitiva in homine distincta à rationali; imò citatus Grysaldus, ibid. num. 3. impugnans Philonem dicentem, animam sensitivam hominis esse creatam ab Angelis, subdit: *Nec tango Scoti opinionem, quòd anima sensitiva sit à Patre, & hâc ratione dicatur Pater, anima verò intellectiva sit à Deo.*

XLI. Tandem Concilium Vien. sub Clemente V. ut refertur in Clementina, cap. fid. Cathol. de Sum. Trin. & fid. Cathol. ita declarat: *Porrò doctrinam omnem seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis seu intellectivæ verè ac per se humani corporis non sit forma: velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam Fidei, prædictô sacrô approbante Conciliô reprobamus: definientes, ut cunctis nota sit Fidei sinceræ veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quòd quisquis deinceps asserere, deffendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tamquam Hæreticus sit censendus.* At istâ definitione solùm inuritur, vel Plato, animam rationalem, tamquam nautam in navi, adstruens in corpore, vel alii, qui, præter vegetativam, & sensitivam diversas corporis partes informantes, animam rationalem tantùm in cerebro esse, vel alia corporis parte, affirmabant, ac proinde non eam corporis humani veram agnoscebant formam, sed præcipuè feriuntur qui cum Averroe negabant animam rationalem, esse corporis formam: non autem attingit hæc definitio sententiam docentem, animam vegetativam, & sensitivam, utpote materiales & corporeas, ex parte corporis se habere, eumque informare: ac corpus ipsis, informatum verè & per se informari ab anima rationali.

XLII. Hoc explicat ipsa Glossa Lit. C. dicens: *De sensitiva enim & vegetativa non fuit opinio, sensitiva enim, quâ sentimus per sensus corporeas, certum est, quòd corrumpitur corpore corruptô, & sic non potest dubitari, quin sit de corporis forma. Idem de vegetativa, quâ vegetamur, nutrimur & augmentum sumimus. In prima communicamus brutis, in secunda etiam plantis. Sed de intellectiva vel rationali fuit contraria opinio*; & infra: *Sed advertendum quòd, quantò forma est nobilior, tantò plùs dominatur materiæ corporali, & minùs ei immergitur & plus eam excedit suâ virtute: Unde anima vegetabilis plusquam forma metalli: sensibilis plusquam vegetabilis: Intellectualis ergò in nobilitate ultima in tantum excedit in homine materiam corporalem, quòd habet aliquam operationem & virtutem, in qua corporalis materia non communicat, quæ virtus est intellectiva.* Ipsa etiam Glossa, dum supra eôdem

capite,

capite, de Christo dicitur habere animam intellectivam seu rationalem, Lit. F. sic explicat: *Animam, non spiritum vitalem tantùm*, de Celeb. Miss. In quadam, *ubi pluribus autoritatibus probatur quòd hìc de vera anima dicitur;* & Lit. G. *Rationalem, non dicit sensitivam, vel vegetativam, de quibus infra.* In dicto autem cap. *In quadam*, de celeb. Missarum, dicit Innocentius III. de Christo: *Manifestè probatur, quòd ipse Spiritum habebat, non solùm flatum vitalem; sed animam rationalem;* & Gloss. ibi, lit. H. *vitalem, secundùm quod Physici dividunt Spiritum, vitalem, scilicet animam.* Ex dictis patet sententiam de anima sensitiva in homine distincta à rationali, quæ & generatur dum homo gignitur, & eô corruptô corrumpitur, nedùm non inuri, sed roborari ex relata Concilii definitione.

XLIII. Itaque constat, hanc sententiam nulli Fidei definitioni adversari, conformem autem eam videri sacræ Scripturæ sensui, ut supra dixi, deduci videtur ex eis, quæ conglobat eruditissimus Calmetus exposit. In lib. Sapientiæ dissertat. prævià, *de natura animæ & ejus post mortem statu, & sententia veterum Hebræorum;* Artic. enim 1. supponit, nedùm apud Philosophos, Paganosque Poëtas, sed etiam veteres Ecclesiæ Patres, in homine esse tria distincta, corpus, animam, & spiritum. Deinde dicit: *Animam à spiritu sive mente utcumque distingui sat constat, cùm anima ipsa in Scripturis homini, æquè ac brutis, tribuitur; sed spiritus vel mens uni tantùm homini tribuuntur;* & subdit: *Porrò hæ loquendi phrases in eam fortè persuasionem veteres Hebræos adduxerunt, animam illam hominibus eamdem ac brutis communem, quam in sanguine residere tradit scriptura* Levit. 17. 11. 14. Anima carnis in sanguine est; *&*, anima omnis carnis in sanguine est, *materià quàdam constare, & alterius planè esse à mente, nunquam brutis in scriptura tributà, naturæ. Luculenter sanè animam sensibilem & rationalem distinguens Philo* (Lib. quòd deter. potiòr in sid. pag. 107.) *ait vitalem illam animam ipsam esse, quâ vivimus, rationalem verò quâ ratiocinandi facultate utimur: illam habere nos cum brutis communem, hanc peculiarem.* Addit etiam: *Animam à spiritu distinguere visus est Daniel*, C. 2. 86. *Cùm ad Laudes Domini invitet spiritus, item & animas:* Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino; *neque enim ille spirituum nomine Angelos & Beatos designare potest, quos anteà ad eadem studia invitaverat.*

XLIV. Idem art. 2. ubi immortalitatem animæ statuit, §. *Fatemur*, scribit: « Communia hæc vocabula, *anima*, *spiritus*, *spiraculum*, » datas utrique huic creaturarum generi communes animas designant:

» hominum & brutorum interitus iisdem non rarò vocibus exprimi-
» tur. *Aufert Deus Spiritum ex omni carne* (Psalm. 103. 29.) & ci-
» bum, vitam omnibus æquè animantibus suppeditat, si faciem
» avertat, omnia turbantur : *auferes Spiritum eorum & deficient*. Deus
» diluvii aquis immissis interfecit omnem carnem, *in qua Spiritus*
» *vitæ est*. (Gen. 6. 17. & 7. 15.) Terris & aquis injungit, ut pro-
» ducant animam viventem, seu animantia, vita, & anima donata
» (Gen. 1. 20. 21. 27.) & post diluvium fœdus init *cum omni ani-*
» *ma vivente* (Gen. 9. & 10.) ac tandem animam esse in sanguine
» habetur Levit. 12. 17. » Et §. *Nihil tamen* probans quòd hæc vo-
cum ambiguitas non officit distinctioni animæ rationalis ab aliis, cùm
eas etiam distinguat Scriptura, scribit : « Asserit Scriptura peculiaria
» quædam de homine, quæ numquam de belluis affirmaret ; & si
» quando paria de utrisque loquatur, sermo tunc est tantùm de vita
» corporis, de anima sentiendi facultate instructa, quam brutis æquè
» ac hominibus vindicant omnes. Quare in brutis anima, spiritus,
» spiraculum à Deo datum, reductumque ad arbitrium, nihil est aliud
» quàm vita corporis in sanguine potissimùm residens ; in homine
» verò vocibus illis interdum designatur anima sensibilis æquè & ra-
» tionalis ; non rarò etiam rationalis tantùm, &c. quod ex sermo-
» nis contextu satis discernitur. »

XLV. Nedùm in veteri Testamento, sed etiam in novo, distin-
guntur in homine spiritus, anima, & corpus, ut 1. Tessalon. 5. 23.
*Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus ves-
ter, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini Nostri Jesu-
Christi servetur*. Ad quod Hervæus Burdigalensis Monach. Benedic-
tinus (cujus plura opera D. Anselmo attributa in ejus edit. Colo-
niensi habentur) ita scribit : « ita vos *sanctificet*, *ut integer servetur*
» *vester Spiritus*, id est illud, quô intelligitis, *& anima*, id est illud,
» quô vivitis, *& corpus*, id est illud, quô visibiles & contrectabiles
» estis. Tria sunt enim, quibus homo constat, id est *spiritus*, *&*
» *anima*, *& corpus* ; quæ rursus duo differunt, quia sæpè anima si-
» mul cum spiritu nominatur, pars enim quædam ejus rationalis,
» quâ carent bestiæ, spiritus dicitur. Principale itaque nostrum *spi-*
» *ritus* est ; deinde vita, quæ conjungit hunc corpori, *anima* voca-
» tur ; postremò ipsum *corpus*, quoniam visibile est, ultimum nos-
» trum est. Illud enim, quô ratiocinamur & intelligimus atque sapi-
» mus, ita propriè *Spiritus* nuncupatur, ut non sit universa anima,
» sed aliquid ejus, id est rationale nostrum, quô sentit & intelligit

» ipsa anima, non sicut sentitur corporis sensibus, sed sicut ille est » intimus sensus, ex quo est appellata sententia; hinc autem pecori» bus sine dubitatione præponimur eò quòd sint illa rationis exper» tia, non enim spiritum habent, id est intellectum & rationis ac » sapientiæ sensum, sed animam tantùm. » Similiter de anima à spiritu distincta intelligunt plures hunc textum, prout hìc testatur Calmetus.

XLVI. Ad idem collimat Scriptura, Eccles. 3. 18, 19, 20: *dixi in corde meo de Filiis hominum, ut probaret eos Deus & ostenderet similes esse bestiis, idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumentô amplius: cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter revertentur.* Sanè hìc describitur æqualitas vitæ & mortis in hominibus & bestiis, quantum ad eam scilicet, in qua conveniunt, vitâ, nempe vegetativâ, & sensitivâ, ut etiam dicit Clariss. Berti, lib. 12. de Theol. discipl. cap. 5, pag. 304. respondens ad dictum locum Ecclesiaste; cùm alibi constet in eadem Scriptura eorum discrepantiâ quoad vitam rationalem, quâ gaudet homo, & non bestia: unde sicut in bestiis per earum mortem fit corruptio animæ vegetativæ, & sensitivæ, quæ cum elementali earum substantia ad sua primitiva revertuntur principia, ita pariter in homine, & sola, tamquam immortalis, remanet anima rationalis; anima verò vegetativa, & sensitiva corrumpuntur, ac proinde in hominis generatione generantur.

XLVII. Hanc eamdem Sententiam, testante Mastrio Philos. tom. 3. disp. 1. de Anima, q. 8. num. 86. tenent Philop. 1. de Ani. text. 91. Zabarella, lib. de facult. An. cap. 8. Gand. 7. Phys. quæst. 8. Ocham. quodlib. 2. q. 20. Mairon. 2. dist. 15. q. 1. & probabilem reputant Regentes Parisiens. 2. de An. q. 1. in q. 1. Collater; testante verò Scriboniô, pluralitatem animarum in homine docent Jandun. lib. 1. de An. q. 12. & Paulus Venetus in Summa de Anima, cap. 5. eamdem Sententiam apud Alb. Mag. lib. 1. de An. tract. 2. cap. 15. tenuerunt antiqui Philosophi Pithagoras, & Pithagorei, sicut & Plato, ac Platonici. Apud Merinerum eam tenet etiam Ocham in 4. q. 7. Mirandulanus, lib. 33. Eversion. singular. certam. sect. 2. & Thomas Garbius, lib. 1. tract. 5. q. 49. Admittunt quoque eamdem Fernelis, lib. 7. Physiolog. & Cassimirus, disp. 1. de An. art. 1. q. 2. Hanc Sententiam probabilem reputant Livius de Mon-

turſio, lib. 2. de An. diſt. 1. q. 5. Perez Lopez, lib. 1. de An. diſp. 1. q. 5. Ugo Cavellus, in ſupplem. ad quæſtiones Scoti, in libros de Anima, diſp. 1. Sect. 7. & Merinerus, lib. 2. de Anima, diſp. 2. q. 2. Teſtante Euſebiô Amort, Philoſ. part. 3. tit. de Anim. q. 2. Neoterici paſſim, quoad modum loquendi, ſaltem admittunt duas animas. Joannes-Baptiſta Duhamel, Metaph. tract. 3. q. 3. concluſ. 4. ſic reſolvit: *Animam ſentientem à parentibus traduci, defendi utcumque poteſt, non item animam rationalem.* Hanc concluſionem probat & defendit cum Patre Fabri, quem citat concluſ. 3. ad 1. objectionem, docentem, *fœtum primò vivere, tum ſentiente animâ donari, ſed quæ priùs fuit vegetatrix anima, aut formà, cùm ſola eſſet, jam fit potentia aut facultas animæ ſentientis, eique ſubjicitur; cùm autem anima rationalis creatur, non perit principium illud vitæ, aut ſensûs, ſed formæ rationem non ampliùs obtinet, eſt que potentia animæ rationalis, cui ſubeſt, ut formæ; non enim ante fuit homo, quàm anima in corpore crearetur, & unum eſſe hominis una forma conſtituit.* Idem docet Toſca in compendio Philoſop. tom. 7. Tract. 10. lib. 7. cap. 3. prop. 18. & 19.

XLVIII. Clariſſ. Berti, lib. 12. de Theolog. Diſcip. cap. 4. de Animarum origine, pag. 302. §. *Reſpondeo falſam eſſe*, hanc Sententiam probabilem reputat, nam reſpondens ad objectionem iſtam: *Anima rationalis, ſenſitiva, & vegetativa eſt in homine una eademque: homo generat animam ſenſitivam, & vegetativam: igitur generat & animam rationalem:* datis duabus reſponſionibus juxta Neotericorum & Peripateticorum principia, ſic concludit: *Aut, ſi magis placet, tres ſimul animas conſiſtere in eôdem corpore, & vegetativam, & ſenſitivam traduci, rationalem creari.* Item, lib. 26. cap. 8. poſtquam probavit Divinum Verbum aſſumpſiſſe humanam animam, loquens de diſputatione ſuper diverſitate animarum, concludit: *Verumtamen eſt, quòd præcisâ hâc de natura animæ quæſtione, admiſsâque plurium animarum partitione, probatur in Chriſto anima rationalis ex ejus paſſionibus, quatenus fuerunt cum apprehenſione animi conjunctæ.*

XLIX. D. Bonavent. in 2. diſt. 31. part. 1. q. 1. ubi inquirit: *Utrùm anima ſenſibilis in hominibus ſit à generante?* In ejus ſolutione refert & reprobat errorem Manichæorum ponentium in homine duas animas, ùnam bonam, & aliam malam. Secundò refert ſenſum Philoſophorum, *quòd rationabilis, & ſenſibilis ſunt in nobis duæ ſubſtantiæ, non tamen ſunt duæ animæ, pro eo quòd anima eſt nomen officii, & illæ duæ ſubſtantiæ ordinatæ ſunt ad unius corporis perfec-*

tionem, ita quòd una disponit ad aliam, una tamen illarum est per generationem, scilicet sensibilis; & hujus signum est, quòd dependet à corpore, & est perfectio alicujus partis corporis; rationalis verò, quæ nullius corporis est actus, est per creationem: hanc Sententiam solùm impugnat ex Divo Aug. lib. de Eccles. Dogm.; quæ tamen autoritas nostræ non officit Sententiæ ex dictis, num. 37. & lib. de Spir. An. qui liber etiam cum superiori, ùt advertit Annat. in Appar. lib. 4. art. 27. & etiam Editores Benedictini, non est D. August. tertiò refert sensum Doctorum Theologiæ, qui dicunt quòd sensibilis & rationalis in homine ejusdem sunt substantiæ, ad cujus explicationem ponit tres modos sensualitatis: primus est dispositio ex parte carnis ad actus virtutis sensitivæ. Secundus est dispositio ex parte carnis ad sentiendum cum virtute spirituali movente, & tertius qui non tantum dicit dispositionem cum virtute movente, sed etiam habitante, quæ inest ex anima perficiente, & subjungit: *Primò & secundò modò accipiendo sensualitatem, sic est in nobis à generante, quia cum semine deciduntur calores & spiritus, per quos caro disponitur ad sentiendum: transfunditur etiam simul cum hoc aliqua virtus animæ, quæ movet & regit & operatur usque ad formæ inductionem, tertiò modò sensualitas est in homine ab anima perficiente, quæ quidem non habet esse per generationem, sed per creationem.*



L. At hæc Doctrina coincidit cum nostra Sententia; quam infra explicabimus, & quam breviter exposuit P. Fabri adductus supra num. 47. ut etiam magis explicat D. Bonaventura in solutione argumentorum. Planè sensus Theologorum Parisiensium videtur explicari in Censura datâ à Stephano Parisiensi Episcopo de consilio Magistrorum Theologiæ anno Domini 1226. Die Dominicâ, quâ cantatur *Lætare Hierusalem*, prout refertur in fine libri Mag. Sent. edit. Parisien. an. 1553. à pagina 402. ibi enim sub titulo: *Errores de Anima & Intellectu*, pag. 405. tertiò locò hæc notatur proscripta propositio: *Item quòd ex sensitivo, & intellectivo non sit unum per essentiam, nisi sicut ex intelligentia & orbe, hoc est unum per appositionem:* Atque adeo sensus dicti Episcopi & Magistrorum est quòd ex sensitivo & intellectivo fit unum per essentiam, & consequenter substantia sensitiva est distincta in homine ab intellectiva; & corpus, quod anima intellectiva informat, est sensitivum præcisivè ab anima intellectiva: adeoque importat sensitivam distinctam ab ipsâ. Præterea ibidem in excerptis contra errores Fratris Joannis de Montesono, pag. 423. ad probandum quòd Doctrina D. Thomæ continet aliqua

in fide erronea, sic scribitur: » Item infra, q. 78. art. 3. & 6. in » quæstionibus disputatis tenet articulum de unitate formæ substan- » tialis in homine, qui est decimus-quartus articulus quintæ partis » de Evangelio æterno, damnatus per Alexandrum ». Unde, si tenendum censuerunt non esse unam formam in homine, bene potest cum rationali esse forma sensitiva distincta.

LI. Eadem distinctio sensitivæ à rationali in homine, & illius generatio, hujus autem creatio, ostenditur manifestè, saltem probabilius, ex eo quòd juxta D. Thomam, p. 1. q. 118. Art. 2. in embrione humano priùs generatur vegetativa, posteà sensitiva, & tandem infunditur anima rationalis per creationem, ac proinde juxta D. Thomam ejusque Discipulos probabile est in embrione humano generari vegetativam & sensitivam. Altera pars conclusionis D. Thomæ, videlicet quòd adveniente sensitivâ corrumpatur vegetativa, & quòd adveniente rationali corrumpatur sensitiva, ita quòd rationalis in virtute contineat vegetativam, & sensitivam, Censetur à plerisque esse contra ordinem naturæ, ita quòd plurimi potiùs negent illam animarum successionem, quàm convenire velint in illa earumdem corruptione. Ex hoc autem deducitur esse probabile generari in embrione humano vegetativam & sensitivam, cum in ipso ante adventum rationalis fiat membrorum apta coaptatio, quæ fieri debet per animam, aliter perfectior esset generatio bruti; & quia ordini naturæ repugnat, ut est plurimorum sententia, quòd forma præcedens corrumpatur per adventum rationalis, ideo est quoque probabile, quòd adveniente sensitivâ non corrumpatur vegetativa, nec adveniente rationali corrumpatur sensitiva.

LII. Sanè Doctores adversantes distinctioni formarum vel animarum in homine aliisque compositis, procedunt ex præjudicio præconcepto, videlicet quòd forma ex suî natura debet esse actus ultimus, ita quòd non potest ordinari ad aliam formam: similiter quòd anima ex suî natura ultimò debet complere corpus organicum, ac proinde in uno composito non potest dari nisi una anima. Hæc profectò eorum præconceptio reddit quæstionem de voce, & non de re; nam in sensu Lulliano forma est illa perfectio, quæ complet materiam in suo ordine, ac proinde in substantiis ordinatis sola ultima forma est actus ultimus & formæ ipsam præcedentes, licèt sint formæ in suo ordine, dum advenit forma alterius ordinis fiunt materia respectû illius. Unde, cùm homo sit elementalis, vegetans, sentiens, & rationalis, dum generatur homo ex humano semine priùs dispo-

nitur materia elementalis, cumque ipsa est rectè disposita, actuatur in ipsa forma vel anima vegetativa, & fit quoddam esse vegetatum; & quia hoc ordinatur ad esse sensatum, dum habetur sufficiens dispositio actuatur in ipso forma vel anima sensitiva, & fit esse sensatum, & hujus formæ materia non est sola substantia elementalis sed etiam forma vegetativa, quæ tunc respectû formæ sensitivæ est materia; & dum per creationem infunditur anima rationalis, nedum substantia elementalis, sed etiam vegetativa & sensitiva, fit illius materia, & totum hoc informatur ab anima rationali; & quia anima rationalis in ordine naturæ ultimò complet illas substantias, sicut vegetativa & sensitiva fiunt materia animæ rationalis, fiunt etiam potentiæ ipsius, ita quòd non agunt nisi in virtute & ex motu ipsius; prout supra num. 47. expositum fuit ex Patre Fabri.

LIII. Ampliùs videri potest probabilis hæc Doctrina ex sententia communiter recepta apud Medicos, & Physicos, videlicet dari in homine varios spiritus, nempè *naturalem*, *vitalem*, *& animalem*: Itaque istæ animæ vel formæ, quas admittit Lullus in homine, non sunt formæ per intellectum abstractæ, sed formæ physicæ, ita quòd per animam vegetativam, animam sensitivam, & animam imaginativam, quas præter rationalem admittit in homine, non aliud intelligit, quàm prædictos spiritus ab omnibus admissos, vel subtilem substantiam corpoream in ipsis spiritibus inclusam. Hæc eadem videtur esse Doctrina D. Bonaventuræ, in 2. dist. 1. ar. 4. q. 2. h. ubi, cùm sibi objecisset, quòd creaturæ corporalis ad spiritualem nulla est proportio, ut ex ipsis fiat creatura composita, ita respondet: « Quod » objicitur quòd in omni conjunctione debet esse salva proportio, » dicendum est, quòd in conjunctione animæ ad corpus salva est pro» portio, & absolutè, & in relatione ad finem. Absolutè, nam quam» vis supremum spiritûs & infimum corporis multam habeant elon» gationem, tamen supremum corporis, & infimum spiritûs sum» mam habent vicinitatem. Spiritus enim animalis sive rationalis ha» bet *potentiam vivificandi*, *potentiam vegetandi*, *& sensificandi*: cor» pus autem humanum habet complexionis æqualitatem, habet orga» norum multiplicitatem, habet rursus spirituum subtilitatem, & se» cundùm triplicem differentiam: habet enim *spiritum vitalem*, *spi-* » *tum naturalem*, *& spiritum animalem*. Comparando igitur complexio» nem æqualem, ac vim vivificativam per medium & vinculum spi» ritûs vitalis, optimus est nexus. Similiter comparando, non so» lùm complexionis æqualitatem sed & organisationem, & organi-

„ sationis perfectionem, ad vim vegetandi & sentiendi, mediante
„ *spiritu naturali*; *& animali*, optima est proportio, & mirabilis
„ nexus: Unde, sicut terra & ignis, quæ multùm distant, nectuntur
„ duplici mediô, unô quod magis communicat cum terra; & reli-
„ quô, quod magis cum igne: similiter est in proposito. Attenditur
„ etiam perfecta proportio in relatione ad finem. . . . Similiter ex
„ parte corporis est optima proportio in relatione ad finem; cùm
„ enim sit ordo in formis corporalibus, quod patet, quia forma
„ elementi ad formam mixti, & forma mixtionis ad formam com-
„ plexionis; & rursus *vegetabilis ad sensibile*; & non sit status in re
„ corporali & imperfecta, non est status ibi, *sed ulteriùs disponùnt*
„ *hujusmodi formæ ad animam rationalem*; per quam etiam corpus &
„ natura corporalis efficitur particeps æternæ beatitudinis: aut ergo
„ omnis intentio naturæ corporalis solvitur, aut necesse est per-
„ venire, mediante animâ rationalî, in ultimum finem. Quod obji-
„ citur: in opere Dei debet salvari naturarum colligatio, dicendum,
„ quòd verum est, sed *sensibile*, & *vegetabile* non sunt de necessitate
„ rationalis, nisi secundùm quod est rationale per unionem. Anima
„ enim, ut priùs tactum est, cùm sit spiritus simplex & purus, non
„ potest uniri carni, nisi duplicî mediô ex parte suî. Similiter nec
„ corpus complexionatum; & ideo necesse est quòd interveniat na-
„ tura vivificandi sive vegetandi, & natura ulteriùs sensificandi, &
„ ideo in omni homine hæc cadunt; sed quia Angelus est spiritus
„ purus; ideo istis non indiget.

LIV. Sanè D. Bonaven. nedùm admittit illos spiritus in homine, sed etiam conjunctionem vegetativi & sensitivi cum rationali in eodem; illi autem spiritus nihil aliud sunt, quàm anima vegetativa, anima sensitiva, & anima imaginativa in homine, quibus aptatur corpus humanum, ut sit materia, quam informat rationalis anima; & omnes illi Spiritus cum corpore, quod vivificant, sunt materia ipsius rationalis animæ, quæ dum informat corpus, illud movet, sicut etiam prædictos spiritus, ut vitales actus exerceat; & quia anima rationalis tanquam superior forma omnia prædicta regit & gubernat, ideo propriè ipsa est corporis forma, & anima; vegetativa verò, sensitiva, & imaginativa, cùm subdantur rationali, licèt unaquæque in se & per se sit forma & anima respectu corporis, dum sunt sub rationali, sunt ipsius potentiæ, non quidem constituentes ipsam, quemadmodum eam constituunt memoria, intellectus, & voluntas, sed subditæ ipsi & ab ea pendentes in esse & operari in homine: quod etiam

etiam insinuat ipse Doct. Seraph. in 2. dist. 3. art. 1. q. 1. ad 3. dicens : *Sic debuit Deus dare inclinationem tam corpori hominis, quàm sensualitati carnis, quòd in nullo præjudicaretur rectitudini rationis*. Unde Bercorius, in Diction. morali : verb. *Perseverantia*, sic scribit : « Anima rationalis in corpore, quamvis ultima veniat, est tamen omnium virtutum sive animarum completiva; anima enim vegetativa & anima sensitiva imperfectæ sunt naturæ; quinimò per istas animas nunquam homo constitueretur, nisi ultimata perfectio per rationalem animam adderetur, & nisi quod imperfectum fuerat, per ipsam ultimò compleretur. »

LV. Hinc patere videtur, Lullum in notata quæstione 89. *Utrùm anima sensitiva in hominibus sit à generante?* Rectè determinasse affirmativè prout validis probat rationibus. Et quidem prima ratio num. 1. descripta stat in eo, quòd communis & idem est modus sentiendi in homine ac in brutis, ac proinde commune & idem debet esse principium, nempè anima, sive vis sensitiva.,.adeoque distincta à rationali, & ob eamdem rationem distincta videtur agnosci sensitiva à rationali in homine à pluribus; & D. August. lib. 83. Quæst. in q. 7. scribit : « Anima aliquando ita dicitur, ut cum mente intelligatur, veluti cùm dicimus hominem ex anima & corpore constare : aliquando ita ut excepta mente dicatur. Sed cum excepta mente dicitur, ex iis operibus intelligitur, quæ habemus cum bestiis communia. Bestiæ namque carent ratione, quæ mentis semper est propria. » Et q.67. n.5. explicans, *quòd omnis creatura in homine numeratur*, hoc esse ait, *quia omnis creatura partim spiritalis est, partim animalis, partim corporalis..... qui autem spiritu animam regit, & per animam corpus, vocatur spiritalis*; & tandem concludit : *omnis creatura in homine est, quia & intelligit spiritu, & sentit animâ & localiter corpore movetur*. Huc etiam referri potest, quod ipse Augustinus, lib. 2. de lib. arbit. postquam à cap. 3. ostendit esse in nobis, sicut etiam in brutis, quòd sumus, vivimus, sentimus, & quodammodo sensu interiori discernimus, ostendit majus esse in homine id, quô sentit, quàm id quô est; & sensum interiorem, quàm id quô sentit externa; cap. 6. ostendit animam rationalem prædictis omnibus esse in homine præstantiorem; *namque*, ut ait, *in iis ipsis, quæ infra eam sunt, id est in corporibus & in sensibus corporis, & isto interiore sensu, quomodo sit aliud aliô melius, & quàm sit illis præstantior ipsa, quæ tandem nisi*

ipsa renuntiat? Similia docet D. Bernardus, serm. 3. in Vigil. Nat. Domini, num. 8.

LVI. Ponit Lullus in notata, q. num. 2. textum à relato Censore adductum, nempè: *Item, si anima sensitiva hominum esset à creante, & anima sensitiva brutorum à generante, sequerentur multa inconvenientia contra ordinem naturæ, sicut sequerentur, quòd* (si) *essent duæ albedines, duæ caliditates .... etiam duæ vegetativæ, & duæ elementativæ, &c.* Hæc Lulli ratio in hoc stat, quòd in ordine naturæ, ad omnia, quæ in natura conveniunt, est una generalis ratio, quæ uniformiter ad omnia se habet, ut patet in ratione albedinis & aliarum naturalium qualitatum, & signanter in elementativa, seu corporali substantia, quæ uniformiter se habet secundùm ordinem naturæ ad homines, bruta & cætera omnia naturalia: ac proinde, si sensitiva non uniformiter se haberet ad homines & bruta, quibus convenit, deficeret naturalis ordo.

Text. prop. 11.

LVII. Tertia Lulli ratio, num. 3. petitur ex simili naturali interitu hominis, & bruti, quem illa scripturæ loca adducta, num. 46. explicant, & ibi plures Interpretes: & ex alio item capite, quia videlicet æquè ex cadavere hominis, ac bruti generantur vermes, qui sunt sensati, ac proinde caro illa humana æquè affecta & disposita sub sensatione debet esse, ac brutalis; ut in ipsa sint sensationis principia, ex quibus oritur vermis sensatus, sicut sunt in carne brutali, cùm uniformis sit in eisdem naturalis ordo & operatio.

LVIII. Eamdem resolutionem probat Lullus, num. 4. quia, nisi sensitiva hominum esset à generante, plùs parentelæ esset inter brutum & brutum, quàm inter hominem & hominem, quia in illis nedùm fundatur parentela in substantia corporali, sed etiam in sensitiva, quod non esset in homine; & inde sequeretur etiam, quòd Beata Virgo non generasset carnem animatam in Christo, & quòd caro, quam Christus de Virgine sumpsit, non fuisset caro animata & vera, sed mortua; ac proinde propriè non fuisset caro, quia caro verè non est, nisi sub sensatione aliquomodo posita. Hanc rationem confirmant omnes illi Patres & Doctores, qui veram humanam carnem ex Maria sumpsisse Christum efficaciter probant. Eamdem rationem, quoad hominum generationem, illustrat Divus Gregor. Nissen. Disp. *de anima* & *resurrectione*, tom. 1. col. mihi 813: dicens: » Ac quemadmodum terra, si surculum ab radice avulsum, » ab agricolis acceperit, arborem inde efficit, non ipsa vim augescendi ei, quod nutritur, injiciens, sed incrementi dumtaxat ma-

» teriam atque subsidium sibi insitò immittens: ita dicimus etiam id
» quod ex homine avellitur ad hominis sationem, ipsum, quoque
» aliquomodò animal esse, ex animato animatum, & ex eo quod
» nutritur, id quod nutritur.... quemadmodum igitur in nascenti-
» bus seminibus incrementum paulatim ad perfectionem progreditur,
» eôdem modô in hominum quoque formatione atque constitutione,
» pro ratione atque proportione corporeæ magnitudinis, animæ quo-
» que potentia apparet atque elucet: primùm quidem per vim alendi
» simul atque augendi, iis, quæ in utero effinguntur, sese insinuans
» atque innascens: Post hæc verò donum sentiendi in lucem pro-
» ductis inducens, atque ita deinceps quasi fructum quemdam, auctâ
» jam plantâ, mediocriter exerens ac prodens ratione præditam vim;
» non universam simul in unum conductam repentè, sed unà cum
» surgente & excrescente planta per consentaneum & competentem
» progressum atque profectum crescentem & augescentem. Quoniam
» igitur id quod ab animatis ad materiam & causam animati constitu-
» tionis avellitur, mortuum esse non potest (mortalitas enim per
» animæ privationem fit: non autem privatio habitum anticipaverit)
» ex his deprehendimus, communem & in unum idemque tempus
» collatum ingressum & aditum ad essentiam patefieri & coagmen-
» tationi atque coalitioni, quæ ex ambobus, corpore scilicet & anima,
» constat & coalescit. Neque hoc priùs existente, neque illâ poste-
» riùs accedente. »

LIX. Hæc scripsit D. Gregorius, ut ostenderet quæ immediatè, refutatâ opinione de animarum præexistentia in peculiari quâdam statione, ante præmiserat, nempè; « Enimverò posteriorem esse
» originem animarum, ipsasque recentiores esse corporum compo-
» sitione, nemo sanâ mente præditus in animum induxerit, cùm ma-
» nifestum ac perspicuum sit omnibus, quòd nihil ex inanimis habeat
» in sese vim movendi pariter atque crescendi. At eorum, qui in
» utero nutriuntur, neque augmentum & incrementum, neque de
» loco, ad locum motus introversus & ambiguus est. Relinquitur
» igitur, ut putemus unum & idem animæ & corporis constitutio-
» nis principium esse ». Hoc autem, ut apparet ex dictis, intelligitur ordine quôdam, ita ut anima quoad potentiam vegetativam, prima insit fœtui, deinde quoad sensitivam, & tandem dum aptum est corpus, infundi rationalem, quæ simul est cum corpore, non quidem utcumque, sed cum corpore proportionato & disposito, quia hæc non est corporea nec traducitur à generante, quemadmodum

vegetativa, & sensitiva, sed creatur, & est incorporea, ut ipse ante prædixerat orat. *de festo Paschæ, & Resurrectione*, col. 736. *Nam anima quidem, si ipsa per sese examinetur & excutiatur, numquam resurget, quandoquidem non moritur, sed interitûs & corruptionis est expers. Cùm autem sit immortalis, mortale corpus socium habet actionum;* & postea col. 737. ipsam vocat *incorpoream*. In hac quoque Disputatione animam rationalem vocat naturam *invisibilem*, *incorpoream*, *materiæ expertem*, *& quæ mente solâ percipitur*; & similia sæpè repetit: unde col. 748 colligit ex ibi allegatis, *comprehensionem atque perceptionem fieri intellectualis & invisibilis essentiæ, quæ in natura nostrâ infusa, immixta, contemperata, atque abscondita est;* & col. 751. esse creatam affirmat animam rationalem.

LX. Ampliùs patent prædicta, & simul confirmantur insinuatæ rationes Lullianæ, ex ipso Nysseno, lib. *De hominis opificio*, cap. 9. ubi postquam tres gradus vitæ distinxisset, ait: « Idcirco Moses » inanimas res primùm, quæ animatorum tanquam imus quidam gra» dus essent, deinde naturalî vitâ prædictas, ortas esse tradit, quæ» nimirum plantarum germina erant: post hæc eorum, quæ sensu » agitantur, originem commemorat. Cùm autem consentaneum sit, » rerum corporearum vitâ præditarum eas quidem, quæ sentiendi » vim habent, etiam circa naturam intelligentem existere posse: vim » verò ratiocinantem in corpore non esse, nisi facultati sentiendi » quôdam modô commisceatur: idcirco post plantas & pecora, » homo demum conditus est, naturâ ordine ad creatum planè per» fectum progrediente. Nam animal hoc rationis particeps, quem » hominem dicimus, ex omni est animæ formâ quasi temperatum. » Perinde enim atque stirpium anima, quam naturalem diximus, » nutritur: deinde facultati accretionis etiam sentiens adhæret, cujus » est natura quasi media quædam inter animam illam primam rudio» rem, & tertiam intelligentem: tantò nimirùm intelligente crassior, » quantò illâ purior. Denique cum subtili & lucida natura sentiente » etiam intelligens aptissimô temperamentô conjungitur, ut jam tri» bus hisce rebus hominis opificium constet. Licèt hoc de Apostoli » verbis, quæ in Epist. ad Thessal. extant, intelligere.. Optat enim, » ut integra corporis, & animæ, & spiritûs gratia in adventum Do» mini conserveutur: Quibus in verbis, corporis appellatio partem » in homine nutrientem; anima, sentientem; spiritus, intelligen» tem notat ». Et cap. 11. » Quid igitur, inquies, naturâ suâ mens » hominis est, quæ per sensum diversas se facultates dedit, & per

„ has sibi rerum notitiam comparat? Diversum sanè quiddam esse „ mentem ab ipsis sensibus, qui ambigat, fore neminem, qui qui- „ dem sapiat, arbitror : : : : omninò censendum est, mentem aliud „ quiddam esse, quàm sit natura sensibilis, ne simplici rei, & „ quæ intelligentiâ comprehenditur, inesse diversa quædam sta- „ tuamus.

LXI. Neque contra distinctionem animarum in homine est, quod ipse Gregorius, ibidem, cap. 14. scribit, dicens: « Cæterùm, etsi „ superiori oratione declaratum est, triplex esse in vivendi facultate „ discrimen, ut alia sit vita, quæ quidem nutriatur, expers tamen „ sit sensûs: alia & nutriatur & sentiat, careat autem facultate ra- „ tionis: alia denique, & ratione utatur, & perfecta sit, perque fa- „ cultates cæteras omnes diffusa, ut in iis existat, & tamquam exi- „ mium quiddam intelligentiæ vim habeat : nemo tamen idcirco „ existimet *tres in humano opificio animas existere*, *seorsum quasi limi-* „ *tibus circumscriptas*, ut naturam hominis ex pluribus animis confla- „ tam putare debeamus. Nam vera & perfecta anima reapsè unica „ quædam est, intelligens, nullâ ex materia crassa constans, sed per „ sensus naturæ illi crassæ mixta ». Non itaque hæc Doctrina des- truit perfectam distinctionem sensitivæ à rationali, quia tantùm hîc negat Gregorius diversas animas in homine, *seorsum quasi limitibus circumscriptas;* non autem negat diversas naturas, vegetativam scilicet, & sensitivam, & rationalem, ita ut vegetativa sit subordinata & subdita sensitivæ, & sensitiva rationali, prout in superioribus docuit; istæ autem naturæ, vegetativa, & sensitiva, licèt sint distinctæ à rationali, propriè in sensu Divi Gregorii non sunt animæ, sed facultates animæ, quia subserviunt rationali, quæ ideò propriè dicitur anima, quia cæteras movet, & regit; & propterea, licèt concedat dictas naturas esse distinctas in homine, „ negat esse distinctas animas propriè tales, sicut negat etiam prædictas naturas in plantis, & brutis propriè dici animas, sed tantùm abusivè; & hoc non obstante, ipse concedit plantis naturam vegetativam, & brutis sensitivam distinctas à crassa materia.

LXII. Totum hoc explicat ipse, cap. 15. dicens: « Si quis autem idcirco plures esse animas opinatur, quòd creata nonnulla, fa- „ cultate nutriente sunt, prædita, nonnulla sentiente; cùm illa sen- „ su, ac intelligentiâ careant, is animarum discrimen non satis ex- „ plicatè declarat ». Et explicatò quid propriè, quid abusivè per aliquod nomen dicatur, subnectit : « Quamobrem, cùm ea de-

» mum perfecta sit anima, quæ & intelligentiâ & rationis est vi præ-
» dita: Quidquid scilicet tale non est, ei cum anima quidem no-
» men esse commune potest, reapsè verò non anima, sed *vivendi*
» *facultas* quædam erit, quæ more hominum animæ appellatione
» censeatur. . . . sed ab aliis ad alia progressa est ratio. Non enim
» instituimus ostendere mentem in homine naturâ crassæ materiei
» præstantiorem esse, *sed nullâ certâ parte corporis nostri mentem con-*
» *tineri.* Existere scilicet eam ratione pari in omnibus & per omnia
» atque ut exteriùs nihil complectatur: sic interiùs eam *non concludi*,
» quemadmodum cados aliaque corpora propriè se complecti dici-
» mus, cùm in aliis alia collocantur ». Conformiter ad prædicta de
hominis generatione ex materia animata & actuatione primùm natu-
ræ vegetativæ, posteà sensitivæ, quibus tandem conjungitur ratio-
nalis, scribit ipse Divus Gregorius, cap. 29. ubi post plura conclu-
dit: « Adeoque de hoc ipso potest homini non omnino hebeti, *ne-*
» *quaquam mortuum, & inanimum existere in officina naturæ*, quod,
» ad plantationem quasi quamdam animalis, de viri avulsum corpore
» in ea deponitur. Nam & fructuum grana, radicumque surculos
» terræ non mandamus, postquam insita eis à natura facultas vita-
» lis emortua fuerit, sed cùm adhuc eorum, à quibus orta sunt, vim
» propriam conservant, latentem quidem illam & abditam, sed ta-
» men vivam ». Dum verò moritur homo, sensitiva substantia in
ipso dissolvitur, remanet autem rationalis anima, ut scribit in *Ca-*
techetica oratione, cap. 8. dicens: « Ex natura ergo brutorum certô
» consiliô & dispensatione addita est mortalitas naturæ, quæ creata
» fuerat ad immortalitatem, id quod est ejus extrinsecus, contegens,
» non id quod est intrinsecus, *& sensilem hominis partem intercipiens,*
» *non attingens autem ipsam divinam imaginem.*

LXIII. Patet itaque, juxta Nyssenum generari in homine vege-
tativam, & sensitivam, ne de mortua carne vel substantiâ generetur
homo; quæ est ipsa Lulli ratio; & ex eodem confirmatur alia Lulli
assertio, quâ docet Christum de Matre Virgine vegetativam, & sen-
sitivam sumpsisse, ut de carne viva Filius ejus efficeretur; si enim
hoc in cæteris fit hominibus ex mente Nysseni, id abs dubio etiam
factum est in Christo, qui est perfectus homo, factus ex muliere:
ad quod alludunt plures Patres Græci docentes, Deum in Christo
assumpsisse Spiritum, per Spiritum animam, & per animam cor-
pus, ut videri potest apud Petavium, lib. 4. de Incarn. cap. 13. n.
8. plures enim Græci Patres etiam distingunt in homine Spiritum

ſive mentem ab anima. Sic Dydimus, lib. 3. *de Spiritu Sancto* explicans quibus rebus in Scriptura attribuatur nomen *Spiritus*, ſcribit: « Dicitur etiam, exceptâ animâ, & exceptô Spiritu Sancto, ſpi» ritus alius quis eſſe in homine, de quo Paulus (1. Corint. 2.) » ſcribit: *Quis enim ſcit hominum ea, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus* » *hominis, qui in eo eſt*.... ad Theſſalonicenſ. quoque, integer, in» quit ſpritus veſter & anima & corpus. *Sicut enim alia eſt anima*, » *& corpus aliud, ſic & aliud eſt ſpiritus ab anima, quæ ſuô locô ſpe*» *cialiter appellatur*: de quo & oravit, ut integer cum animâ ſerve» tur, & corpore ». Et infra: « Non enim advertentes quòd ani» mam hominis, aut ſpiritum, quem tertium in homine eſſe, jam » diximus, ſpiritûs appellatio ſignificet.

LXIV. Ad idem collimant verba Divi Auguſtini adducta ſupra, num. 35. in quibus ſæpè repetit, ſpiritum & animam à Deo fuiſſe ad integritatem Incarnationis ſuſceptum: quod idem confirmat ipſe Sanctus Pater eôdem librô *de Agone Chriſtiano*, cap. 21. dicens: « Nec eos audiamus, qui ſolùm corpus humanum ſuſceptum eſſe » dicunt à Verbo Dei.... Nam ſi abſurdum eſt & valde indignum, » ut humanum ſpiritum homo ille non habuerit, ſicut ſuperiùs trac» tavimus; quantò magis abſurdum & indignum eſt, ut nec ſpiritum » nec animam habuerit; & hoc ſolùm habuerit, quod etiam in pe» coribus vilius eſt & extremius, id eſt corpus? A noſtra ergo fide » etiam iſta impietas excludatur, totumque hominem atque perfec» tum à Verbo Dei ſuſceptum eſſe credamus ». Eiſdem Auguſtini Doctrinis illuſtratur etiam alia Lulli ratio, quam, num. 5. exponit, ſcilicet, quòd, niſi vegetativa, & ſenſitiva fuiſſent in Chriſto genitæ, Filius Dei per ſuam carnem aſſumptam non participaret in parentela cum humano genere per ſenſitivam & vegetativam; & per conſequens non potuiſſet recreare humanum genus, cùm ſenſitivum, & vegetativum humani generis fuerit in primis Parentibus vitiatum; ſi tamen vegetativum & ſenſitivum hominùm non generaretur, & traduceretur, ſed crearetur, non fuiſſet corruptum, & vitiatum in primo homine ſed pura elementalis natura. Ad quod alludens D. Bonavent. in 3. diſt. 2. art. 2. q. 2. num. 3. ait: *Quòd Chriſtus aſſumpſit veram carnem, verum corpus, & veram animam cum ſuis potentiis, vegetabili, ſenſibili, & rationali.*


LXV. Tandem ultima Lulli ratio, quam num. 6. ſcribit, ſtat in hoc, quòd niſi vegetativa & ſenſitiva omnium hominum, ac conſequenter in Chriſto, eſſent à generante, bruta & plantæ per ſenſiti-

vam & vegetativam non possent participare cum Christo, nec cum hominibus. Hæc etiam Lulli ratio à Divo Bonavent. illustratur, in 3. dist. 2. art. 1. q. 2. ubi probans quòd major fuit congruentia ad unionem cum Verbo in creatura humana, quàm in Angelica, hanc adducit rationem: « Tertia ratio est propter multiplicem hominis » compositionem. Quia enim homo compositus est ex natura cor- » porali & spirituali, & quodammodo communicat cum omni crea- » tura, sicut dicit Gregorius, hinc est, quòd cùm humana natura » assumitur & deificatur, quodammodo omnis natura in ea exalta- » tur, dum in suo simili Deitati unitur ». Divus etiam Damascenus, Orat. 1. *de Nativit. B. Mariæ*: ait: *Per eam quippe creator naturam omnem, interjectæ humanitatis beneficiô, in melius commutavit;* & infra: *Profectò etiam artifex Dei Verbum humanæ naturæ copulatum, per eam cum universis rebus conditis unitum est.*

LXVI. Ex dictis sufficienter patere puto, quantô fundamentorum momentô nitatur Lulli Sententia de generatione animæ sensitivæ in homine, ac de ipsius distinctione à rationali; nec contra eam obstat illud, Gen. 2. *& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem:* quasi sola anima rationalis, quæ est spiraculum vitæ, sit forma vivificans, & consequenter nulla alia sit in homine forma vivificans; imò quia ex phrasi hebraïca dicitur *spiraculum vitarum*, videtur indicari animam rationalem, quæ per illam inspirationem intelligitur creata, tribuere corpori omnem vitæ rationem, scilicet vegetativam, sensitivam, & rationalem, prout ex hoc textu deducit Cajetanus apud Pererium in Genesim, lib. 4. q. 4. num. 108. Non inquam obstat, quia anima rationalis, quatenus est forma completiva & perfectiva totius humanæ corporeæ naturæ, complet & perficit, nedùm substantiam elementalem, sed etiam vegetativam & sensitivam, & ratione hujus complementi & perfectionis post unionem cum corpore est vegetationum, & sensationum principium, non quidem proximum sed remotum, quia movet vegetativam ad vegetandum, & sensitivam ad sentiendum, cùm istæ, ob subordinationem ad rationalem, fiant potentiæ ipsius eidem subditæ, & ab eadem dependentes in esse & operari; & propterea recedente rationali, corrumpuntur ipsæ; & hoc idem insinuat ipse Cajetanus dicens, animam rationalem uti ad vitales hominis functiones triplici spiritu, tamquam instrumento, vitalî scilicet, naturalî, & animalî, nam forma vegetativá, forma sensitiva, & forma imaginativa, quæ in homine præter rationalem agnoscuntur à Lullo, sunt

sunt ipsimet relati spiritus ; vel isti, quoad id quod important de elementali substantia, sunt ipsarum necessarium & inseparabile vehiculum.

LXVII. Tantùm autem abest, ut ex hoc loco Scripturæ, imò ex Canone octavæ Synodi relato supra num 39. aliisque fundamentis pro parte adversa allegatis, deducatur erroneam esse Sententiam de distinctione vegetativæ, & sensitivæ à rationali in homine, quòd Pererius loc. cit. licèt amplectatur doctrinam de unica hominis anima, hæc num. 122. scribit : „ Alii tamen docti Viri, ut verum „ censent unam esse tantùm animam in homine, ita putant id non „ esse unquam definitum secundùm Fidem Catholicam, ut contraria „ Sententia sit damnanda tamquam hæretica : dummodo enim po- „ natur talis esse anima rationalis in homine, qualem facit eam fides „ catholica, scilicet immortalem, formam essentialem hominis, & „ multiplicatam pro multitudine hominum, utrum præter eam sint „ in homine anima sensitiva & vegetativa illi subordinatæ, quæ dent „ homini esse vegetativum & sensitivum, nec-ne, nihil omnino re- „ ferre arbitrantur ad rationem fidei catholicæ ; neque enim hoc „ unquam expressum est, vel in Scriptura, vel in Conciliis, neque „ à Patribus, ut dogma Fidei, traditum est; neque Theologi Nomi- „ nales, qui tres animas in quolibet homine esse censent, ullô „ tempore sunt damnati ab Ecclesia ut hæretici. Nam quod in su- „ pradictis locis dicitur, non esse duas animas in homine, facilè „ intelligitur, sermonem haberi de duabus animabus, quarum una „ sit vivificans, altera verò non vivificans, sed tantùm rationem „ ministrans, & quasi assistens : vel quarum una sit à Deo, & de „ substantia Dei, altera verò sit ab alio quodam principio, sicut „ dicebant Manichæi. Non autem dominantur (fortè *damnantur*) „ qui multas animas ponunt in homine, modô quô supra exposui- „ mus, & quemadmodum opinantur Nominales.



DISSERTATIO II.

De Propositione 12. & sequentibus, usque ad 17.

§. I.

Solùm intelligit in Propositione 12. Lullus, Deum de potestate ordinata non potuisse sibi unire creaturam irrationalem.

I. HÆc duodecima propositio sic scribitur : *Deus cum sua potestate facere non potest contra magnam bonitatem & virtutem suæ sapientiæ, & voluntatis : quod posset, si potuisset sibi unire aliquam creaturam irrationabilem, sicut sibi univit naturam humanam. Et hoc facere contradictionem implicat.* qu. 93. Sent. num. 1.

Censura : *Propositio est temeraria, cùm loquatur de potentia absoluta Dei.*

II. Deum non posse assumere naturam irrationalem, adhuc de potentia absoluta, apud Suarez, in 3. part. disp. 14. sec. 2. tenet Alensis 3. p. q. 2. mem. 7. & clariùs, q. 11. mem. 1. & q. 12. mem. 1. art. 1. quod etiam deducitur ex q. 7. mem. 2. art. 1. Hoc etiam tenent Henricus quodlib. 13. q. 5. Cartusian. dist. 2. q. 2. art. 3. Picus Mirandul. in Apolog. conclus. 4. eamdemque ut probabilem defendunt Richar. dis. 2. art. 1. q. 4. Gabriel, dist. 2. q. 2. apud Bernal. hîc. Eamdem absolutè tenet Petrus Hurtadus, disp. 1. de Anima, sec. 6. & de Incarn. disp. 43. sec. 2. apud Mastr. hîc eamdem tenet Pasqualig. disp. 78. sect. 9. Apud Berti, lib. 26. Theol. disc. cap. 20. pag. 77. Tournelius, apud Cabrera, in 3. p. q. 4. art. 1. disp. 3. etiam Marsilius, in 3. q. 3. Hanc Sententiam, licèt non sequatur, dicit tamen Lorca, in 3. part. disp. 27. *Sed certè non est, quò Sententiam illam erroris convincere possimus.* Præterea, non obstante omnipotentiâ Dei, Schmier. tom. 1. trac. de Incarn. q. 14. n. 126. sic resolvit : *Materia prima separatim ab omni forma substantiali non potest assumi.* Et num. 127. sic : *Probabilius est nec formas materiales à materia separatas, ad subsistentiam divinam assumi posse :* quas conclusiones defendit cum aliis Autoribus, quos citat.

III. Hinc planum est Sententiam docentem, quòd Deus adhuc

de potentia absoluta non potest assumere naturam irrationalem, sicut assumpsit humanam, non esse temerariam, ut notat laudatus Censor, cùm apud Autores citatos gravi fundamentô nitatur : unde Palacios, in 3. dis. 2. disp. 1. hæc scribit : *Disputatio hæc cæterarum mores habet, est enim difficilis, ut cæteræ, & controversa ut cæteræ :* & pro hac citat Albertum Magnum, dist. 2. q. 1. & art. 1. Porrò altiùs fundari potest hæc Sententia in Doctrina plurimorum Patrum, qui, apud Petav. Theolog. dogm. tom. 4. lib. 4. de Incarn. cap. 13. Verbum non nisi mediante animâ carni fuisse unitum constanter docent, ita ut aliter fieri non potuerit : quod sanè animadversione dignum est ; nam dicti Patres procedunt contra Appollinarem, qui docuit Verbum assumpsisse carnem absque anima rationali : unde, si potuisset assumi à Verbo natura irrationalis, potuisset ab ipso assumi caro sine anima rationali, ac proinde argumenta ipsorum contra Appollinarem nullam inducerent necessitatem, nec dictum hæreticum convincerent.

IV. Audiantur aliqui eorum, cùm reliquos ibi relinquam videndos. Divus Greg. Nazian. in Senariis adversus Appolinarium ita scribit : *Quoniam autem misceri nequit cum carne Deus : anima verò & mens, velut in interjecto spatio, sunt carnis quidem velut contubernalis, & ut Imago Dei : Cum cognato mista Dei natura, illinc habuit & crassæ molis societatem.* Sophronius Hierosolim. in Epist. synod. ad Sergium : *solam amplectimur inconfusam & impartibilem divinitatis & humanitatis unitionem secundùm animam, quam solam agnoscit naturalis secundùm hypostasim conventio ; hujus enim beneficio divinitas, & humanitas istud habuerunt, ut neque mutationem expertæ sint, neque divisionem passæ.* Divus Ambrosius, Tract. in symb. Apost. cap. 13. *Verbum & substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, corpori humano inseri non poterat, nisi aliqua spiritali naturâ mediante, id est animâ ; animâ ergo rationali mediante Verbum Dei, opificio Spiritûs Sancti, carnem assumpsit.* Ruffinus, in idem Apost. symbol. *Sed nec illud quidem ab absolutione vacare hujus quæstionis omittam, quòd substantia Dei ; quæ per omnia incorporea est, inseri corporibus, vel capi ab eis principaliter, non potest, nisi aliqua media sit substantia spiritualis, quæ capax esse divini Spiritûs possit ; verbi gratiâ, ut si dicamus, lux omnia quidem membra corporis illustrare potest ; à nullo tamen eorum, nisi à solo oculo, capi potest ; solus enim oculus est, qui capax sit lucis. Et Filius ergo Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed animâ inter carnem Deumque mediâ generatus.*

V. Pro hac eadem sententia citatur Divus Bonaven. in 3. dist. 2. part. 1. q. 1. ubi principaliter resolvit quòd major fuit congruitas ad unionem in rationali creatura, quàm in toto universo; at istiusmodi resolutio supponit potuisse fieri unionem in creatura irrationali; in explicatione tamen hujus resolutionis aliqua tenet, quæ huic favent sententiæ, nam de tota creaturarum universitate dicit: *Propterea non est idonea ad unionem cum Persona divina, sicut rationalis creatura;* Deinde ait: *Habet etiam* (universum) *partes carentes vitâ, & ratione, & sensu, & ideo deficientes ab excellentia proprietatis personalis, & propter hoc non habet idoneitatem ad unionem in unitate Personæ;* & in solutione ultimi Argumenti sic scribit: *Ad illud quod opponitur, quòd magis manifestatur divina bonitas, sapientia & potentia, si assumeret universum, dicendum quòd falsum est, quia facere per unionem, quòd asinus fieret Deus, vel aliud aliquod brutum, potiùs dedeceret divinam potentiam, & sapientiam, quàm commendaret; facere autem, quòd homo sit Deus, in nullo præjudicat nec potentiæ, nec sapientiæ, cùm homo natus sit effici deiformis.* Unde cùm S. Doctor non agnoscat in irrationalibus idoneitatem ad unionem cum Deo, & fateatur Deum dedecere fieri asinum, videtur negare Deum posse assumere creaturam irrationalem.

VI. Divus Thomas, 3. part. quæst. 4. art. 1. pertractat eamdem difficultatem, & absolutè resolvit, quòd *sola natura humana sit assumptibilis;* & licèt ejus Discipuli hoc interpretentur de majori convenientia naturæ humanæ ad assumptionem, tamen ex ejus verbis videtur posse inferri quòd loquitur de absoluta assumptibilitate; nam in corpore dicit, *quòd aliquid assumptibile dicitur, quasi aptum assumi à divina Persona; quæ quidem aptitudo non potest intelligi secundùm potentiam passivam naturalem; atque ita aliquid dicitur assumptibile secundùm congruentiam ad unionem prædictam;* & quia hæc congruentia, ut probat, soli humanæ naturæ convenit, ideo concludit, *quòd sola natura humana sit assumptibilis.* Deinde ad 1. posito exemplo de morbo incurabili secundùm propria subjecti principia, subjungit: *sic ergo dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potentiæ divinæ, sed ad ostendendum conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinem non habet:* quibus verbis videtur dicere, quòd, quamvis Deus de se possit illam assumere, illa tamen non potest assumi, quia non habet aptitudinem: sicuti, licèt Deus quantum est de se potuit producere mundum æternum, mundus tamen non potuit esse æternus. In responsione ad 2. negat congruitatem in creatura irrationali ad unionem, illamque incongruitatem probat; & in respon-

sione ad 4. repetit quòd *universi plurimæ partes non sunt assumptibiles;* atque ita sola humana natura est assumptibilis. Ipse tamen, ut notat Palacios loco citato, in 3. sent. dist. 2. q. 1. dicit Deum secundùm potentiam ordinariam non posse assumere creaturam irrationalem, benè tamen ex absoluta sua potentia.

VII. Ex hucusque relatis manifestum est immeritò Lullum inuri præfatâ Censurâ, adhuc supposito quòd assereret, Deum potentiâ absolutâ, non posse assumere creaturam irrationalem, cùm hæc sententia gravibus nitatur fundamentis, & tot tantosque habeat Patronos; at multò magis indebita videbitur prædicta Censura, attento Lulli sensu, & determinato modo loquendi circà assumptibilitatem creaturæ rationalis; quia in summa idem docet ac Doctores Seraphicus & Angelicus in locis adductis; prout fit patens ex analysi notatæ q. 93. lib. Sent. quâ inquirit: *Utrùm Deus sibi potuerit unire aliquàm creaturam irrationalem, sicut sibi univit humanam naturam?* Ubi maximè est notandum, non inquiri absolutè: *Utrùm Deus sibi potuerit unire aliquam creaturam irrationalem?* Sed restrictè: *Sicut sibi univit humanam naturam;* in ista autem restrictione, præter varios sensus, quì possunt intelligi, magis obvius est iste: Utrùm possit fieri hæc unio, sicut unio cum humanitate, ita ut sicut de facto sibi univit Deus humanam naturam, & nullam aliam assumpsit, ita possit sibi unire creaturam irrationalem, omissâ assumptione humanitatis.

VIII. In hoc sensu discurrit Lullus, num. 1. sic, & est Textus notatæ propositionis: *Deus cum sua potestate non potest facere contra magnam bonitatem & virtutem suæ sapientiæ & voluntatis; quod posset, si sibi potuisset unire aliquam irrationalem creaturam, sicut sibi univit humanam naturam; & ratio hujus est, quia divina sapientia & voluntas non possent ita* (id est, isto modo) *participare cum irrationali creatura per intelligere & diligere, sicut* (id est, prout) *possunt in humana natura Christi; cùm irrationalis creatura non habeat sapientiam nec voluntatem, cum quibus possit intelligere, & amare Deum; homò verò habet illas; cùm in Christo divinum intelligere & amare participent cum humano intelligere, & amare* (id est, mutuò sibi correspondent per intelligere & amare) *ad quam participationem concurrunt divinum bonificare, & humanum bonificare Christi, & sic de magnificare, & magnificare, &c. & quia talis participatio non potest esse sine rationali natura, non potest Deus sibi ipsi injuriari, nec de se ipso suo effectui; quod faceret toti universo, & humanæ naturæ, quam assumpsit, si affirmatio quæstionis esset tenenda: in qua scilicet humana natura, quam assumpsit,* Text.pr.11.

potest esse finis omnium corporalium entium, mediante animâ Christi conjunctâ cum corpore, sine qua omnia corporalia entia non possunt in Deo attingere finem, cùm Deus sit immobilis, inelementabilis, invegetabilis, insensibilis, inimaginabilis; & sit recolibilis, intelligibilis, & amabilis: Ergo sequitur quòd negatio quæstionis sit tenenda.

IX. Tota hæc ratiocinatio fundatur in illa propositione: *Deus cum sua potestate non potest facere contra magnam bonitatem & virtutem suæ sapientiæ & voluntatis*, quam Lullus ut certam supponit, quia nunquam Deus suismet perfectionibus contraire potest; hæc autem contrarietas, non accipitur pro contrarietate positiva, sed potius pro negativa; id est, Deus non potest facere nisi juxta suam sapientiam, & voluntatem, & secundùm quod scit sua sapientia, & voluntas vult; & hinc colligitur, non loqui Lullum de potestate absoluta, sed tantùm de ordinata. Ad quod intelligendum adverto, quòd, cùm perfectiones Dei sint ad invicem æquales, æqualiter ordinantur ad invicem; & sic potestas ordinatur ad sapientiam, & voluntatem; & econversò sapientia, & voluntas ordinantur ad potestatem: potestas quatenus est ordinata ad sapientiam, & voluntatem est potestas ordinata, & sic quatenus ordinata tantùm potest secundùm quod scit sapientia, & vult voluntas; potestas autem, quatenus ad eam ordinantur sapientia & voluntas, est potestas absoluta, & sic potest quidquid est absolutè possibile, & non tantùm quod est secundùm sapientiam & voluntatem: unde, cùm Lullus in hoc discursu statuat pro fundamento, Deum non posse facere contra suam sapientiam, & voluntatem; id est, non posse facere nisi quod est juxta sapientiam, & voluntatem, propterea tantùm loquitur de potestate ordinata.

X. Hoc ampliùs ostenditur ex ratione, quâ probat, quòd Deus posset facere, contra ipsas, si potuisset sibi unire aliquam irrationalem creaturam, sicut sibi univit humanam naturam; nam hæc ratio stat in hoc, quòd ad divinam sapientiam spectat sibi unire naturam, cum qua mutuò participet per intelligere, & velle, ita ut eam intelligat, & velit, ab eaque intelligatur, & ametur: hujusmodi quoque naturæ unio digna est ut à Deo ametur, ita quòd hæc Dei & naturæ unitæ participatio sit juxta divinam & creatam bonitatem, magnitudinem, &c.; & cùm hæc participatio non possit haberi per unionem cum creatura irrationali, quæ caret intellectu, & voluntate, haberi autem posset per unionem cum natura humana, ideo unio cum natura irrationali, prætermissâ unione cum humana natura,

esset contra, seu non esset juxta divinam sapientiam & voluntatem. Præterea talis participatio est competens magnitudini & perfectioni divinæ sapientiæ & voluntatis, & ita justum quodammodò est quòd Deus ita sapienter, & amorosè participet cum creatura, & quòd creatura tali participatione exaltetur; & quia talis participatio non potest esse sine rationali natura, si, unione ipsius prætermissâ, uniret sibi Deus creaturam irrationalem, sibi ipsi imjuriaretur, quatenus non faceret quod justum est juxta suam sapientiam, & voluntatem, & suo effectui pariter quodammodo imjuriaretur, quatenus creaturam privaret illâ participatione, quæ juxta sapientiam, & voluntatem Dei competit eidem.

XI. Alia ratio, quam exponit Lullus est, quòd ad sapientiam & voluntatem Dei spectat, ita de rebus disponere, ut omnia Deum, qui est eorum finis, consequantur, aliter frustra esset Deus eorum finis; at cùm Deus sit immobilis, inelementabilis, invegetabilis, insensibilis, & inimaginabilis, nulla talium naturarum potest immediatè Deum consequi; quia verò Deus est recolibilis, intelligibilis, & amabilis, & creatura rationalis est recolitiva, intellectiva, & amativa, ideo omnes aliæ creaturæ, mediante rationali, possunt Deum consequi, ita tamen ut omnes dictæ creaturæ cum rationali uniantur tamquam in proprio fine; & quia solùm in humana natura uniuntur tamquam in fine, ad quem ordinantur, ideo, nisi uniatur humana natura cum Deo, universum consequi non potest suum finem in Deo; quod est contra Dei sapientiam & voluntatem.

XII. Profectò omnes istæ rationes eò collimant, ut ostendant, unionem divinæ naturæ cum humana debuisse fieri, & non potuisse fieri unionem ejus cum natura irrationali, prætermissâ unione cum rationali, quia divina sapientia & voluntas, quibus correspondet ordinare & disponere illam unionem, quâ perfecta habeatur participatio naturæ increatæ, & creatæ, & quâ totum universum Deum suum finem consequatur, & ab ipso Deo in bonitate, magnitudine, &c. exaltetur, exigunt & petunt hujusmodi perfectam unionem, vel quia decet Deum tantùm posse agere quod convenit divinæ sapientiæ & voluntati; & quia hæc omnia tantùm conveniunt potestati ordinatæ ad sapientiam, & voluntatem, non autem potestati absolutæ, seu potestati, quatenus ad eam sapientia, & voluntas ordinantur, quia hujusmodi potestas, cùm non sit ad aliquid determinata per ipsas, potest omne possibile: ideo dum Lullus hîc resolvit, Deum non potuisse sibi unire aliquam creaturam irrationalem, sicut sibi

univit humanam naturam, tantùm loquitur de potestate ordinata; non autem de absoluta.

XIII. Antequam ad cætera explicanda procedam, notare oportet, illam primam rationem, quâ probat Lullus, Deum non potuisse assumere creaturam irrationalem, exponi à Divo Thoma, part. 3. q. 4. art. 1. ubi in corpore ait: *Unde relinquitur, quòd assumptibile aliquid dicatur secundùm congruentiam ad unionem prædictam; quæ quidem congruentia attenditur secundùm duo in humana natura, scilicet, secundùm ejus dignitatem, & necessitatem: secundùm dignitatem quidem, quia humana natura, in quantum est rationalis & intellectualis, nata est attingere aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet & amando ipsum... Unde relinquitur, quòd sola humana natura sit assumptibilis;* & ad secundùm sic scribit: *Quod autem deficit à minori, non habet congruitatem ad id, quod est majus: sicut corpus, quod non est aptum perfici animâ sensitivâ, multò minus est aptum perfici animâ intellectivâ. Multò autem major, & perfectior est unio ad Deum secundùm esse personale, quàm quæ est secundùm operationem* (cognitionis, & amoris, ut prædicit) *& ideo creatura irrationalis, quæ deficit ab unione ad Deum per operationem, non habet congruitatem, ut uniatur ei secundùm esse personale;* & ad quartùm dicit, *quòd universi plurimæ partes non sunt assumptibiles, ut dictum est: unde relinquitur, quòd sola natura humana sit assumptibilis.*

XIV. Circa hæc Divi Thomæ verba observandum est, quòd eamdem conclusionem statuit, ac Lullus, videlicet: *Sola humana natura est assumptibilis*, quod idem est ac: *Deus non potuit sibi unire creaturam irrationalem, sicut sibi univit humanam naturam*, prout resolvit Lullus. Divus Thomas deducit præfatam conclusionem ex idoneitate humanæ naturæ ad cognoscendum & amandum Deum, & ex inidoneitate creaturæ irrationalis ad dictam operationem. Fundatur quoque Lullus in prædicta idoneitate & inidoneitate, & insuper in exigentia divinæ sapientiæ & voluntatis; atque ita pari currunt passu. Notanter porrò est observandum, quòd, licèt Divus Thomas in propositione Articuli inquirat: *Utrùm natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia creatura?* Tamen in conclusione art. absolutè & positivè resolvit, quòd *sola natura humana sit assumptibilis*, & quòd *universi plurimæ partes non sunt assumptibiles.*

XV. Observare etiam oportet, quòd Divus Bonavent. ex relatis, num. 5. quamvis in tit. quæst. 1. dist. 2. in 3. agat de majori congruitate ad unionem, tamen propter eamdem Divi Thomæ rationem

nem negat in creaturis irrationalibus absolutam idoneitatem ad præfatam unionem, & in responsione ad ultimum argumentum, ex eo, quòd dedeceret divinam potentiam & sapientiam, quòd asinus fieret Deus, negat talem congruitatem, & sic quoad hoc etiam cum Lullo coincidit. Ipse quoque ibid. q. 2. *Utrùm major sit congruitas ad unionem in humana natura, quàm in Angelo, an è converso?* utitur eâdem ratione, quâ Lullus in textu adducto, circa consecutionem Dei ab omni creatura, mediante humanâ naturâ; nam ad ostendendam hujus majorem congruitatem in resolutione quæstionis sic scribit: *Tertia ratio est propter multiplicem hominis compositionem, quia enim homo compositus est ex natura corporali & spirituali, & quodammodo communicat cum omni creatura, sicut dicit Gregorius; hinc est quòd, cùm humana natura assumitur & deificatur, quodammodo omnis natura in ea exaltatur, dùm in suo simili, Deitati unitur. Et hinc est quòd assumptio humanæ naturæ plùs facit ad totius universi perfectionem, quàm angelicæ; & ideo major est in ea congruitas ad unionem, etiam secundùm suam institutionem.* At hæc ratio, quæ coincidit cum illa ex Beato Lullo descripta, ampliùs militat contra assumptibilitatem naturæ irrationalis.

XVI. Revertentes ad textum hujus quæstionis, notari debet, quòd num. 2. objicit Eremita, Deum, eò quia sua potestas est infinita, omnia posse in creatura, ex quo concludit, *quòd Deus ita potuisset assumere aliquam irrationalem creaturam, sicut sibi univit humanam naturam:* Ad hoc autem, num. 3. respondet Lullus; & primò ad primam consequentiam ex infinita Dei potestate, dicit, quòd *tria sunt quæ Deus non potest facere, unum est quòd non possit facere aliquam essentiam sibi æqualem simpliciter, nec secundùm quid; aliud est quòd non possit facere contradictionem; tertium est quòd non possit facere peccatum:* hoc probat, & posteà ad secundam consequentiam de potestate uniendi sibi creaturam irrationalem ita subjungit: « Unde, sicut probavimus quòd rationalis creatura non possit obedire Deo per prædictos tres modos, ita etiam per consequens non potest illi obedire irrationalis creatura, quòd cum ipso sit unita, quia ex hoc sequerentur inconvenientia, quæ supra diximus (id est in ratione conclusionis relata supra, num. 8.) & etiam contradictio & peccatum; ergo tua ratio non valet ». Nota quòd in exemplari antiquo; licèt valde corrupto, solùm in fine hujus quæstionis sic habetur: *Ex hoc sequeretur etiam contradictio;* & omittitur ly *& peccatum.*

XVII. Sanè illa, quæ, in responsione ad primam Argumenti consequentiam, dicit Lullus Deum non posse facere, nec de potentia Dei absoluta possunt esse; inde tamen non sequitur, quòd dum dicit: *Sicut probavimus, quòd rationalis creatura non possit obedire Deo per prædictos tres modos, ita etiam per consequens non potest illi obedire irrationalis creatura, quòd cum ipso sit unita*; intelligat, hanc unionem non posse esse adhuc de potentia absoluta; quia comparatio, quæ ibi fit, non est secundùm æqualitatem, sed secundùm proportionem, quoniam non loquitur in utroque extremo de eadem potestate, sed in uno agit de potestate ordinata, & in alio de absoluta, quia dùm dicit Deum non posse facere illa tria, loquitur de potestate secundùm se, & inspectâ rerum essentiâ; quæ enim dicit Deum non posse facere, nempe æqualitatem creaturæ cum Deo, contradictionem, & peccatum, omnia ex propria essentia repugnant à Deo fieri; atque ita tunc loquitur de potestate absoluta; dum verò dicit Deum non posse unire sibi creaturam irrationalem, solùm hoc fundat in sapientia & voluntate Dei exigentibus illam participationem Dei & creaturæ per cognitionem & amorem, & illud complementum ac exaltationem universi, non autem de hoc fundat in essentiali repugnantia creaturæ irrationalis ad unionem cum Deo absolutè sumptam; atque ita quoad hoc tantùm loquitur de potestate ordinata.

XVIII. Unde, Deum non posse æquare sibi creaturam, facere contradictionem, & peccatum, est, non posse *absolutè*; non posse autem sibi unire creaturam irrationalem, est, non posse *ex suppositione*, id est, ex suppositione quòd Deus sciat & velit illam participationem mutuam, & complementum universi; ac proinde dum dicit, quòd si creatura irrationalis esset Deo unita, sequeretur *contradictio & peccatum*, non intelligitur absolutè, sed ex suppositione, id est, suppositâ illâ scientiâ, & voluntate Dei; & si fieret unio cum sola creatura irrationali, esset ex scientia & voluntate Dei illa major participatio, & non esset, ratione talis unionis; esset etiam peccatum, quia non observaretur illa rectitudo à scientiâ, & voluntate Dei præscripta; nec servaretur creaturæ illud qualecumque jus sibi ex scientia, & voluntate Dei dimanans ad illam participationem ac complementum & exaltationem, quæ eidem ex divino beneficio competerent per unionem humanæ naturæ cum Deo; atque ita Lullus per illa verba: *& etiam* (sequeretur) *contradictio & peccatum*, non in-

tendit negare absolutæ potestati Dei posse sibi unire creaturam irrationalem.

XIX. Hæc omnia clariùs patent ex quæstione 99. ubi quærit : *Utrùm Deus debuerit assumere humanam naturam ?* Nam hæc quæstio coincidit cum notata quæstione 93. si enim Deus debuit assumere humanam naturam, non potuit assumere creaturam irrationalem; atque ita eô modô, quô debuit illam assumere non potuit istam sibi unire : Unde, cùm solùm doceat, Deum debuisse incarnari, debitô ordinationis suæ potestatis ad suam scientiam, & voluntatem, non autem debitô absolutô, ideo non posse sibi unire irrationalem creaturam, non est non posse potestatis absolutæ, sed tantùm ordinatæ. Audiatur in hac q. 99. num. 1. ubi sic discurrit : « Quando » Deus creavit mundum de nihilo, mundus quoad se nullumjus habebat nec dignitatem erga Deum, quòd ipsum debuisset creare, » quia, si habuisset, jam mundus fuisset aliquid, sed Deus per suam » liberam voluntatem voluit creare mundum, & facere gratiam (hoc » est, gratis ipsum creare) unde, sicut Deus per voluntatem li- » berè voluit creare, ita per suam bonitatem liberè voluit creare » bonum, & sic de magnitudine, &c. & quia sic voluit, per eum- » dem modum debuit, postquam voluit, & postquam sua bonitas » requirebat producere bonum, & sua magnitudo, magnum, &c. » Ecce quomodo statuit in Deo debitum creandi mundum, non ex jure, quod haberet mundus, nec ex aliquo determinato principio in Deo, sed ex libera Dei voluntate, & ex requisitione bonitatis requirentis, ut liberè ipsum crearet bonum, magnitudinis, magnum, sapientiæ sapienter ordinatum : hoc autem debitum non est absolutum, sed ex ordinatione, & suppositione talis ordinationis voluntatis & aliarum Dei dignitatum.

XX. Ad hunc modum descendit Lullus ad debitum Incarnationis, subjungens immediatè : *Et ideo, secundùm quod debuit creare quoad seipsum, & quoad actus suarum dignitatum, debuit assumere humanam naturam :* id est, eôdem modô quô debuit creare mundum, debuit assumere humanam naturam, & quia non debuit creare ob aliquod jus in mundo, vel ob aliquod principium Dei determinatum, sed ob liberam & gratuitam Dei voluntatem, bonitatem, magnitudinem, sapientiam, &c. ideo debuit assumere naturam humanam, non ex jure aliquo in mundo, nec ex determinato Dei principio, sed tantùm ex requisitione suæ voluntatis, bonitatis, &c. requirentium liberam & gratuitam humanæ naturæ assumptionem; ac proinde solô debitô

ordinationis divinæ voluntatis, & aliarum dignitatum, & ex ejus suppositione, non autem debito absoluto. Debuit itaque ex hac suppositione assumere humanam naturam, prout subjungit: « Ut per » illam assumptionem exaltaret mundum & totum universum in majori fine amabilitatis mundi, & bonificabilitatis, magnificabilitatis, » &c. quam mundus potuit recipere, & Deus in novo esse perficere; & hoc fecit per unionem divinæ & humanæ naturæ in Christo, » aliàs Deus non salvaret suum debitum (prædictum) sibi ipsi & » suis dignitatibus cum majoritate magnitudinis, bonitatis, &c. sed » cum minoritate, quod est impossibile (secundùm prædictam ordinationem) ergo Deus debuit assumere humanam naturam. »

XXI. Ex hoc textu simul explicatur quod dixit Lullus, quæst. 93. in Verbis adductis, num. 8. ubi dicit, quòd Deus sibi ipsi injuriaretur, si non assumeret naturam humanam, & assumeret creaturam irrationalem: quia hoc non intelligit de justitia absoluta, & præveniente liberam Dei voluntatem & perfectam ordinationem divinarum dignitatum, sed tantùm de justitia fundata in dicta ordinatione, ac libera & gratuita Dei voluntate; sicut debitum ad assumendam humanam naturam unicè fundatur in præfata ordinatione. Similiter explicatur quod ibidem dicitur, videlicèt quòd Deus injuriaretur suo effectui, si non assumeret humanam naturam, & tantùm sibi uniret creaturam irrationalem: Nam in hac quæst. 99. expresè fatetur quòd nec mundus nec humana natura ullum jus habuit ad unionem humanæ naturæ, sed quod debere humanam naturam cum Deo uniri unicè provenit ex præfata dignitatum ordinatione, & gratuita Dei voluntate exaltandi mundum in majori magnificabilitate, ac proinde ex dicta ordinatione & voluntate Dei descendit jus in humanam naturam & totum universum ad præfatam unionem: quo supposito & in hoc sensu tantùm dicit Lullus in notata quæstione 93. quòd, si Deus non assumeret humanam naturam, sed creaturam irrationalem, injuriaretur suo effectui.

XXII. Ampliùs in eadem quæst. 99. explicat Lullus præfatum sensum; nam, num. 2. ita scribit: « Item cum Deus creavisset mundum » & hominem ad æternam Beatitudinem, & humanum genus fuit » deviatum à fine, propter quem fuit creatum per originale peccatum, Deus debuit assumere humanam naturam & esse homo, & » mori ad recreandum humanum genus, ut satisfaceret illi fini, quem » supra diximus, ad quem mundus fuit creatus. » Sanè his verbis dicit Lullus, Deum debuisse assumere naturam humanam, non ab-

solute, sed ex ordinatione divina hominis ad beatitudinem, ad hoc ut per passionem & mortem Christi fieret Deo debita satisfactio, quâ mediante posset homo consequi finem beatitudinis, ad quem erat creatus: in hac autem doctrina, quæ est eadem cum doctrina Divi Anselmi in libro *cur Deus homo*, debitum non est absolutum, sed ex suppositione divinæ ordinationis; & in eam conveniunt Theologi docentes, solùm creaturam cum Deo unitam potuisse Deo reddere debitam & perfectam pro peccato satisfactionem.

XXIII. Clariùs explicat Lullus suum sensum in solutione objectionis propositæ, num. 3. scilicet, quòd « inter finitum & infinitum » ens, est nulla proportio, unde sequitur, quòd Deus non debuit in- » carnari, cùm ipse sit infinitus, & homo, finitus: » nam ad hoc, num 4. ita respondet. « Verum dicis quando dicis, quòd inter fini- » tum & infinitum ens sit nulla proportio, cùm finitum ens quoad » se habeat nullam dignitatem, nec virtutem utendi infinito ente, » sed infinitum ens benè potest ratione gratiæ & charitatis sic se hu- » miliare erga hominem per unionem, sicut per dilectionem, cùm » Deus diligat suum effectum; & quia Deus magis & meliùs scit di- » ligere suum effectum, quàm aliquis alius, voluit se unire cum hu- » mana natura, ut suum effectum tantùm exaltaret, quantùm potuit, » & quantùm suus effectus potuit recipere; & talis proportio inter » finitum & infinitum non est impossibilis, nec contra magnitudi- » nem nobilitatis divinæ bonitatis, &c. quæ in suo effectu requirit » magnum bonificare. » Ecce quomodo hîc fundat debitum Dei ad Incarnationem in gratia & charitate Dei erga suum effectum. Patet itaque solùm de potestate ordinata, non autem de absoluta dicere Lullum, quòd Deus non potuerit sibi unire creaturam irrationalem: quod idem ex aliis libris ostendi facilè potest; à quo tamen, brevitati consulens, supersedeo.

§. II.

Rectè asserit Lullus in Prop. 14. *Deum, quoad se & suam infinitam bonitatem, tantùm distare à peccato mortali, quantùm à veniali; magis verò distare à Deo peccatum mortale, quàm veniale.*

XXIV. Cùm prop. 13. ab hoc Censore notata sit eadem, ac Articulus 58. Eymerici, cui data est plena satisfactio, tom. 2. cap. 23. nihil de ipsa oportet dicere in præsenti: idem dico de prop. 15. &

16. quæ sunt eædem ac prop. 19. & 20. circa Sacramentum Altaris, à primo Censore notatæ, de quibus egimus in hoc tom. 3. dist. 2. dissert. 8. & 9. ac proinde ad reliquas procedemus.

XXV. Itaque prop. 14. sic describitur: *Deus omnibus modis distat ab omni peccato infinitè, & quoad se tantùm distat à peccato veniali, sicut à mortali, sed homo existens in peccato magis distat à divina bonitate, magnitudine, &c., per peccatum mortale, quàm per veniale: Et sic Deus consentit, quòd homo faciat peccatum veniale, ut non faciat mortale; alioquin magis distaret à divina bonitate per peccatum veniale, quàm per mortale; & sic Deus licentiaret hominem, quòd faceret peccatum mortale; quod est impossibile.* Quæst. 121. sent. circa finem.

Censura: *Propositio quoad primam partem est falsa; quia plus distat Deus, quoad se, à mortali, quàm à veniali, cùm gratia Dei queat simul esse cum veniali, & non cum mortali; &, quoad secundam partem, in re coincidit cum hæresi Calvini, quia dicit, Deum consentire, quòd fiat peccatum veniale.*

XXVI. Hæc propositio quoad secundam partem explicata manet abundanter in tom. 2. cap. 24. ad artic. 59. Eymerici, ubi ostenditur, ibi agi de peccato veniali, non propriè, & rigorosè tali, sed vulgariter, & quoad sensum popularem tali; quia ibi agitur de mendacio vulgariter accepto, quod committit puella, quæ postquam promisit facere copiam sui corporis, resipiscit, & non vult se prostituere, & tunc dicitur illam mentiri: illa negatio proprii corporis eô modô, quô mendacium vulgariter dicitur, dicitur etiam peccatum veniale, & de hoc populariter dicto peccato veniali dicit Lullus, Deum consentire ut ipsum faciat illa puella: unde ex contextu illa assertio non est generalis, prout videtur esse in verbis extractis à contextu, & à dicto Censore notatis, sed est determinata ad illud qualecumque mendacium puellæ; in Censura autem propositionum ab authoribus scriptarum non sunt attendenda verba ex contextu avulsa, sed secundùm sensum, quem ex contextu prætendunt.

XXVII. At hic textus, qui eisdem verbis à Censore productis se habet in notata quæstione 121, quoad primam partem immeritò notatur falsitatis à laudato Censore, maximè ob rationem, quam assignat, quia Lullus, *Primò*, ponit quòd Deus infinitè distat ab omni peccato; hæc autem propositio est verissima, quia Deus, cùm sit infinita bonitas, infinitè distat à quacumque malitia, nam distat eô modo, quô est infinita bonitas, cùm ipsa infinita bonitas, sit ratio, cur distat; ac proindè infinitè distat ab omni peccato, *Secundò*, ponit Lul-

lus quòd Deus quoad se tantùm distat à peccato veniali, sicut à mortali : ubi ly *quoad se* apertè denotat agi de Deo quoad suum esse & infinitam excellentiam suarum perfectionum, & præcisivè à quolibet extrinseco ipsius Dei ; & quia Deus quoad suum esse infinitum, & infinitam excellentiam suarum perfectionum infinitè distat à quocumque extrinseco, ideo quoad se infinitè distat tam à peccato mortali, quàm à veniali ; prout consequitur ad primum Lullij assertum in textu notato ; & quia in infinitate non datur magis & minus, ideo Deus quoad se tantùm distat à peccato veniali, quantùm à mortali, quia ab utroque distat infinitè ; quia tamen non eòdem modò se habent peccatum mortale, & veniale, quoad distantiam à Deo, ideo *Tertiò*, dicit, quòd magis distat à Deo peccatum mortale, quàm veniale.

XXVIII. Ratio autem suæ censuræ, quam assignat laudatus Censor, non procedit in eodem sensu ; nam dicit : *Quia plus distat Deus quoad se à mortali, quàm à veniali, cùm gratia Dei queat simul esse cum veniali, & non cum mortali ;* nam gratia Dei, quæ magis distat à mortali, quàm à veniali, non est Deus quoad se, & tantùm potest dici, quoad similitudinem : atque ita ex eo quòd gratia, quæ est similitudo Dei, magis distet à peccato mortali, quàm à veniali, malè infertur, quòd Deus quoad se magis distet à mortali, quàm à veniali, cùm tantùm inferri possit, quòd Deus quoad aliquid sibi extrinsecum magis distet ; non autem quòd Deus quoad se ; quia Deus quoad se unicè importat suum infinitum esse ex suis infinitis perfectionibus : quo modo non verificatur de ipso magis & minus in re, sed pura infinitas : unde nulla videtur aperta ratio, cur Lulli propositio possit falsitatis notari ; & ratio ipsa, quam dat laudatus Censor, solùm infert illud ipsum, quod dicit Lullus tertiò locò hujus propositionis, videlicet quòd peccatum mortale magis distat à Deo, quàm veniale ; & propterea gratia potest esse cum veniali, & non cum mortali, ut passim adstruit Lullus.

XXIX. Similia ac Lullus docet Divus Bonaventura in 1. dist. 37. part. 3. q. 1. ubi in principio refert Philosophum dicentem : *Prima causa se unò modò habet ad omnia, licèt omnia non habeant se unò modò ad primam ;* & in resolutione quæstionis docet, quòd Deus secundùm se æqualiter est in omnibus rebus, quamvis quoad effectum inæqualiter : unde ad primam objectionem ait : « Quod enim » objicitur, quòd Deus uniformiter se habet ad omnes res, si intel- » ligatur uniformitas ex parte divini esse, verum est ; si autem in-

„ telligatur ex parte effectûs, falsum est, quoniam Deus uniformi-„ ter, & stabiliter existens cætera movet, & multos & varios effec-„ tus producit, & efficiendo diversa in rebus, facit quòd res non se „ habeant uniformiter ad ipsum „. Eâdem igitur ratione, quâ Deus secundùm suum esse æqualiter est in rebus, & ex diversitate effectuum oritur diversitas: pariter Deus quoad se æqualiter poterit distare à peccato mortali & veniali, cum hoc quòd magis distet ab eo peccatum mortale, prout dicit Aristoteles quòd ipse unô modô se habet ad omnia, licèt ipsa inæqualiter se habeant ad Deum. Etiam Deus, quoad se & suam infinitam perfectionem, infinitè distat ab omnibus creaturis, & tamen ex creaturis illa, quæ est magis perfecta, magis accedit ad Deum.

XXX. Præterea Divus Bonavent. in 3. dist. 32. art. 1. quæst. 3. *Utrùm Deus diligat omnes creaturas æqualiter?* Ita resolvit: « Respon-„ deo dicendum, quòd de dilectione Dei est loqui dupliciter, vide-„ licet secundùm essentiam, & secundùm efficaciam; sive secundùm „ actum essentialem, & secundùm effectum consequentem. Si lo-„ quamur de dilectione quantùm ad essentiam, sive quantùm ad ac-„ tum essentialem, sic non tantùm æquali dilectione diligit omnia; „ imò tantùm unô & eôdem actu simplici & indivisibili, nullô va-„ riatô, nullô multiplicatô, quæ quidem est divina usia. Si verò „ loquamur de dilectione, quantùm ad efficaciam, sive quantùm ad „ effectum consequentem.... dicendum est, quòd Deus non omnes „ creaturas diligat æqualiter; & num. 17. Ad illud quod objicitur, „ quòd prima causa unô modô se habet ad omnia, dicendum quòd „ illud verum est, quantùm ad id quod est ex parte Dei, sed tamen „ creaturæ, sicut ipse dicit, non uniformiter se habent ad ipsum; „ & quoniam diligere Dei non tantùm dicit quod est ex parte ipsius, „ sed etiam effectum creaturarum, hinc est quòd ratione illius potest attendi inæqualitas „. Similia docet ad ultimum argumentum. Unde sicut dilectiò quantùm est ex parte Dei, est eadem & æqualis; diversificatur verò secundùm effectus, vel secundùm dispositionem objecti dilecti, sic pariter relata distantia.

XXXI. Ulteriùs, in Sentent. plurium Theologor. idem est Deus, qui offenditur per peccatum mortale, & veniale; & quoad se eôdem modô se habet; & tamen graviùs offenditur per mortale, quàm per veniale. Theologi etiam defendentes peccatum mortale esse infinitum simpliciter in ratione offensæ, regulariter conveniunt in hoc, quòd peccata mortalia quoad hanc infinitatem sunt æqualia, quamvis aliunde

aliunde unum peccatum sit majus, quàm aliud: Unde Amort, Theol. Eclec. tom. 2. tract. de Incarn. dist. 2. quæst. 3. in sol. objec. 3. ait: « Respondeo ad primum, distinguo: sequeretur quòd unum pec- » catum non esset majus alterô, quoad suum esse formale, concedo; » quoad suum esse materiale, nego. » Lardito, tom. 2. in S. Anselm. de Incarn. tract. 2. dub. 3. §. 4. ad idem Argumentum ita refert: « Ad argumentum respondent plures, peccata esse æqualia in » ratione offensæ, nimirum infinitate desumpta ex divina majestate » offensa, quod non impedit inæqualitatem ex aliis principiis, vi- » delicet intensione, circunstantiis, & aversione activa: « Hoc autem idem est ac dicere, quòd peccata mortalia quoad majestatem Dei offensam sunt æqualia; inæqualia verò quoad propriam rationem: si ergo ista possunt dici, cur non poterit Lullus dicere, non quidem peccatum mortale & veniale infinitè distare à Deo, & tantùm distare unum quantùm aliud, sed Deum infinitè distare ab utroque, & quoad se tantùm distare ab uno, quantùm ab alio; & tamen peccatum mortale plùs distare à Deo, quàm veniale?

§. III.

Docet Lullus in Prop. 17. Beatum non in specie aliqua, sed in ipsa divina essentia, seu intelligibilitate increata, videre Deum intuitivè.

XXXII. Propositio 17. & ultima sic exponitur: *In visione Dei intellectus Beatus in propria intelligibilitate Dei increata, & quæ est Deus, intelligit divinam Trinitatem & essentiam, non in suo proprio intelligibili creato, sed immediatè, Deo communicante intellectui Beato suam essentialem intelligibilitatem.* Quæst. 140. num. 1.

Censura: *Propositio videtur erronea, & accedere ad Ubiquistarum hæresim, quatenus ait: Beatum intelligere intelligibilitate increata, & ipsam ei communicari.*

XXXIII. Quoties hanc Censuram textumque inustum considero, non possum percipere qualiter hic clarissimus Censor tam acriter in Lullum excandeat, cùm, saltem attentô titulô hujus quæstionis, appareat Lullum in textu notato docere idem, quod Divus Thomas ejusque Discipuli de visione intuitiva Dei; quod Amort, Theol, Eclec. tom. 1. tract. de Deo, disp. 4. de visione intuitiva Dei, q. 2. Notando 4. sic exponit: « Thomistæ verò dicunt, in Beatis nullam dari, » aut dari posse speciem sive impressam, sive expressam divinæ es-

„ sentiæ; hinc dicunt essentiam divinam se per semetipsam immediatè „ unire intellectui humano, seu animæ, ita ut essentia divina fungatur formali officiô specierum, & anima humana in esse intelligentis tam perfectè uniatur cum essentia divina & infinito cumulo perfectionum, quàm perfectè nobis de facto uniuntur species colorum, „ lucis, harmoniæ, voluptatis, imò ipsi actus nostri interni. Sicut „ ergo homo mundanus in hac vita ex tali unione specierum sensibilium dicitur objecta sentire, vel videre: ita continget ex immediata unione divinæ essentiæ, ut videantur & sentiantur infinitæ „ perfectiones Dei; & cùm sentire intellectualiter has perfectiones „ idem sit, ac illis frui, mirum non est quòd homo ex visione Dei „ intuitiva, *per immediatam unionem omnium potentiarum ad essentiam* „ *Dei*, felix ac beatus sit. „

XXXIV. Audiatur circa hoc ipse Divus Thomas, part. 3. quæst. 9. art. 3. ad 3. scribens: *Dicendum, quòd cognitio beata non sit per speciem, quæ sit similitudo divinæ essentiæ, vel eorum quæ in divina essentia cognoscuntur, ut patet ex his quæ in prima parte dicta sunt, sed talis cognitio est ipsius divinæ essentiæ immediatè, per hoc quòd ipsa essentia divina unitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti.* Ipse part. 1. quæst. 12. art. 2. in corpore tenet, *quòd per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest:* hoc probat, & tandem concludit: *Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri, quod est erroneum;* & ad 3. ait: *divina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu, per seipsam faciens intellectum in actu.* Art. 4. in corpore, sic: *Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibile ab ipso*; & art. 5. in cor. ita: *Cùm autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectûs.*

XXXV. Habemus itaque ex mente Divi Thomæ ejusque discipulorum, quòd essentia divina ut forma intelligibilis unitur immediatè intellectui, & sic intellectus ipsam per seipsam immediatè attingit; & quia attingitur ut intelligibilis, in ipsamet increata intelligibilitate attingitur, non enim attingitur in specie, vel similitudine, sed in seipsa immediatè, aliter non videretur intuitivè, quia ex Divo Thoma, dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri: Unde sicut alia objecta in similitudine & specie intelliguntur, ratione cujus speciei sunt intelligibilia: ita Deus, non in similitudine & specie videtur, sed immediatè in sua essentia, & ita

attingit eum intellectus in ipsa intelligibilitate increata; & quia divina essentia per gratiam seipsam ut intelligibilem unit cum intellectu creato, ideo sic Deus communicat intellectui suam essentialem intelligibilitatem, id est, se dat, seu intimè se immittit in intellectum; nisi enim seipsum ut intelligibilem intellectui communicaret seu uniret, non posset ipsum immediatè & facie ad faciem attingere, ut latè probant Thomistæ.

XXXVI. Consideremus nunc Lulli textum, & primò titulum notatæ quæstionis 140. in qua quæritur: *Utrùm anima separata cognoscat vel intelligat per species influxas à Deo, vel species receptas in corpore, vel per species, quas existens separata, recipit?* Sanè hæc quæstio communiter agitatur, & quia inquiritur generaliter de cognitione & intellectione animæ separatæ, intelligitur hæc quæstio in ordine ad omnia intelligibilia ab anima separata, prout respectivè ad omnia illam resolvit Lullus: Unde respectivè ad Deum inquirit hæc quæstio, an Deus videatur per speciem aliquam, vel sine ipsa: quod resolvens Lullus, num. 1. sic scribit: *Solutio in 3. & 46. & 138. quæstione significata est, scilicet, quod in visione Dei beatus intellectus in propria intelligibilitate Dei increata, & quæ est Deus, attingat divinam Trinitatem, & essentiam, non in suo proprio intelligibili creato; & hoc sine aliqua specie antiqua vel nova; sed immediatè & facie ad faciem, Deo communicante intellectui suam essentialem intelligibilitatem, ut intellectus exaltatus sit in altiori gradu visionis, & participationis Dei; aliàs, si inter Deum & intellectum esset medium, scilicet species antiqua vel nova, beatitudo intellectûs esset diminuta, & gloria non esset acquisita in fine, sed in medio, in quo non esset quies; quod est impossibile.*

XXXVII. Sanè, si laudatus Censor exposuisset, & considerasset integrum hunc textum, non adeò sinistrè apprehendisset Lulli sensum; nam loquitur de intuitiva Dei visione, & hanc docet non fieri in specie & similitudine, sed immediatè facie ad faciem, & ideo, quia divina essentia ut intelligibilis se unit cum intellectu beato, *beatus intellectus*, non in specie aliqua vel similitudine, sed in *intelligibilitate increata, quæ est Deus*, hoc est in ipsamet divina essentia intelligibili, quæ est suamet increata intelligibilitas, *attingit divinam Trinitatem, & essentiam* ac cumulum omnium perfectionum; & quia intellectus creatus per seipsum non potest sibi unire divinam essentiam, sed hoc tantùm fit, ipsâ divinâ essentiâ seipsam uniente per gratiam ipsi intellectui, ideo videtur Deus *immediatè, & facie ad faciem; Deo communicante* (objectivè, seu ut formam intelligibilem) *intellectui*

suam essentialem intelligibilitatem, ut intellectus exaltatus sit in altiori gradu visionis & participationis Dei; non enim potest esse altior & perfectior visio, quàm divinæ essentiæ in seipsa, & absque specie, nec augustior participatio, quàm quòd divina essentia sub sua essentiali intelligibilitate se immediatè uniat & communicet ut intelligibilis intellectui beato.

XXXVIII. Hinc manifestum est, quòd, cùm hîc agatur de visione intuitiva Dei, quâ Deus facie ad faciem immediatè attingitur ut intelligibilis in sua propria intelligibilitate essentiali, illa communicatio asserta in relato textu, scilicet *Deo communicante intellectui suam essentialem intelligibilitatem*, unicè & purè est communicatio objectivè, seu ut objectum intelligibile, id est, unio, quâ *Deus*, ut ait D. Thomas citatus, num. 34. *per suam gratiam se intellectui creato conjungit ut intelligibile ab ipso;* ac proinde ruit suspicio accessûs *ad Ubiquistarum hæresim*, quæ referente Bellarm. de Controv. lib. 3. de Christo, cap. 1. & cap. 9. ac sequent. stat in communicatione propria, & formali perfectionum Dei humanitati Christi sibi unitæ; ita ut, juxta aliquos unio hypostatica consistit in hac communicatione, vel hæc communicatio ad hanc unionem consequitur; & propter hoc dicunt humanitatem Christi esse omnipotentem, omniscientem, &c. & ubique: Unde totô Cœlô distat ab eis illa communicatio, quam asserit Lullus, quia dicit communicari intellectui essentialem Dei intelligibilitatem, non naturali communicatione, ita ut illa fiat propria & formalis perfectio intellectûs, sed purâ communicatione objectivâ & ut quid intelligibile: sicut totô Cœlô distat ab Ubiquistis & ab unione hypostatica unio intima & immediata divinæ essentiæ cum intellectu beato, quam docent Thomistæ cum Divo Thoma, quia non est unio naturalis sed in linea intelligibili; quæ quidem unio Phrasi *communicationis* etiam exprimitur: unde citatus Amort, loc. cit. q. 3. in probatione concluf. 3. dicit: *Non potest ostendi implicantia in eo quod Deus secundùm has rationes ideales immediatè se uniat cum sensu, eum per modum formæ actuando, sicut per suam essentiam immediatè* se communicat *intellectui.*

XXXIX. Quoad alia objecta intelligibilia, resolvit etiam Lullus juxta expositum titulum præsentis quæstionis, videlicet quòd ipsa intelligit anima separata per speciem, & num. 2. ita scribit: *Item beatus intellectus in suo proprio intelligibili creato non potest naturaliter intelligere sine specie, &c.* ex quibus verbis ostenditur quid velit dicere, dum in notato textu relato, num. 36. dicit, quòd beatus intellectus

in propria intelligibilitate Dei increata attingit divinam Trinitatem & essentiam, *non in suo proprio intelligibili creato*, cùm enim proprium intelligibile creatum intellectûs importet speciem objecti intelligibilis, eamque requirat, ut intellectus in ipso attingat seu intelligat objectum: Ideo, cùm intellectus beatus non videat Deum cum specie, sed immediatè, non attingit divinam essentiam in suo proprio intelligibili, sed tantùm immediatè in ipsa divina essentia, seu in propria intelligibilitate Dei increata: atque ita patet quàm immeritò inustus fuerit relatus textus præfatâ Censurâ.

XL. Rectum expositum sensum notatæ quæstionis 140. animadvertisset laudatus Censor, si consuluisset, ut debuit, alias quæstiones, ad quas provocat Lullus in ipsa: nam in quæst. 3. ad quam se refert, explicat differentiam intelligendi in via, & in Patria, ita quòd *intellectus in hac vita intelligat Deum per speciem, sed in intellectu beato, qui est in Patria, non est illa species, nec alia .... sed in loco illius speciei summa intelligibilitas se communicat intelligibilitati intellectûs beati.* Prætereà quæst. 46. quam etiam citat, num. 1. docet, *quod in fruitione Angeli, qui fruitur Deo, Deus se faciat intelligibilem, repræsentando suam propriam & consubstantialem intelligibilitatem Angelo, & hoc immediatè & sine aliquo instrumento, & Angelus .... attingit Deum sine medio, ut cum ipso immediatè possit participare.* Tandem, quæst. 138. num. 1. docet quòd ad illam immediatam Dei intellectionem seu divinæ essentiæ visionem, quam docuit quæst. 3. cùm *intellectus non possit habere vigorem per se, Deus dat ei lumen gratiæ & veritatis, sub quo est passivus, ad attingendum illam supremam visionem, in qua est activus.* Itaque in his omnibus quæstionibus apertum est, divinam intelligibilitatem se communicare intellectui, esse idem, ac se repræsentare seu eidem se unire ut intelligibilem; intellectum quoque intelligere Deum in sua increata & essentiali intelligibilitate, esse idem, ac attingere immediatè ipsam divinam essentiam, quæ per seipsam, & absque media specie se facit intelligibilem.




DISTINCTIO IV.

De Censuris latis adversùs Librum de quæstionibus Magistri Thomæ Atrebatensis.

DISSERTATIO I.

De forma in Christo; futurorum mutabilitate; & libero ad peccandum arbitrio, quoad propositiones 1. 2. & 3. ex quæstionibus 1. 3. & 4.

LICET hic liber de quæstionibus Magistri Thomæ Atrebatensis, non fuerit ab Eymerico notatus, quia tamen fuit simul impressus & compactus cum libro de quæstionibus super Librum sentent. anno 1507. quô usi fuerunt relati Censores, ideo simul fuit examinatus, & in ipso aliquæ fuerunt notatæ propositiones, de quibus est agendum in præsenti: solùm advertendo, quòd in hoc libro solvuntur quæstiones juxta artem Lullianam, quarum solutionem expetierat ipse Magister Thomas Atrebatensis per litteras ad ipsum Beatum Lullum directas; & quia breviter ac explicitè juxta principia artis resolvuntur, ut practica artis aperiatur: cujusmodi solutionem fortè non erant intellecturi nescientes artem, ideo Lullus in Prologo rogat Magistrum Thomam, ut eas ponat tali modô, quòd ab omnibus possint intelligi: an autem hoc fecerit, ignoratur: unde solùm ex textu Lulli desumenda est earum intelligentia; & quia ad varias pertinent materias, prout oportuerit, simul variæ propositiones discutientur.



§. I.

Doctrina Lulli in Proposit. 1. *est, quòd quia Filius Dei se fecit hominem de humana natura, se habet activè ad esse Christi, & humana natura passivè sub ipso; ac proinde, ut Christus sit una Persona ex duplici natura, Filius Dei est forma, id est, ratio formalis, ut sit una persona ex illis.*

I. Verba, quæ in hac quæstione notantur, sunt ista: *Humanitas in Christo non dat esse humanum, hoc est, non facit hominem, sed suppositum divinum de natura humana facit hominem.* Et mox: *In supposito Christo Divinitas sive Filius Dei est forma antiqua & æterna, qui Deus est, & ipsa forma informat hominem de humanitate, informando se hominem; & sic dico, quòd una forma est in Christo, & illa est divina natura, quæ cum Dei Filio convertitur, cùm sint idem numerò.* Et ibidem: *forma humanitatis remanet realiter in illo supposito, sed passivè sub forma divina possessa. Quæst.* 1. Sanè his verbis, quæ notat, nullam Censor apponit censuram, & sic ignoratur determinatus sensus, qui difficultatem sibi ingerit; at ex hujusmodi veborum nota, videtur difficultatem stare, *Primò*, in eo quòd dicatur: *humanitas in Christo non dat esse humanum, hoc est, non facit hominem; Secundò*, in eo, quòd asseritur sic: *sed suppositum divinum de natura humana facit hominem; Tertiò*, in eo, quòd divina natura seu Filius Dei dicitur *forma, quæ informat hominem de humanitate; Quartò*, quòd *forma humanitatis remanet passivè sub forma divina possessa.*; quia ex his videtur poni in Christo compositio physica ex forma, & materia, ita quòd divina natura sit forma, & humana natura sit materia.

II. Ad intelligentiam præfatorum verborum reflecti debet integer Textus hujus quæstionis, qui sic se habet: *Quæstio* 1. *cùm Christus fuerit unum suppositum, quæro, quæ fuit forma illius? Cùm sit ex duabus naturis, scilicet divinâ, & humanâ.* Solutio. *Ad istam quæstionem oportet sic considerare, sicut Ecclesia tenet, & dico, quòd Deus factus est homo de natura humana in divino supposito, ita quòd humanitas in Christo non dat esse humanum, hoc est, non facit hominem; sed suppositum divinum de natura humana facit hominem, faciendo se hominem per humanitatem, ex qua est homo, & ideo in illo supposito Divinitas, sive Filius Dei, est forma antiqua & æterna, quæ Deus est, &* Text. prop. 1.

ipsa forma informat hominem de humanitate (meliùs in quodam manuscripto : *Quoniam Deus est ipsa forma , & informat*) *informando se hominem : & sic dico , quòd una est forma in Christo, & illa est divina natura , quæ cum Filio Dei convertitur , cùm sint idem numerò ; verumtamen , ut natura humana Christi non sit de minori conditione quàm aliorum hominum , forma humanitatis remanet realiter in illo supposito , sed passivè possessa sub forma divina , secundùm tertiam speciem Regulæ D. Verumtamen , si in aliquo ego erravi in ista quæstione , vel aliis de Deo , peto correctionem à Doctoribus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ.*

III. Ex propositione quæstionis ejusque solutione intelligitur sensus eorum, quæ difficultatem ingerere videntur ; nam quæstio supponit, quòd Christus est unum suppositum ex duabus naturis , scilicet divinâ , & humanâ , ut catholica docet Ecclesia ; quia verò in quolibet uno ex multis semper aliquid est, quod , ad modum unius physici se habet tanquam forma , id est, tanquam determinans & trahens cætera ad illam unitatem ; illud scilicet, quod præcipuum est & principale in illo uno , ita ut illud agere videatur , & alia pati sub ipso , ad modum , quô in uno physico forma tantùm agit, & materia patitur, formâ determinante materiam ad unum esse physicum: ideo sensus quæstionis est, quid se habeat tanquam forma in Christo, qui est unum suppositum ex duabus naturis ; & quia præcipuum & principale , quod est in Christo , est Filius Dei, qui est ipsa divina natura ; ipse enim Filius Dei sibi univit humanam naturam, & de ipsa se fecit hominem , ita ut humana natura, licèt sit vera essentia & forma humana, sicut aliorum hominum , passivè se habuit sub Filio Dei, quia de se & ex propria virtute non habet facere illum hominem , qui est Deus., sed de ipsa assumpta , Filius Dei se fecit hominem : ideo dicitur, quòd forma , id est, id quod se habet tanquam forma in Christo, est Filius Dei, qui est ipsa divina natura.

IV. Nunc facilè intelligi possunt illa verba, quæ difficultatem ingerere videntur , & quæ Censor annotavit; & pendent ex illa prima propositione Lulli : *Deus factus est homo de natura humana in divino supposito* , quæ est ad sensum omnium Catholicorum , ad quam tamen non videtur Censor advertisse : ex ea enim intelligitur sequens propositio adnotata, scilicet : *ita quod humanitas in Christo non dat esse humanum , hoc est, non facit hominem , sed suppositum divinum de natura humana facit hominem , faciendo se hominem per humanitatem, ex qua est homo :* supponitur enim in Christo vera humanitas , & ita ut Deus per humanitatem se facit hominem , & quòd ex humanitate est

est homo; cùm autem Deus sit qui *factus est homo de natura humana in divino supposito*, ita ut ipse seipsum fecit hominem, assumendo naturam humanam, humanitas verò non assumpsit Deum, nec sibi univit Deum, sed tantùm à Deo fuit assumpta, & ipsi unita; ideo non facit hominem, & sic non dat esse humanum; tum quia humanitas non præcipuè, & principaliter agit, sed Filius Dei, sub quo ipsa patitur, ut assumpta, & unita; tum quia illa de se non habet dare illud esse humanum, quod est Deus, nec facere hominem, qui est Deus; & propterea suppositum divinum, faciendo se hominem per humanitatem assumptam, facit hominem, illum scilicet, qui est Deus, non autem humanitas, quæ passivè se habet ad divinum suppositum, quod ex ipsa se facit hominem.

V. Indè patent reliqua, in quibus ob realem identitatem, sive mutuam realem conversionem, Filius Dei, Deus, Divinitas, & divina natura, promiscuè sumuntur; & ita divinitas, Filius Dei, seu Deus dicitur in supposito Christo esse forma, non quidem physica, sed ad modum formæ, determinans & trahens humanam naturam ad illud unum suppositum, ut ex ipsa sit homo; dicitur autem forma antiqua, & æterna, quia Deus per seipsum est forma, non materia, id est habet perfectionem, quæ in ratione formæ consideratur, & sic sæpè ab Augustino, & Anselmo Deus dicitur forma: *& ipsa forma* (ut habetur in Textu) *informat hominem de humanitate informando se hominem:* non debet dici uno verbo: *informando*; sed duobus, *in formando se hominem;* quia enim Filius seipsum format, hoc est facit, hominem, ideo in formando, seu faciendo, se hominem, *informat*, hoc est, format, perficit, & facit, *hominem de humanitate*; atque ita ly *informat*, attributum formæ divinæ non denotat proprium actum formæ physicæ, qui dicitur *informare*, quia ibi explicatur quòd forma divina informat hominem de humanitate, per hoc quòd seipsam formet seu faciat hominem; atque ita ad illam non spectat informare ut forma physica: quod inde etiam eruitur, quia Lullus, licèt dicat Filium Dei se facere hominem de humanitate, & humanitatem esse passivè possessam ab ipso, nunquam tamen adstruit humanitatem esse materiam physicam, ac proindè neque intelligi Personam divinam esse formam physicam.

VI. Hæc ipsa intelligentia, quam exposui de hoc textu Lulliano, ampliùs patet ex aliis locis, ubi diffusiùs tractat Lullus de Incarnatione; & præcipuè ex *lib. quæst. super lib. sent.* quem vidit idem Censor; nam ibi quæst. 94. num. 1. postquam asseruit, *quòd Deus est*

cum assumpta natura una Persona ex duabus naturis, scilicet ex divina, & humana, & Persona, quæ est Christus, non est tertium ex ipsis: quò excludit physicæ formæ & materiæ unionem, ut pote ex ipsis necessariò fit tertium; postea distinguit hanc unionem, & unitatem Personæ ex duabus naturis, ab omnibus unitatibus entium naturalium, quia ista sunt unum tertium ex forma & materia. Et quæst. 98. cùm ex unionibus variarum rerum, ex quibus fit unum, probasset, à minori ad majus, quòd *ex essentia & natura divina, & humana potest esse una Persona*; ad objectionem probantem quòd, si sic esset, hoc esset per compositionem, & fieret unum tertium ex divina, & humana natura, num. 5. ita respondet: *Non dico quòd divina, & humana natura possint facere unum per modum compositionis*; & addit: *Tua ratio non valet, cùm unus modus sit facere unum de rebus finitis, & alius modus de essentia & natura finita & infinita*; & postea subjungit, quòd Persona ex duabus naturis non ita fit, sicut fit unus homo ex anima, & corpore, tamquam tertius numerus ex ipsis; & eamdem differentiam explicat, quæst. 105. num. 3. Videantur etiam dicta in dist. 2. dissert. 2. §. 1.

VII. Ex his apertè patet, Lullum negare hanc compositionem in Christo, quæ est ex forma, & materia, ac proinde numquam fuit ejus mens, quòd vera forma physica sit in ipso. Similiter in aliis libris negat propriam compositionem in Christo, ut in libro *Quinque sapient.* part. 2. & 3. in cujus ratione 9. respondens ad argumentum Jacobini ait: *Etiam non tenent* (latini) *quòd Christus sit compositus de natura divina & humana, sed quòd in Christo sit utraque natura, & quod per divinam sit Deus, & per humanam homo :::: nec propter assumptionem hujus humanitatis sequitur, quòd Christus sit compositus de Deo & homine*; expressiùs autem, part. 4. cap. 2. scribit; *Si vis dicere, quòd natura divina & humana componunt unam Personam, malè dicis, quia Persona Filii est infinita & æterna, & est simplex & non composita; & ideò de illa, & de natura humana non potest fieri compositio, quia compositio non potest esse, nisi de partibus finitis, habentibus in seipsis quantitatem, & existentibus in tempore.* Negat etiam compositionem in *Arb. scient.* in Arb. Christianali, tit. de Trunco, ubi, nedum negat, Christum esse tertium numerum ex divina & humana natura, sed etiam dicit, quòd ad differentiam aliorum, in quibus plura fiunt unum, *divina natura compositionem non intrat cum humana, quoniam ita magna est ejus simplicitas, quòd in compositionem intrare non potest.*

VIII. Unde, cùm ubique neget Lullus veram compositionem in

Christo, & per hoc præcipuè neget eam, quæ est ex forma & materia physicis, ex quibus resultat unum tertium, ideo numquam cogitari potest mentem ipsius esse, divinam naturam esse physicam formam respectu humanæ naturæ; sed tantùm habere se ad modum formæ, quatenus activa est de humana natura, in quantum Deus de ipsa se facit hominem, & humana natura patitur sub ipsa, ut explicat in *Arb. scient.* in Arb. Chris. tit. de actione & passione Jesu-Christi dicens: *In Domino Jesu-Christo est natura divina activa, & humana passiva, in quantum divina natura humanam assumpsit, & illam in seipsa sustentat: etiam in seipsa factus fuit homo, ex natura humana;* expressiùs autem de hoc loquitur in lib. *de Deo, & Jesu-Christo* (tom. 6.) part. 2. quæst. 9. num. 9. ubi scribit; *Jesus est potenter una Persona de duabus naturis; & hoc est per duas potestates; quarum una est divina, & alia humana; quia per divinam potestatem hoc potest esse activè, & formaliter, cùm sit infinita potestas; & per humanam potestatem hoc potest esse passivè & materialiter, cùm humana natura per semetipsam de potentia deducta in actum possit esse homo: Igitur Jesus potest esse Deus & homo per modum potestatis formalis divinæ, & potestatis materialis humanæ, conjunctis ambabus potestatibus in unitate divinæ & humanæ Personæ.* His sanè verbis clarè ostendit, rationem formalem attribui divinæ naturæ, & materialem humanæ, eô solô motivô, quòd divina est activa, quatenus Deus de humanitate se fecit hominem, & humana est passiva, quatenus de ipsa assumpta Deus factus est homo in una Persona; & hoc conformiter ad formam & materiam generaliter acceptas, prout eas explicat *in logica nova*, dist. 4. de *centum formis*, dicens: *Forma est ens, propter quod actio maximè consistit. materia est ens propriè, & maximè sub passione consistens.*

IX. Itaque per hoc unicè dicitur natura divina, vel Filius Dei, esse forma in Christo, quia se habet activè & ad modum formæ, quatenus ipse de humana natura se fecit hominem; & humana natura, de qua assumpta fuit factus homo, se habet passivè, quatenus sub dicta actione de ipsa Filius Dei factus fuit homo: hoc autem apud omnes est verum, quia apud omnes est in confesso, quod Lullus ut fundamentum omnium supponit in principio hujus quæstionis, scilicet quòd Deus factus est homo de natura humana in divino supposito, ac proptereà ad hoc, ut Christus sit una Persona ex duabus naturis, Filius Dei, qui de humana natura se fecit hominem, activè se habet, & humana natura, de qua se fecit hominem, pas-

sivè se habet respectu illius ; & hoc maximè dicere tenentur, qui Christum admittunt Personam compositam ex duabus naturis, dicunt enim quòd Personalitas divina determinat & trahit ad se naturam humanam, illam reddendo subsistentem, atque ita agnoscunt in Persona divina rationem activam & ad modum formæ, ac proinde in natura humana rationem passivam.

X. Hoc expressè fatetur Petavius, Theolog. Dogm. tom. 4. lib. 2. cap. 4. num. 7. ubi explicans differentem agendi modum personarum in Incarnatione ait : *Verùm peculiare id Verbi Personæ fuisse, ut in genere quasi formalis causæ naturam afficeret ac terminaret assumptam, hoc est, ut Græci PP. loquuntur, hypostasis esset humanæ naturæ ;* & lib. 3. cap. 13. explicans qualiter hypostasis Verbi facta est hypostasis humanæ naturæ, num. 5. ita scribit : « De hoc loquendi » genere, *Deum fieri*, suô locô dicemus ; interim animadvertenda » ratio est, ex qua constat hypostasim Christi esse peculiarem divi» næ naturæ, quòd videlicet, nisi esset ejusmodi, Christus quâ hic » homo Deus non esset, nam non aliter homo statum quodammodo » mutat, & in Deum transit, re appellationeque ipsâ, nisi quia di» vinæ hypostasis natura humana, & per sese creata, fit particeps. » Cùm igitur ab hypostasi Verbi natura hominis hoc habeat ut sub» sistens sit, & Deus ; necesse est hypostasim, *sic tanquam formam,* » *à qua divinam illam conditionem accipit, esse divinam* ». Idem cap. 14. num. 3. scribit : « Ea proprietas relativa (Filietas) cum natura » communi conjuncta, prout animô ista percipimus, Personam Tri» nitatis secundam constituit : quæ hâc affecta proprietate, *tamquam* » *formâ* subsistens efficitur ut hypostasis ac Persona. Eadem porrò, » naturam sibi alteram adjungens, cum eâque *formam illam suam* & » personalem proprietatem communicans, unam secum hypostasim » ac Personam facit, qui unus est Filius, isque Dei : quocirca Fi» lietas Divina, *cùm hypostatica sit forma*, cuicumque tandem appli» catur, idipsum divinam hypostasim, Deique Filium efficit : unde » natura hominis ad illius hypostaticæ proprietatis communionem » assumpta, divinam transit in Personam, ac Dei Filium.

XI. Conceptum ampliùs explicat Petavius immediatè dicens : « Nunc illud tenemus, quòd ad propositæ quæstionis disceptatio» nem propriùs pertinet, apparere jam ex dictis cur Persona Chris» ti, etsi duabus ex naturis composita dicatur, una nihilominus, » & quidem divina, sit, nam cùm in hypostasi qualibet sive Per» sona duo, quâdam cogitatione distincta, reperiantur, alterum *quod*

» *est*, alterum *quo est*, horum prius est natura, posterius, forma » sive personalis proprietas, hoc est, *quô* certa Persona constituitur: » ab hac verò proprietate, tamquam *formâ*, capit hoc hypostasis, » tum ut hypostasis sit, tum ut una sit hypostasis, siquidem unitas » propria est entis affectio; ab eodem itaque res quælibet accipit ut » sit unum, à quo, ut sit ens tale, sortitur. Quemadmodum igitur » ex eo quòd naturæ duæ sunt in Christo perfectæ, minimèque con- » fusæ, ab his, velut ab geminata formali causa, duplex Christus » ac geminus dicitur, proximèque Deus & homo nominatur, non » unum aliquid, ex duobus conflatum, tertium, quia nullam hujus- » modi habet in se formam, à qua denominatio ista proficiscatur; » ita cùm unica sit in eodem Christo *forma*, id est proprietas, quæ » hypostasim facit, nimirum Filietas divina, quamvis plures ei na- » turæ subjectæ sint, eâque quodammodo *formatæ*, non nisi una orie- » tur hypostasis ac Persona, nec alia quàm divina, hoc est Dei Fi- » lius, adeo ut qualiscumque tandem compositi istius *materia* ipsa » sit duplex, *forma* verò, & quod ex ipsa sequitur, non nisi sit unum. » Sequitur autem hypostasis & Persona, sive Dei Filius, tamquam » proprium, &, ut vocant, formale illius effectum. Quare tum una » Christi est hypostasis, tum ea meritò divina censetur, ratione » dumtaxat substantiæ, quamvis, si naturam consideres, appellari » etiam humana possit.

XII. Sanè nihil clarius dici poterat ad explicandum Lulli conceptum, & ad ipsum eâdem phrasî exprimendum; & hoc confirmat Petavius ibidem, num. 4. ex trita quorumdam veterum locutione, scilicet quòd *in illa naturarum copulatione compositioneque Christi, quod præstantius est prævicisse id quod erat inferius & imbecillius in seque quôdam modô transtulisse*: quâ sensûs expressione indicatur propria ratio formæ, hæc enim, quia præstantior & nobilior, ad se trahit & ad esse suum deducit illud, in quod agit; & propterea, saltem tamquam forma se habet, in quod in aliquo uno est præstantius, & ad illum unum deducit & trahit, quod sibi unitur, quô modô dicit Lullus Personam Divinam ad se trahere humanitatem, & se facere hominem de ipsa: cui consonant apud Petavium ibidem relati Gregor. Nazian. orat. 37. dicens: *factus est unus, eô, quod melius est, superante*; Andreas Creten. Orat. de transfiguratione dicit: *In inconfusa unitione factum esse, ut illud pervinceret, quod est excellentius: vel ut magis propriè loquar, extitit inexplicabilis illa in Deum transformatio*; Cyrill. Alexan. Dial. de Incar. *Natura Verbi humanitatem as-*

sumens, non nuda est humanitas, sed potiùs assumptam naturam propriâ gloriâ superans, in divini splendoris inconcussa possessione persistit; & Arnobius, in Disput. cum Serapione: *superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ, ita ut ipsa forma servilis, quam assumpsit, cessaret esse servilis, per eum Dominum, qui eam assumpsit.*

XIII. Alii apud ipsum explicant, Verbum, vel divinam naturam, complere & perficere naturam humanam (quod est etiam quid proprium formæ, vel tanquam forma se habentis) non autem compleri nec perfici ab humana natura: sic ibi cap. 15. num. 7. Maxentius Dialog. 2. contra Nestorianos ait: *Non esse imperfectum Deum Verbum: quia non, ut perficeretur, assumptione carnis indiguit, sed ut caro perficeretur, in melius commutata, carni se uniens compositus factus est, qui ante erat sine dubio summè simplex & incompositus perfectusque per omnia, utpote Deus;* & num. 12. Athanasius, vel alius Autor, lib. de uno Christo affirmat: *Deum & hominem unam esse hypostasim & unam Personam, ut non sit expletivum corpus hypostaseos; id enim impium esse .... Quamobrem corpus non explendæ divinæ hypostasis vim habuit, sed qui reverà perfectus erat, id perfecit, quod erat imperfectum; & qui nullius est indigens, cum egena carne convenit, & unitus est.* Unde apud dictum Petavium ibi lib. 4. cap. 8. num. 9. Rusticus Diaconus, in disp. contra Acephalos, explicans diversum modum, quô duæ naturæ se habent in Christo, ait: *Duarum naturarum unitionem, non ambæ fecère naturæ, sed sola divinitas: quid enim & cooperari ad unitionem valuit natura nostra; quæ in Christo est, quæ sumpsit ab ipsa unitione principium?*

XIV. Hæc sanè omnia declarant peculiarem illam rationem, quæ in Christo convenit naturæ divinæ, vel Filio Dei, respectu naturæ humanæ, scilicet ratio activa, quatenus Dei Filius seipsum fecit hominem de humana natura, illam ad se trahendo & sibi uniendo: quô designatur se habere tanquam forma, ut intendit Lullus in textu notato; & consequenter intelligitur ratio passiva in humana assumpta natura sub actione Verbi assumentis: quapropter à Lullo in textu dicitur *passivè possessa sub forma divina*, id est, quod Deitas, Filius Dei, vel divinum suppositum, habet & possidet humanam naturam; hæc autem non habet Deum, ut est phrasis, quâ Petavius ibid. lib. 3. cap. 14. num. 6. ex Divo Thoma explicat modum, quo se habent in Christo naturæ, quia *quod principalius est, id semper habere dicitur, quod autem minus principale, haberi*; & ideo natura divina dicitur habere humanam, non autem è conversò, quia, ut ibid. ait ipse Divus Thomas in compendio Theologiæ, cap. 202. *In unione Dei ad*

creaturam, non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura à Deo assumitur, non quidem ut convertatur in Deum, sed ut Deo adhæreat.

XV. Proinde ostenditur vera illa assertio Lulli in textu notato, scilicet quòd Deus factus est homo de humana natura, *ita quod humanitas non dat esse humanum, hoc est non facit hominem, sed suppositum divinum de humana natura facit hominem, faciendo se hominem per humanitatem, ex qua est homo*; quia licèt humanitas sit vera essentia & natura humana, *per quam* & *ex qua*, ut ait Lullus in textu, Deus fit homo, & est homo; ipsa tamen quoad hoc, respectivè ad Filium Dei, non se habet activè, sed passivè sub ipso; ut autem clariùs intelligatur Lulli sensus, dum dicit, quòd *humanitas non dat esse humanum*, nec *facit hominem* in Christo, notandum est, quòd esse humanum vel homo in Christo, non intelligitur utcumque, sed intelligitur esse humanum quod est Deus; & homo intelligitur, qui est Filius Dei, vel utrumque intelligitur pro supposito, quod est Deus; & quia natura humana in Christo de se & de propria ratione non habet facere hominem Deum, ideo non dat esse humanum, quod est Deus, nec facit hominem, qui est Filius Dei. Hic est Lulli sensus ubicumque hujusmodi utitur phrasi, præcipuè in lib. sent. à quæst. 94. in qua, num. 1. ponit, *quòd in Christo Deus est homo, & homo est Deus, & Deus est Christus, & homo est Christus, & Christus est homo Deus*; hoc autem ita est quòd *humana natura in Christo, nec per se nec in se facit suppositum vel hominem, sed de ipsa factus est homo in divina natura, vel* (id est) *in divino supposito, quod in se facit se hominem de humana natura.*

XVI. Quòd autem in Christo natura humana non det esse suppositi quod est esse humanum, nec faciat suppositum, quod est homo, sed quòd Filius Dei se faciat hominem per ipsam & de ipsa, sæpè repetitur à Divo Bonav. ut in 3. dist. 6. art. 1. quæst. 2. num. 18. ubi ait: « Ad illud, quod opponitur, quòd si Christus esset solùm » ex anima & carne, haberet hypostasim compositam: dicendum, » quòd verum est; quia tunc haberet primum esse hypostasis ejus ex » humana natura, quæ quidem composita est; nunc autem non est » simile, quia Persona Christi suum esse primum habet ex divina » natura, quæ quidem est omninò simplicissima; & ideo humana » natura superveniens, sicut non dat Personæ esse personale, sic non » facit eam esse compositam; » & quæst. 3. num. 20. de natura humana in Christo ait: *Ita quòd non dat illi supposito primum esse, sed*

advenit jam completo ; num. 21. *Licèt enim humanitas adveniat jam completo, nihilominùs substantificatur in illo tamquam in proprio suo supposito; quia Dei Filius, qui est suppositum divinæ naturæ per naturam, fecit se suppositum humanæ naturæ per gratiam.* Similiter art. 2. quæst. 1. num. 25. *sed quia est ibi* (in Christo) *alterius, scilicet divinæ naturæ prædominatio, necesse est quòd divina natura humanam naturam trahat ad unitatem, sed ad unitatem naturæ non potest trahere sine transmutatione & conversione : necesse est ergo, quòd eam trahat ad unitatem Personæ, & una & eadem hypostasis sit divinæ naturæ & humanæ, ut quasi humana natura fundetur & substantificetur in divino stipite.*

XVII. Idem etiam deducitur ex eo quòd juxta Evangelium asserens, quòd *Verbum caro factum est*, licèt concedant plurimi Patres apud Petavium, quòd homo factus est Deus, hoc *facere* soli Deo tribuunt, non autem homini nec humanæ naturæ, & semper repetunt quòd Deus se fecit hominem de humana natura, numquam autem quòd hæc de se ipsa fecerit Deum hominem : plures quoque negant humanæ naturæ propriam existentiam ; at cùm ipsa juxta Fidem propriâ careat subsistentiâ, non facit hominem vel suppositum suum, quemadmodum aliorum hominum naturæ, sed Filius Dei faciendo se hominem, se facit ejus suppositum, ut innumeris locis repetunt Patres apud citatum Petavium ; ad præsentem autem scopum Damascenus ibi lib. 5. cap. 8. num. 2. ait : *Non autem propriâ vi consistens Dei Verbi caro subsistit ; nec altera facta est hypostasis, præter hypostasim Dei Verbi ; sed in ipsa subsistens ad hypostasim magis adjuncta, quàm propriò modò consistens hypostasis est facta.*

XVIII. Tandem quòd natura humana non det esse humanum in Christo, nec faciat hominem, videtur consequi ex doctrina D. Thomæ 3. p. q. 17. art. 2. docente in Christo unum tantum *esse* dari, quod est esse personale ; ad istud esse quod simul est divinum & humanum, est esse Filii Dei, quod non dat humana natura ei adveniens. Præterea esse humanum vel homo in Christo, non provenit ex intrinsecis principiis humanæ naturæ ; quia, si ita humana natura in Christo faceret hominem, vel daret esse humanum, se haberet sicut in aliis hominibus, & sic haberet propriam Personam, quòd esse nequit : ac proinde, licèt Filius Dei fiat homo per humanitatem, ipsa tamen non facit illum hominem, nec dat illud esse humanum, quod est Deus ; sed Filius Dei ex ipsa se facit hominem, & se facit esse humanum ipsius ; atque ita ipsa passivè se habet in Christo, ut docet Lullus in textu notato ; ac proinde immeritò taxatur textus hujus quæstionis 1.

§. II.

§. II.

In Prop. 2. Præscita à Deo, quæ sunt futura secundùm causas inferiores non autem secundùm æternam Dei dispositionem, possunt à Deo ad preces justorum mutari, ex sensu Lulli.

XIX. In quæst. 3. hoc notatur : *Utrùm Deus ad preces proborum aliquid mutet de futuris ab ipso præscitis ? Teneo de ista quæstione affirmativè, & non sequitur, quòd Deus sit variabilis in se, sed hoc, quod recipitur in hac vita ab ipso, variabile est.* Quæst. 3.

Censura : *Proponit simpliciter quæstionem, & respondet absolutè, & sine distinctione, affirmativè, cùm potiùs distinguendum esset de decreto absoluto & conditionato.*

XX. At, ut videatur, quàm immeritò Lullus in hac quæstione taxetur, reflectenda est tota textûs continentia, quæ talis est : *quæst. 3. Utrùm Deus ad preces proborum aliquid mutet de futuris ab ipso præscitis ? Quia legitur in sacra scriptura, quòd Deus per Isaïam Prophetam mandavit Ezechiæ Regi hæc verba : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives : & propter Regis orationem & fletum legitur, Deum ipsum Regem à morbo. sanasse.* Solutio. *Secundùm regulam de C. hoc, quod divina sapientia attingit in creatis, est æternum. Et immutabile secundùm hoc, quod Deus habet in se,* (quatenus scilicet est Dei idea, quæ est ipse Deus) *& secundùm hoc, quod ens creatum habet in se, est in tempore & variabile : & ideo, quia inter Deum & hominem justum, est magna concordantia, ut significatum est per diffinitionem medii, Deus refluit homini justo finem præfatum in respectu subjecti, quod variabile est, quoniam, sicut radius solis facit in camera figuram quadratam, si fenestra per quam intrat est quadrata, aut circulum, si fenestra est circularis, & triangularem, si est triangularis : ita à simili, Deus secundùm quod habet vicinitatem per orationem cum homine justo, influit & refluit ei respectu dispositionis subjecti ; unde propter hoc teneo de quæstione affirmativam ; & non sequitur, quòd Deus sit variabilis in se, sed hoc, quod recipitur ab ipso in hac vita, est variabile, cùm subjectum sit in motu, & in successione temporis.* Text. pr. 2.

XXI. Ex hujusmodi textûs consideratione clarè apparet indebitè fuisse taxatam Lulli responsionem ; & quidem, quamvis Lullus expressisset se loqui de decreto conditionato : non-ne simili modo potuisset aliquis insurgere, ipsum non distinguere inter decretum sub-

jectivè conditionatum, quod meritò ab omnibus Deo negatur, & decretum objectivè conditionatum? Deinde non est necesse in propositione quæstionis distinguere inter præscita secundùm decretum absolutum, vel conditionatum, & consequenter neque in solutione quæstionis; quia quæstio non reddit sensum omninò generalem, videlicet an mutet Deus omnia futura præscita, sed reddit sensum particularem, videlicet an mutet aliquod ex futuris à seipso præscitis; & cùm, tam absolutè, quàm conditionatè futura, dicantur futura à Deo præscita: ut rectè affirmativè absolutè respondeatur, sufficit, quòd aliquod ex hujusmodi præscitis mutet Deus, quamvis non explicetur, usque ad ulteriorem indaginem, quodnam sit illud futurum præscitum, quod mutat; sicut, dum quæritur an aliquod futurum à Deo præscitum sit liberum, ut rectè respondeatur absolutè affirmativè, sufficit unum actum liberum à Deo sciri, quamvis non explicetur, absque ulteriori indagine, distinctivè ab actu necessario.

XXII. Prætereà notandum est, expresè proponi quæstionem occasione casûs, qui Ezechiæ contigit, ac consequenter quæstionem determinari ad hunc & similes casus, qui in Scriptura occurrunt; mors enim Ezechiæ & alia similia dicuntur futura præscita; & cùm in scriptura non exprimatur, an sint absolutè vel conditionatè futura, neque necesse erat, quòd hoc exprimeret Lullus, cùm utrôvis modô sint futura, rectè dicantur præscita; quia tamen agitur de futuro tantùm conditionatè, implicitè & sufficienter intelligitur agi de conditionatè futuro; nec est necesse, quòd fiat distinctio futuri sub his terminis *absolutè*, & *conditionatè*, cùm pluribus Antiquis, vel fuerint ignoti isti termini, vel non fuerint in usu, sed tantùm distinguebant inter futura secundùm causas inferiores, tum naturales, tum morales: Unde, cùm Lullus, nedùm in propositione quæstionis limitet ad hujusmodi casus, sed etiam in ejus solutione expresè distinguat inter futurum secundùm quod Deus habet in se, & secundùm hoc quod ens creatum habet in se, juxta quod dicit variari influxum & refluxum Dei, prout variatur radius solis secundùm figuram fenestræ: ideo responsio affirmativa determinatur in textu ad futura secundùm causas inferiores, & nullô modô comprehendit futura secundùm æternam Dei dispositionem.

XXIII. Expressiùs hoc idem exponit Lullus in *Introductoria Art. Demonst.* (tom. 3.) cap. 30. Ubi inter alias regulas de modo judicandi de rebus ita scribit: « Secunda Regula est, quòd prætermittitur, quòd deberet accidere *secundùm causas medias*, *propter*

» *ordinem causæ superioris*, V. G. Ezechiæ Regi Judæ dictum est ab
» Isaïa: morieris tu & non vives; & egressus Isaïas statim rediit ex
» præcepto Domini, & dixit illi, quòd non morietur; sed primum
» erat verum secundùm dispositionem causarum naturalium; secun-
» dum erat verum secundùm supernaturalem dispositionem Dei....
» Unde non solùm respiciendum est ad dispositionem superiorum
» sed etiam supremi ». Sensus Lulli hîc & in quæstione notata est,
mortem Ezechiæ fuisse præscitam futuram secundùm dispositionem
morbi, non autem futuram secundùm supremam Dei dispositionem,
& propterea ad preces Ezechiæ mutavit illud præscitum futurum se-
cundùm causas naturales, quin mutatum fuerit æternum Dei consilium.

XXIV. Huc alludit dictum Divi Gregorii à Glossa ordinaria ad
cap. 38. Isaï. adductum: « Deus etiam, secundùm quod Gregorius
» dicit, sententiam mutat, sed non consilium. Sententiam debemus
» intelligere, sensum verborum; consilium verò ab æterna dispo-
» sitione est. Sententiam verò servis suis Deus revelaverat, non ta-
» men consilium, sed ut eorum comminationibus pœnitentiam incu-
» teret populis suis, & sic eorum misereretur. Cùm enim Isaïas sim-
» pliciter diceret: morieris, & non vives; & Jonas: Ninive sub-
» vertetur, & ista non essent futura, non videntur esse in Libro
» Dei, quæ non erant futura. Sed sciendum est, quòd Deus duo-
» bus modis aliquas res considerat: *secundùm merita & secundùm rei*
» *naturam* (quæ dicuntur causæ inferiores) *& secundùm suum consi-*
» *lium*. Unde Ezechiam moriturum Deus præviderat secundùm me-
» ritum, vel secundùm physicam, licèt non futurum & non mori-
» turum secundùm consilium suum: Utrumque igitur scriptum erat
» in Libro Vitæ, sed alterum suo Prophetæ permisit legendum; al-
» terum verò non permissum est ». Sanè conformiter ad sensum,
imò quasi ad verba Lulli, resolvitur hæc quæstio in Glossa; notan-
dum est autem, quòd nulla fit expressio Decreti absoluti, nec con-
ditionati, sed tantùm fit distinctio unius futuri ab alio, prout etiam
explicat ipse Lullus. Ad idem pertinet illa Divi Hieronimi, lib. 3.
comm. in cap. 18. Matthæi sententia super illa verba: *Sic & Pater
meus Cœlestis faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo de
cordibus vestris*, dum dicit: *Formidolosa sententia; si juxta nostram
mentem sententia Dei flectitur atque mutatur: si parva fratribus non di-
mittimus, magna nobis à Deo non dimittentur*.

XXV. Præterea de hoc eodem tractat Divus Thomas, par. 1. q.
19. art. 7. & ad 2. sic scribit: « Utrumque eorum vult Deus, sci-

» licet, quòd aliquid quandoque sit futurum secundùm causam superiorem, vel è conversò. Sic ergo dicendum est quòd Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum secundùm quod continetur in » ordine causarum inferiorum, utputa secundùm dispositionem naturæ, vel meritorum; quod tamen non fit, quia aliter est in causa » superiori divina, sicut, cùm prædixit Ezechiæ, dispone Domui » tuæ, quia morieris & non vives, ut habetur Esaïæ 38. Neque tamen ita evenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia & voluntate » divina, quæ immobilis est: propter quod dicit Gregorius, quòd » Deus immutat sententiam naturæ, non tamen mutat consilium, » scilicet voluntatis suæ ». Pariter ipse Divus Thomas 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. utraque futura distinguit dicens: « Quod divina præscientia respicit futura secundùm duo, scilicet secundùm quod sunt » in seipsis, in quantum scilicet ea præsentialiter intuetur; & secundùm quod sunt in suis causis; in quantum scilicet videt ordinem » causarum ad effectus: « & ad hujusmodi genus futuri præsciti reducit illud dictum Ezechiæ: *Morieris tu & non vives*; & quia sic intelligebatur, *& ejus revelatio prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus*, ideo aliter potuit evenire, prout de facto evenit. In his autem locis eòdem sensu, quô Lullus, loquitur Divus Thomas, quin exprimat decretum absolutum & conditionatum.

XXVI. Porrò, quòd futura secundùm divinam dispositionem, sive talia sint etiam secundùm causas inferiores, sive non, non mutentur sed infallibiliter eveniant, prout à Deo præsciuntur, non unô tantùm locô, sed sæpè asseritur à Lullo, ut, exempli gratiâ, in lib. *Quæst. super librum sent.* q. 27. & 30. attribuit Deô infallibilem futurorum, adhuc contingentium, præscientiam; q. 31. asserit, Deum non posse non præscire id quod præscit; quæst. 33. docet quòd præscientia Dei est infallibilis & immutabilis in hoc, quod scit de homine prædestinato, licèt iste non necessitate, sed cum liberate, salvetur. Similiter, Lib. *de Deo & Jesu-Christo*, par. 1. q. 7. num. 8. ait: *Et scire Dei, quod habuit de Juda, est Deus & idea æterna, quæ idea est immutabilis.* Etiam in lib. *de Artic. damnatis*, ad Artic. 21. docet infallibiliter futurum illud, quod Deus scit; ad Artic. 60. docet, quòd Deus est causa inimpedibilis: atque ita patet, sensum Lulli esse quòd futura à Deo præscita, secundùm ejus supremam dispositionem, non aliter eveniunt, ac præsciuntur; quæ autem talia sunt tantùm, quoad causas inferiores, prout Deo placet, mutan-

tur ; cùmque in hoc rectam amplectatur sententiam, indebitè calumniatur ejus Doctrina.

§. III.

In Prop. 3. ex quæst. 4. docet Lullus, quòd homo non eligit malum per liberum arbitrium, ratione perfectionis, quam habet per creationem, sed ratione defectûs, quem habet, prout ex nihilo est ortum.

XXVII. Ad quæst. 4. hæc verba à Censore notantur : *Homo eligit alium terminum oppositum Deo, id est peccatum, per suam liberam voluntatem, non tamen per liberum arbitrium creatum, sed per hoc, in quo homo dependet, in quantum est de nihilo productus.* Et mox : *Homo existens in libero arbitrio potest eligere bonum per liberum arbitrium creatum ; & malum, per liberum arbitrium, quod non est creatum. Quæst. 4.* Censura hîc non exprimitur ; at ex verbis notatis, duo videntur difficultatem ingerere : *Primum* est, quòd homo eligat peccatum *per suam liberam voluntatem, non tamen per liberum arbitrium creatum*, sed per hoc quòd homo à nihilo dependet, de quo est productus. *Secundum* est quòd in homine detur liberum arbitrium, *quod non est creatum*, per quod eligit malum ; & liberum arbitrium creatum, per quod eligit bonum.

XXVIII. Ut autem sensus Lulli percipiatur considerandus est textus hujus quæstionis, qui ita scribitur : *Quæst. 4. Utrùm omne ens sit similitudo Dei, sicut* (id est, *verbi gratiâ*) *minoritas, quæ est substantialis, & contrarietas, quæ est accidentalis ? Et si dicatur, quòd sic, in quantum sunt entia : quæro, utrum in quantum talia entia ? Et si dicatur, quod non : Quæro, qualiter habuerunt esse ? Cùm dissimilitudo Dei & non ens habeant concordantiam.* Ad hanc quæstionem respondet Lullus, num. 1. quòd quia Deus creavit mundum ad hoc, ut recoleretur, intelligeretur, & amaretur ab Angelis, & hominibus ; & quia isti possunt meliùs recolere, intelligere & amare Deum cum ejus similitudinibus, & dissimilitudinibus, quàm cum similitudinibus tantùm, ideo Deus, nedùm creavit in mundo similitudines, ut bonitates, magnitudines, &c. sed etiam dissimilitudines, ut minoritates, contrarietates naturales, &c. & posteà ita subjungit : « Peccatum autem non » creavit, cùm sit malum ; & Deus sine bonitate, quæ opposita est » peccato, agere, vel creare, aliquid non potest, cùm ipse & sua » bonitas sint idem numero. »

XXIX. Transit, num. 2. ad exponendum, quomodo peccatum habet esse, & scribit: " At quomodo peccatum habeat esse in subjecto creato? Hîc esset longus sermo; sed ego breviabo, quantùm potero. Dicitur in nona regula (scilicet Artis Lullianæ) quòd substantia transmittit extra se suam similitudinem, & hoc apparet in planta, quæ generat aliam plantam de suo genere & de se ipsa, & sic de aliis generabilibus, & hoc idem est de accidentibus (in manuscripto, *de accidentalibus*) sicut ignis, qui transmittit suam similitudinem, scilicet suam caliditatem, in aquam calefactam, & suum colorem in cameram lucefactam, & hoc per medium, ut significatum est in definitione medii, quando dicitur, quòd medium est subjectum finis, & principii per influxum & refluxum, & sapit naturam utriusque: Unde suppositô quòd medium esset contra suum principium & suum finem, & esset contra naturam eorum, & mutaretur in aliud genus (sic corrigenda editio Panormitana) per tale medium nunquam planta posset producere plantam, neque subjectum (in aliis, *neque substantia*) suam similitudinem, sed benè posset contra naturam suam, & naturam principii & finis transmittere suam dissimilitudinem, ratione varietatis medii: sicut natura quæ in inferioribus transmittit monstruositatem contra suum finem & principium, sicut sextum digitum in manu, & surditatem in puero, & sic de aliis."

Text. prop. 3. XXX. Continuat immediatè sic: *A simili, & multò magis, homo causat peccatum in semetipso, convertens se contra suum principium & finem, qui est Deus; & hoc deviando se à termino, ad quem creatus est, dum eligit alium terminum oppositum per suam liberam voluntatem, non tamen per liberum arbitrium creatum* (id est, non ratione perfectionis liberi arbitrii, quæ in ipso est creata) *sed per hoc à quo homo dependet* (alibi, *descendit*) *in quantum est de nihilo productus, quoniam propter hoc habet libertatem ad causandum peccatum in subjecto, cùm peccatum sit nihil in se, sicut, si Deus removeret* (sic corrigenda est editio Panormitana) *hoc, quod posuit in homine per creationem, homo de se, & per hoc, quod per se habet, sic reverteretur in nihilum, sicut lapis, qui per suam ponderositatem in aëre descendit in suum centrum. Et ita homo sic existens in libero arbitrio potest eligere bonum per liberum arbitrium* (in alia editione additur *creatum*) *quod habet per se tantùm, quod non est creatum ad malum* (in Manusc. ita habetur: *potest eligere bonum per liberum arbitrium creatum, & malum per liberum arbitrium, quod habet per se tantùm, quod non est creatum ad malum*) *& de ista dissimilitudine*

(meliùs in Manuſc. *& de iſta diſtinctione*) *dictum eſt in arbore humanali, quæ eſt una pars arboris ſcientiæ.*

XXXI. Tandem concludit Lullus : « Oſtenſum eſt ergo, quomodo in ſubjecto oritur peccatum, quod eſt adeo diſſimile Deo, » quòd nullam entitatem realiter (*realem* in Manuſc.) habet, ut non » habeat aliquam ſimilitudinem Dei, quia ſi haberet, jam eſſet bonum, in quantum illam haberet ſimilitudinem, ſed eſt ita diſſimile Deo, quòd magis illi diſſimile eſſe non poteſt; & Deus permittit ipſum peccatum eſſe, ut magis per ipſum poſſit cognoſci, » recoli, & diligi ab Angelis & hominibus; quoniam hæc eſt (ſic videtur corrigenda editio Panormitana) magna cognitio divinæ » bonitatis, magnitudinis, poteſtatis, & aliorum attributorum, quòd » Deus ſciverit peccatum eſſe futurum in ſubjecto creato; & ipſe » creaverit ſubjectum tali modo, quòd innocens eſt à peccato, ut » ſupra ſignificatum eſt; & ſi non creaviſſet ſubjectum peccati, » ſcilicet hominem, aut Angelum, ut peccatum non eſſet futurum, » eſſet ligata divina poteſtas & ſua voluntas, & ſic de ſua bonitate, & » de aliis ſuis attributis; quod eſt impoſſibile, & contra infinitam » poteſtatem divinæ bonitatis, voluntatis, &c. Creavit ergo Deus » Angelos & homines, & ſcivit ſibi cavere à cauſa peccati, & facere » ſe innocentem. »

XXXII. Antequam ad principalem deveniam difficultatem, notandum eſt, nullam jam eſſe circa verba notata, num. 27. quibus videtur, Lullum aſſerere quod in homine eſt liberum arbitrium, quod non eſt creatum, dum ibi dicitur, quòd poteſt eligere malum *per liberum arbitrium, quod non eſt creatum :* nam, ut vidimus, non ita ſcribitur, in textu Lulli, ſed *per liberum arbitrium quod non eſt creatum ad malum*, atque ita, vel æquivocationem paſſus eſt Cenſor in notandis Lulli verbis, vel qui ex Cenſore verba deſcripſit, ac proinde jam non eſt locus cogitandi Lullum adſtruere in homine duo libera arbitria, unum creatum per quod eligit bonum; & aliud non creatum per quod eligit malum, ſed unum tantùm ponere liberum arbitrium & liberam voluntatem.

XXXIII. Nunc, ergo reflectendo relatum textum conſtat, ſcopum Lulli, juxta propoſitam quæſtionem, eſſe, quòd, licèt Deus cauſaverit in mundo diſſimilitudines vel defectus naturales, non tamen creavit peccatum; quia licèt creaverit hominem eique dederit liberam voluntatem, per quam homo peccat, non propterea Deus creat & cauſat peccatum : imò ex hoc oſtenditur magna ſapientia, & bo-

nitas Dei, quòd creaverit hominem, præsciendo ipsum esse peccaturum, quin tamen peccatum causaverit; modus autem, quô Lullus hoc ostendit, quoad substantiam, est idem ac ab omnibus explicatur; nam supponens, quod quælibet substantia per se tendit ad transmittendam suam similitudinem, & tamen aliquando hoc non fit, quia medium, per quod deberet transmittere, est contrarium suo principio, & suo fini: ita homo, qui debet agere juxta perfectiones sibi à Deo collatas, ut in Deum tamquam ad suum finem tendat, se deviat ab illo fine, & facit actus devios, non solùm à fine ad quem est creatus, sed etiam contrarios perfectionibus sibi à Deo inditis: istæ enim creatæ hominis perfectiones, per se & ex vi divinæ ordinationis tantùm sunt ad bonum, homo autem, quia à nihilo venit, & ad nihilum tendit, easdem perfectiones deviat ac deflectit; eisque abutitur & agit malum, ad quod agendum non sunt creatæ; imò ex ordine suæ creationis tantùm sunt ad bonum.

XXXIV. Itaque in verbis relatis, num. 30. dicit, quòd homo causat peccatum in semetipso, convertens se contra Deum, qui est suum principium & finis; *& hoc deviando se à termino ad quem creatus est*, hoc est deviando se à bono, quia creatus est ad agendum bonum in Dei obsequium; *dùm eligit terminum oppositum per suam liberam voluntatem*; id est, eligendo malum per liberam voluntatem, quatenus ex libera sua voluntate habet facultatem eligendi bonum, vel malum; dum autem in hac integra clausula dicit: *dum eligit terminum oppositum* (hoc est malum) *per suam liberam voluntatem, non tamen per liberum arbitrium creatum, sed per hoc à quo homo dependet, in quantum est de nihilo productus, quoniam propter hoc habet libertatem ad causandum peccatum in subjecto, cùm peccatum sit nihil in se:* (quam integram clausulam non examinavit debitâ reflexione laudatus Censor) apertè distinguit, non duplex liberum arbitrium, sed duplicem ipsius considerationem: *Prima*, quatenus est creatum, & secundùm perfectionem, quam importat vi creationis; *alia est*, quatenus venit & est productum de nihilo. Liberum arbitrium seu libera voluntas potest facere peccatum quatenus venit à nihilo, & ad nihilum se inclinat, cùm peccatum nihil sit; at quatenus est à Deo creatum, & secundùm perfectionem quam habet vi creationis, ac ordinationem quam ei indidit Deus, non potest facere peccatum, quia tota ejus creata perfectio ad bonum tendit, & ordinatur.

XXXV. Adeoque, cùm homo ejusque libera voluntas, seu liberum arbitrium, sit ex nihilo, & propter hoc possit peccatum facere, homo,

homo, ut ait Lullus, eligit peccatum per suam liberam voluntatem, non tamen hoc facit per liberum arbitrium creatum, id est, quatenus est creatum, vel vi & ordinatione suæ creationis, vel ob suî perfectionem à Deo per creationem impertitam, quia sic unicè tendit ad bonum; sed per hoc, à quo homo dependet, in quantum est de nihilo productus, id est, sed per hoc quòd est defectivus, qualis est, eò quia est de nihilo, cùm sic ad nihilum, quale est peccatum, tendat & inclinetur. Hunc sensum magis ostendit exemplum à Lullo propositum, quia, sicut lapis ob suî ponderositatem tendit in centrum, ita homo, ablatô eô quod habet à Deo per creationem, reverteretur ad nihilum, atque adeo ejus tendentia in nihilum, quale est peccatum, non est per id, quod habet per creationem, vel non peccat per creatam perfectionem, sed per defectum annexum, quatenus ex nihilo est productus.

XXXVI. Unde subinfert, ut aptiùs explicatur in Manuscripto, quòd homo sic existens in libero arbitrio, id est, ita habens liberum arbitrium, quod ipsum & tota ejus perfectio sit à Deo creatum ad bonum, utpote ordinatum ad ipsum Deum; quia est ex nihilo, & propterea ad nihilum tendit & inclinatur, *potest eligere bonum per liberum arbitrium creatum*, id est, quatenus est quædam à Deo creata perfectio, quia est creatum ad bonum tantùm, & in vi creationis unicè ad ipsum se habet; & *malum* potest eligere *per liberum arbitrium, quod habet per se tantùm*, *quod non est creatum ad malum*, id est, per liberum arbitrium ut defectuosum & inclinatum ad nihilum, quatenus ex nihilo est; & quia hæc tortuositas & defectus liberi arbitrii non venit à Deo, sed est in homine occasione suimet, eò quia creatura necessariò est ex nihilo: ideo illud liberum arbitrium sic defectuosum homo habet *per se tantùm*, & non à Deo; & illud liberum arbitrium *non est creatum ad malum*, quia Deus unicè illud creat ad bonum; & propterea per ipsum quâ creatum homo non eligit malum, sed tantùm per ipsum quâ ex nihilo ortum, & ad nihilum vergens: atque adeo tota quæstionis difficultas solvitur ex distinctione liberi arbitrii, quatenus perfecti ex vi creationis, & quatenus defectuosi ex vi ejus dependentiæ à nihilo.

XXXVII. Tota hæc doctrina clariùs patet ex lib. *Arbor scientiæ*, ad quem provocat in textu notato, non quidem in *Arbore Humanali* ut per errorem videtur ibi notari, quia in hac Arbore tantum leviter attingit hanc materiam, sed in *Arb. imperiali*; nam ibi in *Ramis*, tit. *de libertate principis*, ita num. 1. scribit: « Libertas est forma intel-

„ lectualis data homini, ut liberè bonum faciat, & liberè malum evi-
„ tet; quoniam bonum est ita nobile, quòd de ejus nobilitate est,
„ ut liberè fiat, & non coactè; & vitium & peccatum, est tantum
„ malum & vile, quod sibi non convenit quòd coactè sit deamatum:
„ Et ideo data est libertas voluntati hominis ad faciendum bonum,
„ & vitandum malum . . . . & quoniam homo libertatem habet ad
„ faciendum bonum, & ad vitandum malum, si bonum faciat & ma-
„ lum evitet, habet meritum, ratione cujus majus bonum assequitur,
„ quàm bonum quod fecit; & si faciat malum, & evitet bonum,
„ habet culpam, ratione cujus consequitur majus malum, & perdit
„ majus bonum, quam bonum quod facere noluit: & in hoc passu
„ significatur alia vita cum magnitudine justitiæ Dei. Deus homini
„ libertatem non dedit, ut malum faciat, cùm ita sit, quòd ei liber-
„ tatem dedit, ut bonum faciat & malum evitet; & si Deus homini
„ libertatem dedit, ut malum facere posset, libertatem creavisset
„ contra libertatem, & creavisset duas potestates, unam bonam,
„ & aliam malam, & duas libertates, unam bonam, & aliam malam;
„ quòd est impossibile, quòd Deus sit creator mali, & quòd una li-
„ bertas in uno subjecto sit contra aliam, cujus libertates sint partes
„ intellectuales, quoniam jam forent formæ necessariæ secundùm cur-
„ sum naturalem . . . . & ratio, quare homo libertatem habet ad
„ malum, est hæc, quia tenet sive habet de natura, de qua est, vi-
„ delicet de non esse, & quia peccatum originale est. Unde *sic habet*
„ libertatem faciendi malum ratione naturæ sibi appropriatæ, quæ
„ est ex parte nihili, quod est suum centrum, ad quod cum peccato
„ descendit liberè, sicut lapis, qui ad centrum cum ponderositate
„ descendit, quam quidem ponderositatem ei suum centrum appro-
„ priavit, ut possit esse centrum illius, & quòd lapis possit in illo
„ quiescere. Et in hoc passu datur cognitio, cum qua possunt cognosci
„ principia libertatis, quam homines habent ad faciendum malum,
„ quæ libertas est privatio libertatis, quâ homines uti volunt, faciendo
„ bonum (id est, dum faciunt bonum) & evitando malum. Et iste
„ passus est valde utilis, & subtilis ad sciendum. „

XXXVIII. Consonat sibi Lullus in aliis locis, nam in Lib. Sent. q. 68. num. 1. docet, quòd liberum arbitrium per se est instrumentum, *per quod homo potest eligere bonum, & evitare malum*, & tantùm per accidens anima ad honestum vel inhonestum habet liberum arbitrium. In Libro Proverb. (tom. 6.) par. 1. cap. 14. à num. 13. ita scribit: « Libertas, quam homines habent in faciendo bonum,

» est similis libertati bonitatis Dei. Si libertas, quam homines habent in potestate faciendi malum, esset similis libertati potestatis » Dei, una eadem potestas esset subjectum concordantiæ bonæ & » malæ libertatis. Nulla mala libertas est creata. Si aliqua mala libertas esset creata, Deus creavisset creaturam contra suam bonitatem » & libertatem. Nulla causa scienter producit suum effectum contra » seipsam ». Pariter in libro *de homine* distinctione 2. par. 2. in *quæstione, de quo est peccatum ?* Scribit : « In peccato non est aliqua similitudo Dei, nam, si esset, esset aliquod bonum in ipso, cùm » omnis similitudo Dei sit bona, & omne peccatum sit malum : igitur peccatum non est de aliqua re, quam Deus creavit, hoc est de » essentia & natura creaturæ : Ergo peccatum est de alio, quod non » est creatura, & illud est nihil, de quo homo creatus est, ad quod » homo, qui facit peccatum, se inclinat, cùm peccatum sit contra » esse, & habeat concordantiam cum non esse ». Similiter in libro *de anima rationali* (tom. 6.) part. 3. specie 1. postquam q. 1. resolvit, quòd libertas animæ non est ei occasio peccandi, quia est creata à Deo, cui peccatum est contrarium, inquirit posteà : *Cùm homo habeat libertatem peccandi, & homo sit de anima & de corpore, quæ sunt creaturæ : de quo est libertas peccandi, quam habet ?* Et sic respondet : « Homo est creatus ex nihilo, & in quantum est creatus » ex nihilo, nisi Deus illum sustentaret, reverteretur ad hoc, de » quo est : & homo habet libertatem habendi inclinationem ad esse, » & ad non esse ; & libertas, quam habet secundùm esse, est creatura, & libertas, quam habet secundùm inclinationem ipsius non » esse, est inclinatio, quam habet ad peccatum quòd illud faciat, » nam peccatum nihil est aliud, nisi facere ea, quæ non debent fieri, » per quæ devenitur ad non esse, & quæ nullam concordantiam habent cum esse ; & ideo illa libertas peccandi, quam homo habet, » est de inclinatione, quam habet ad non esse, in quantum est creatus ex nihilo.

XXXIX. Non aliam Doctrinam, quàm Lullus, tradit in hoc puncto D. Bonaven. in 2. dist. 25. ar. 2. quæst. 3. *Utrùm liberum arbitrium secundùm quod liberum possit in malum ?* In cujus solutione ita scribit : « Aliò modò contingit loqui de libero arbitrio secundùm quod reperitur in creatura, & sic est loqui de ipso dupliciter : aut in quantum liberum, aut in quantum deficiens. Si in quantum liberum, » sic natum est exire in actum æquitatis susceptibilem, & æquitate » informatum. Si autem loquamur de ipso in quantum deficiens, sic


„ liberum arbitrium, in quantum liberum arbitrium, potest & exit „ in actum deliberativum, quia deficiens exit in actum deformatum, „ & ita in malum. Sic ergo patet, quòd liberum arbitrium secundùm quod liberum est, habet objectum bonum, & exit in bonum, „ non in malum, sicut rationes ad secundam partem inductæ ostendunt; nihilominus tamen, in quantum cum libertate habet defectibilitatem, potest in malum, ita quòd malitia non est objectum „ liberi arbitrii, nec à libero arbitrio secundùm quod liberum, sed „ secundùm quod deficiens „. Et dist. 34. art. 1. q. 2. *Utrùm malum sit à bona causa, utpote à voluntate, ut efficiente, vel deficiente?* Resolvit cum D. August. quòd peccatum est à voluntate ut deficiente; & in hujus explicatione ait: *Naturalem defectum voco ipsam defectibilitatem, quæ inest voluntati, hôc ipsô quod est ex nihilo;* & infra: *Unde non necessariò sequitur, si alicubi sit defectus naturalis, quòd ibi sit culpa; voluntas enim non hôc ipsô peccat, quia est ex nihilo, sed hôc ipsô quòd est ex nihilo, potest deficere, hôc ipsô quòd voluntas est potestas potens servare rectitudinem justitiæ; hôc ipsô verò quòd voluntas est ex nihilo, potens est, quantum est de se, illam deserere; & ita defectus ille circa voluntatem reddit eam ad peccandum possibilem.* Ipse D. Bonaven. ibidem, dist. 44. ar. 1. q. 1. resolvit, quòd potentia peccandi, quantum ad defectibilitatem, non est à Deo, sed est in creatura rationali, *quia est ex nihilo*; & D. Thomas in eadem dist. q. 1 resolvit, quòd *potentia peccandi, quantum ad id quod potentiæ est, à Deo est, sed quantum ad defectum, qui implicatur, non est à Deo.*

XL. Sanè tota hæc D. Bonavent. & D. Thomæ Doctrina coincidit cum Lulliana; dicit enim quòd malum non est à libero arbitrio quâ tali, quod idem est, ac non esse ab ipso, quatenus à Deo creatum est, sed ab ipso ut defectivo; & defectivum est, quatenus est ex nihilo: quod est idipsum, quod dicit Lullus, esse per ipsum secundùm quod ex nihilo est productum: & quidem tota hæc doctrina est D. August. passim, dum agit contra Manichæos, docens rationales creaturas esse defectibiles, quia ex nihilo sunt, non autem quatenus bonæ à Deo creatæ sunt: Unde, lib. *contra Epistolam fundamenti*, cap. 38. postquam docuit, corruptionem naturarum non esse à Deo, *sed ex eo quòd de nihilo factæ sunt*, subjungit: « Neque illud dixeris: non faceret Deus naturas corruptibiles, in quantum enim „ naturæ sunt, fecit Deus; in quantum autem corruptibiles, non „ Deus fecit.... Cùm enim dicitur: *natura corruptibilis*, non unum „ sed duo nomina: Item, cùm dicitur; Deus fecit ex nihilo, non

„ unum, sed duo nomina audivimus. Redde ergo istis singulis illa „ singula, ut cum audis *naturam*, ad Deum pertineat; cùm audis „ *corruptibilem*, ad nihilum „. Sub corruptibilitate autem comprehendit potentiam peccandi in naturis rationalibus. Unde Berti Augustinianus, de Theolog. Discip. lib. 12. cap. 10. dicit: *Quòd ergo possit voluntas ad malum flecti, id non habet ex intrinseca ratione libertatis, sed conditione creaturæ defectibilis;* & lib. 16. cap. 2. Propos. 2. scribit: *Pertinet ad libertatis essentiam posse agere & non agere, non verò posse peccare: quod inest libertati creaturarum ob istarum imperfectionem.*

XLI. Etiam hæc est Doctrina Divi Anselmi, lib. *de libero arbitrio*, cap. 1. ubi probat, *quòd potestas peccandi non pertineat ad libertatem arbitrii:* cap. 2. ait: *Per liberum arbitrium peccavit Apostata Angelus, sive primus homo; quia per suum arbitrium peccavit, quod sic liberum erat, ut nullâ aliâ re cogi posset ad peccandum. . . peccavit autem per arbitrium suum, quod erat liberum, sed non per hoc, unde liberum erat, id est, per potestatem, quâ poterat non peccare, & peccato non servire, sed per potestatem, quam habebat, peccandi, quâ nec ad non peccandi libertatem juvabatur, nec ad peccandi servitutem cogebatur.*

XLII. Planè, sicut Lullus in libero Arbitrio distinguit, quod est per creationem, & quod est ut ex nihilo descendens; ita ut idem liberum arbitrium, quâ creatum eligat bonum, & quâ pendens à nihilo eligat malum, quia à Deo non est creatum ad malum, sed unicè ad bonum; ita, tum D. August. tum D. Anselm. & D. Bonaven. eamdem duplicitatem in libero arbitrio agnoscunt, & ita ut ipsum, per se & ut liberum arbitrium, non valeat ad malum, quod est idem ac dicere quòd non potest malum eligere per id quod est creatum vel per id quod habet à Deo; sed tantùm per id quod habet de defectu, in quantum est ex nihilo, & ad nihilum inclinatur: Unde, cùm hæc sit eadem ac relata Lulli Doctrina, immeritò hæc taxatur, quoniam rectum explicat sensum, & eumdem quem præfati Doctores, imò quem omnes Catholici, tenent.



DISSERTATIO II.

De modô, quô divinæ dignitates habent suum actum in generatione & spiratione, quoad Proposit. 4, 10 & 11, ex q. 5 & 44.

§. I.

In Proposit. 4. ex quæst. 5. rectè docet Lullus, quòd in generatione, & spiratione est actus omnium Dei dignitatum; & quòd Pater generando bonificat, magnificat, &c. Filium; & Pater, & Filius spirando bonificant, magnificant, &c. Spiritum Sanctum.

I. VERBA, quæ quartô locô in Lullo notantur, sunt ista: *Pater de sua bonitate generat Filium in bonificando, & generando, ut Filius sit bonus, & ipsamet bonitas, cùm sit genitus de tota ipsa;* Et mox: *Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, & ad hoc concurrunt æqualiter omnes dignitates* (id est attributa) *ut Spiritus Sanctus sit bonus per bonificare, magnus per magnificare, æternus per æternificare, & sic de aliis attributis dignitatum; alioquin dignitates essent in illa spiratione otiosæ, quod est impossibile. Concluditur ergo, quòd Pater spirat Spiritum Sanctum cùm bonificare, magnificare, &c. Quæst. 5.*

II. Quid displicuerit huic Censori in hujusmodi verbis non video, nam certum est, Patrem generare Filium de sua bonitate & de tota ipsa bonitate, ut Filius sit bonus, & sit, ob infinitatem naturæ, ipsamet bonitas. Etiam Spiritus Sanctus producitur bonus & de bonitate, ut sit bonus, non enim esset bonus nisi de bonitate produceretur: Unde, cùm Pater generando Filium, sicut naturam & essentiam, ita omnes suas perfectiones illi communicet, ideo producit illum bonum, magnum, æternum, &c. & sic bonificat illum, id est, producit illum bonum; magnificat illum, æternificat illum, &c. ista enim verba nihil aliud significant nisi producere in ratione perfectionis, cui attribuuntur: atque adeò Pater generat Filium in bonificando, magnificando, &c. & dicitur quòd Pater generat Filium in bonificando & generando, ut clarius intelligatur, quòd ille actus bonificandi est ipsemet actus generandi; & sicut, nisi Pater de sua Deitate generaret Filium,

Filius non esset Deus, ità nisi illum generaret de sua bonitate, ille non esset bonus; & sicut Pater illum generat de sua Deitate, ut ille sit Deus & Deitas, ita illum generat de sua bonitate, ut ille sit bonus & bonitas; & quia Pater bonus generat Filium, generando illum bonificat, hoc est producit bonum.

III. Hoc idem intelligitur in spiratione Spiritûs Sancti; cùm enim Pater & Filius spirando, illum producant bonum, magnum, & sic de cæteris dignitatibus, omnes dignitates concurrunt ad ejus spirationem, non tamquam Personæ producentes, sed tamquam rationes, ob quas Spiritus Sanctus producitur in linea uniuscujusque, V. G. bonitas est ratio cur Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum bonum; magnitudo est ratio, cur producunt ipsum magnum, &c. & ita Spiritus Sanctus est bonus per bonificare; id est, per actum quô producitur bonus, magnus per magnificare, id est, per actum quo producitur magnus, &c.: Atque ita Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum cum bonificare, magnificare, &c. quia spiratio cum qua spirant, cùm sit actus quô ipse producitur bonus, magnus, &c, est bonificare, magnificare, &c. seu est actus producendi bonum, magnum, &c. Quia verò est necesse, quòd Pater generando Filium illum producat bonum, magnum & sic de cæteris divinis dignitatibus, & quòd Pater & Filius, spirando Spiritum Sanctum, illum producant bonum, magnum, &c. ipsæ dignitates, tum in generatione, tum in spiratione, non possunt esse otiosæ, quia nequit esse divina productio, quin sit productio boni, magni, &c. quod idem est ac bonificare, magnificare, &c.: Ideo tam generare, quàm spirare est per bonificare, magnificare, &c.

IV. Si fortè tamen hic Censor offensus fuit illis verbis, *bonificare, magnificare, &c.* dum dicitur Patrem bonificare, magnificare, &c. Filium, & Spiritum Sanctum, tom. 2. cap. 2 & 4. ostensum est quàm apposité utatur Lullus prædictis verbis ad exprimendum breviter & distinctè actum, quô Pater bonus Filium producit bonum, quô Pater magnus Filium producit magnum, &c. & hoc idem sufficienter declaratur in textu notato, dum dicitur quòd Pater generando bonificat Filium, ut Filius sit bonus; & quòd Pater & Filius spirando bonificant, magnificant, &c. Spiritum Sanctum, ut Spiritus Sanctus sit bonus, magnus: Unde, sicut Christus, Joan. 10. 36. de seipso dicit: *Quem Pater sanctificavit*, ut ostenderet se naturalem esse & proprium Dei Patris Filium & Deum, quia Pater sanctus generando sanctificavit ipsum, producendo eumdem sanctum de sua sanctitate,

ut exponunt Patres ad hunc locum, ita, cùm Pater bonus, magnus, æternus, &c. producat de sua bonitate, magnitudine, æternitate, &c. Filium bonum, magnum, æternum, &c. illum generando bonificat, magnificat, æternificat, &c. & hoc idem, proportione servatâ, est de Spiritu Sancto quoad suam spirationem. Nec mirum, quòd Lullus efformaverit prædicta verba ad dilucidè & breviter exprimendum suum sensum, ut sæpè occurrit in Autoribus adhuc sacris; & præter adducta locô citatô, nunc occurrit Divus Aug. qui efformat Verbum *intellectuare* ad instar Verbi *illuminare*, Sermon. 18. in Psal. 118. ubi, num. 4. ait: « Sed ita dicitur (Angelus) intellectum dare homini, & quasi, ut ita dicam, *intellectuare* hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel *illuminare* domum, cui fenestram facit ».

V. Ut autem clariùs percipiatur Lulli sensus, integrum expono textum qui sic habetur: *Quæstio quinta, an sicut dicimus* (sic corrigenda videtur editio Panormitana) *bonitas, magnitudo, &c. in Deo sunt idem numerò, sic possimus dicere: personalitas, bonitas, &c. sunt idem numero? Similiter: utrùm bonificare, magnificare & diligere sint idem numerò; &, an Pater & Filius perdiligere spirent Spiritum Sanctum, personam aliam à Filio, & non per bonificare magnificare, &c.?* Ex tribus, quæ hìc inquiruntur, ad primum ostendit Lullus, quòd bonitas, magnitudo & cætera Dei attributa sunt idem numerô; & eôdem modô quòd personalitas, bonitas, &c. sunt etiam idem numerô: & quòd bonificare, magnificare, &c. sunt idem numerô: ad quæ clariùs explicanda subjungit: « Sed hìc oportet recurrere ad regulas C. D. E. (sunt regulæ artis Lullianæ, secundùm quam petiit ipse Magister Thomas solvi has quæstiones ab ipso propositas) & considerare sic: Bonitas Dei, & sic de magnitudine & aliis, secundùm primam speciem regulæ de C. & secundùm suam diffinitionem, est id ratione cujus bonum agit bonum; & per secundam speciem ipsius regulæ C. habet in se coëssentiale & substantiale bonificabile, & bonificare; & ideo bonificare per secundam speciem regulæ D. est de bonificante & bonificabili, & hoc in generatione & spiratione per regulam E. ut divina bonitas per tertiam speciem regu-
Text. pr. 4. læ C. sit in alio, hoc est Pater in Filio: *Itaque Pater de sua bonitate generat Filium in bonificando & generando, ut Filius sit bonus, & sit ipsamet bonitas, cùm sit genitus de tota ipsa* ».

VI. Per allata verba facilè potest intelligi quòd, cùm bonitas divina sit id, ratione cujus bonum agit bonum, ut supponit Lullus ex sua

ſua arte, conſequenter requirit activum, paſſivum, & actum de ſua linea, & ideo eſt in ipſa bonificativum, bonificabile, & bonificare (his enim vocibus breviter & diſtinctè exprimuntur) atque ita per bonificare nihil aliud intelligitur, quàm agere bonum, ſeu actus quô activus in ratione bonitatis agit in ſuum paſſivum in eadem ratione, & conſequenter bonificare eſt de utroque, & quia divina bonitas eſt ipſamet eſſentia Dei, & ad eumdem finem ſe habet, ideo tam in generatione quàm in ſpiratione requirit, quòd ſit ſuum bonificare: Adeoque Pater in generando bonificat Filium, hoc eſt ipſum agit bonum. Hôc poſitô, ſubjungit.: « Unde ſequitur quòd bonificare ſit de bonificante & bonificabili formaliter, & quòd ratione finîs ſit perſonale, ita quòd eſt Pater, & eſt Filius eſſentialiter, ſed unum eſt in Patre ut Pater, & aliud in Filio ut Filius, & hoc ratione relationis & diſtinctionis Patris & Filii: ſicut eſſentia divina, quæ ſub una ratione eſt Pater, & ſub alia ratione eſt Filius, & ſub alia ratione Spiritus Sanctus, ipsâ permanente indiviſâ ». Hæc ſcribit Lullus, quia, cùm bonitati, quæ eſt eſſentialis Dei perfectio, per ſe conveniant activus, paſſivus, & actus, ſicut ipſa eſt eſſentialis Dei perfectio, ita ad eſſentiam Dei ſpectant hæc ſua eſſentialia correlativa; & ſicut una eſt eſſentialiter bonitas in Patre & Filio, ita unum eſt in ipſis eſſentialiter bonificare; & ſicut divina eſſentia, adeoque divina bonitas, ſub una ratione eſt Pater, ſub alia Filius, & ſub alia Spiritus Sanctus: ita bonificare eſſentiale ſub una ratione eſt Pater, & ſub alia eſt Filius, & ſub alia Spiritus Sanctus; atque ita bonificare formaliter & eſſentialiter eſt de bonificante & bonificabili eſſentialiter ſumptis, & ratione finîs, id eſt, ratione finîs ad quem ſe habet divina eſſentia cum omnibus attributis & correlativis eſſentialibus, qui finis eſt productio unius Perſonæ ab alia, ipſum bonificare eſt perſonale, quatenus cum ipſo bonificare una Perſona producit aliam, & ſic ſub diverſa ratione eſt omnes Perſonæ; & quia productio perſonarum eſt per generationem, & ſpirationem, ideo, ut ſupra explicuit, bonificare eſt in generatione, & ſpiratione.

VII. Ut reſpondeat Lullus ad ſecundum & tertium quæſitum ſic diſcurrit: *Item quando dicitur, quòd Pater non ſpirat Spiritum Sanctum per bonificare, magnificare, &c. Sed per amare; reſpondeo dicendo ſic: Secundùm nonam regulam ſubſtantia tranſmittit extra ſe ſuam ſimilitudinem; & conſidero diffinitionem æqualitatis: Unde ſequitur, quòd Pater in diligendo Filium, & Filius in diligendo Patrem, ſpirant Spiritum* *Alius Text. prop. 4.*

Sanctum per amorem; & ad hoc concurrunt æqualiter omnes dignitates; ut Spiritus Sanctus sit bonus per bonificare, magnus per magnificare, & æternus per æternare, & sic de aliis attributis dignitatum (id est, de aliis attributis, quæ sunt ipsæmet dignitates) *alioquin non esset spiratus perfectè, neque spiratio esset perfecta; & dignitates in illa spiratione essent otiosæ, quod est impossibile. Concluditur ergo, quòd Pater spirat Spiritum Sanctum cum bonificare, magnificare, &c. sed in ipso spirare sunt omnes actus dignitatum, ita sub ratione amandi, sicut in generatione Filii sub ratione intelligendi; & distinctio, quæ est inter Filium & Spiritum Sanctum, consistit in hoc, quòd Pater intelligendo generat Filium, hoc est intelligendo se Patrem, intelligit Filium genitum, sed Pater in diligendo* (sic corrigendum est ex Manuscripto, non, *intelligendo*, ut habetur in impressis) *Filium, & Filius Patrem, diligunt se esse unum spiratorem, diligendo unum spiratum per amorem.*

VIII. In hoc textu supponit Lullus doctrinam catholicam, quòd Pater in diligendo Filium, & Filius in diligendo Patrem, spirant Spiritum Sanctum; & quia habent de se transmittere suam similitudinem, per communicationem suarum perfectionum; & etiam quia in Deo omnes perfectiones sunt æquales: ideo quia Pater & Filius spirando Spiritum Sanctum, ipsum producunt bonum, magnum, æternum, &c. & omnes dignitates æqualiter concurrunt, tamquam ratio agendi, ad ejus spirationem, ut ipse sit bonus per bonificare, id est, per actum, quô producitur bonus, magnus per magnificare, &c. quia, nisi ita esset, non esset perfectè spiratus, utpote non esset ipsi perfectè communicata tota divina essentia cum suis attributis; & in illa spiratione omnes dignitates essent otiosæ, quia in illa non esset actus uniuscujusque earum, quod est impossibile, quia unaquæque ex vi propriæ perfectionis requirit actum proprium in divina productione; & proinde concluditur, quòd Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum cum bonificare, magnificare, &c. quia ratione bonitatis, magnitudinis, &c. spirando, illum producunt bonum, magnum, &c. & quia spirant per diligere, etiam bonificare, magnificare, &c. in spiratione sunt ipsum diligere, quô Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum, & sic soluta manet quæstio quoad omnes suî partes.

IX. Sufficienter patere arbitror ex hujusmodi textûs reflexione, immeritò taxatam fuisse Lulli doctrinam in hac quæstione; nam, præter supra animadversa, non potest suspicari Lullum prætendere bonificare, magnificare, &c. esse actus distinctos ab intelligere & velle, & distinctos etiam esse à generatione, & spiratione, quia probat eum

dem esse actum, videlicet quòd in generatione bonificare, magnificare, &c. sunt ipsum generare, & in spiratione, bonificare, magnificare, &c. sunt ipsum spirare. Deinde dum Lullus dicit quòd dignitates Dei non sunt otiosæ, nullatenus suspicari potest intendere, ipsas absolutè bonificare, magnificare, &c. ac proinde generare & spirare; quia expressè dicit de bonitate, & intelligitur de omnibus aliis, quòd est id ratione cujus bonum agit bonum, ac proinde dignitatibus attribuit bonificare, magnificare, &c. tamquam rationi agendi, non autem tamquam subjecto propriè & absolutè agenti; imò expressè explicat quòd ratione bonitatis, magnitudinis, &c. Pater generando bonificat, magnificat, &c. Filium; & Pater & Filius ratione bonitatis, magnitudinis, &c. spirando bonificant, magnificant, &c. Spiritum Sanctum. Neque tandem dici potest Lullum confundere generationem cum spiratione per hoc, quòd utrique adscribat bonificare, magnificare, &c. nam expressè docet quòd generatio est per intelligere, & spiratio per diligere, ac proinde, licèt utraque sit per bonificare, magnificare, &c. non confunduntur, quia aliud est bonificare, magnificare, &c. generando, ac spirando.

§. II.

In Prop. 10. & 11. ex quæst. 44. & 50. docet Lullus Patrem se bonificare & se facere bonum, latè sumpto facere, *in producendo Filium, quia à seipso habet, & non ab alio, bonificare, seu producere bonum Filium: quod bonificare est quid bonum in Patre; vel quia bonificat Filium, qui, licèt distincta Persona, est ipse & idem Deus ac Pater.*

X. Ex quæst. 44. hic notatur decimò locò textus: *Ut Pater sit bonus, per bonum agere facit se bonum in producendo Filium;* & mox: *Quia Deus Pater se facit bonum, disponit homini virtutes morales, per quas se possit facere bonum. Quæst. 44. circa medium.* Cum sensu notato in his verbis coincidit textus, qui ad propositionem undecimam ex quæst. 50. notatur, videlicet: *Quoniam, sicut Deus est ita magnus per suam bonitatem, sicut per suum intellectum, oportet quòd sicut Deus intelligit se per suum intellectum, ita bonificet se per suam bonitatem; alioquin sua bonitas & suus intellectus non essent æquales in magnitudine potestatis, &c. quod est impossibile; sed Deus se bonificare non potest, cùm sit bonus formaliter, æternaliter, & infinitè, sed ratione finis boni-*

ficat se , in quantum Deus Pater facit se bonum in producendo Filium bonum. Unde sequitur de necessitate esse in Deo productionem personarum.

XI. Sanè cùm recta critice doceat non ex quibusdam verbis per se & solitariè consideratis desumendum esse Autoris sensum , sed ex collatione contextûs, tum antecedentium, tum etiam consequentium : si ad hoc animadvertisset Censor relatorum textuum, difficultatem apparentem solvisset ; nam illud *facit se bonum* in quæst. 44. notatum , ex textu quæst. 50. sanô sensû intellexisset, præcipuè illud quod in ipso dicitur, *quòd Pater bonificet se per suam bonitatem*, & quòd *facit se bonum ;* quia in quæst. 50 asseritur. *quòd Pater est bonus formaliter, æternaliter & infinitè ;* & ex hoc apertè deducit , quòd *Deus se bonificare non potest* in sensu absoluto, quem præseferunt hæc verba absolutè prolata; ac proinde in illo discursu prævio, in quo ex æqualitate magnitudinis in Dei bonitate & intellectu deducitur quòd, sicut Deus intelligit se per suum intellectum, ita bonificet se per suam bonitatem : ly *bonificet se* solùm intelligitur generaliter de actu bonitatis, non autem determinatè de actu productivo , vel de actu quô de non bono fiat bonus ; sed, cùm bonitati divinæ debeat correspondere actus bonitatis, & hic , ut explicat in textu, non possit esse tale bonificare , quô Deus de non bono fiat bonus, vel quô Deus se producat bonum absolutè, quia est bonus formaliter, æternaliter, & infinitè : ideo planum fit quòd ly *facit se bonum* in primo textu , & ly *bonificet se* in secundo , juxta contextum non intelligitur de bonificare quô de non bono fiat bonus, vel quô seipsum producat absolutè & in rigore.

XII. Sensus autem in ipsa quæstione 50. exprimitur; nam , cùm Deus se formaliter non possit bonificare , *ratione finis bonificat se* , id est, habendo se ad finem proprium , exequitur actum bonificandi : unde, cùm hic finis in Deo sit producere Deum, ad hoc enim se habet tota divina natura, cum suis perfectionibus, quia exigit & petit hujusmodi infinitam productionem, ideo *Pater facit se bonum in producendo Filium*, hoc est, exequitur actum bonificandi producendo Filium; & quia Filius, licèt sit distincta Persona à Patre, est ipsemet Deus ac Pater , ideo Pater producendo Filium bonificat se, seu facit se bonum in producendo Filium, quatenus se exprimit in Filio , vel Filium , alterum se producit , juxta phrasim Augustini, Epist. 66. ad Maximum , dum dicit : *Neque enim Pater , ut haberet Filium de seipso , minuit seipsum , sed ita genuit de se alterum se , ut totus maneret in se , & esset in Filio tantus , quantus est solus ;* & hoc

idem exprimitur in primo textu, dum dicitur quòd *Pater facit se bonum in producendo Filium*. Proinde etiam ex contextu apparet, quòd, cùm Deus formaliter, infinitè & æternaliter sit bonus, dùm in textibus reperitur, quòd *Pater facit se bonum*, non intelligitur quòd de non bono fiat bonus, ut sonare videtur, *facere se bonum*, per se & solitariè consideratum; sed tantùm intelligitur, quòd se bonum exprimit vel exercet in producendo Filium, quod exprimit in primo textu, dicens quòd *ut Pater sit bonus* (nedum essendo sed agendo) *per bonum agere*, *facit se bonum in producendo Filium*, id est, ut sit bonus agendo, producit Filium, quâ productione se facit bonum, id est, se exprimit bonum agendo.

XIII. Expositâ relatorum textuum intelligentiâ resultat ex eisdem inter se collatis, & debitâ reflexione animadversis; clariùs autem elucet ex contextibus earumdem quæstionum; ante eorum tamen adductionem refricanda est doctrina Lulli, quam tum., tom. 1. tum etiam 2. observare fecimus, quâ generalem exhibet explicationem sui modi loquendi; nam in lib. de 14. art. Fidei (tom. 2.) in Prologo, postquam dixit oportere uti illis verbis, quæ non sunt in usu, nempe *bonificare*, *magnificare*, &c. ad explicandam divinam productionem, sic præfatur: « Quando autem dicimus *bonificare*, *magnificare*, &c. non intendimus dicere tot esse distinctos actus, quot » sunt divinæ dignitates in numero; ac etiam protestamur quod nec » tempus, nec mensuratio, vel imperfectio cadant in bonificare; » magnificare, &c. quia nos dicimus & probamus in quolibet actu » infinitatem, æternitatem, & perfectionem; & ideo in ipsos actus » non potest cadere imperfectio, cùm in quolibet actu sit infinitas, » æternitas, &c. Et dum nos dicimus *justificare*, non intendimus dicere, quòd de injusto fiat justum, sed intendimus affirmare divinam justitiam frui suômet actu infinitè & æternaliter in bonitate, » magnitudine, &c. & hoc idem intendimus dicere de *bonificare*, » *magnificare*, *possificare*, *verificare*, *&c.*

XIV. Quibusdam postea interpositis, ita subjungit: « Præterea » in hac arte utimur his vocabulis, videlicet *operari* & *facere*, secundùm quod in aliquibus locis habent eadem significata, in aliquibus verò non eadem; & quandoque significant generationem & processionem, & quandoque non; & ideò nos ordinamus hanc regulam in hac arte videlicet quod per *operari*, & *facere*, in fruitione intrinseca dignitatum intelligamus virtutem productivam producentem Filium Dei & Sanctum Spiritum ». Ex

quô Auguft. num. 12. adductus dicit, Patrem generare alterum fe; & fic Pater fe facit bonum *productivè* in producendo Filium, quia producendo Filium, qui eft alter ipfe, feipfum producit in Filio, non in feipfo.

XIX. Alter ad undecimam propofitionem textus habetur, in q. 50. in qua fcribitur : *cùm Deus fit trinus & incarnatus, quæro : quare non feciftis in arte quæftionem de divina Trinitate & de Incarnatione ?* Ad quam Lullus ita refpondet : « Ars eft generalis omnibus, Chriftianis, » Judæis, Sarracenis, ac etiam Paganis, fed non effet generalis » omnibus, fi in ipfa effet Fides Chriftiana explicitè ; verumtamen » eft in ipfa implicitè, ut apparet in pluribus, & maximè in quæf- » tionibus ultimis per diffinitiones principiorum, ficut (ut in Ma- » nufcr.) per diffinitionem æqualitatis deductam per divinam boni- » tatem, magnitudinem, æternitatem, &c. *Quoniam ficut Deus eft ita* » *magnus per fuam bonitatem, ficut per fuum intellectum, opportet* » *quòd, ficut intelligit fe per fuum intellectum, ita bonificet fe per fuam* » *bonitatem, alioquin fua bonitas & finis intellectûs non effent æquales* » *in magnitudine poteftatis, virtutis, voluntatis, &c. quod eft impoffi-* » *bile ; fed Deus fe bonificare non poteft, cùm fit bonus formaliter,* » *æternaliter, & infinitè, fed ratione finis bonificat fe, in quantum Deus* » *Pater facit fe bonum in producendo bonum Filium : unde fequitur de ne-* » *ceffitate in Deo effe productionem Perfonarum ; alioquin definitio bonita-* » *tis non effet æterna, & fic de aliis definitionibus attributorum divinorum,* » *quod eft impoffibile. Et de aliis articulis ;* hoc eft, fimiliter in arte con- » tinetur implicitè probatio aliorum Fidei articulorum.

Text. prop. 11.

XX. Idem planè fenfus, qui in alio textu, intelligitur in ifto, & aliquo modo explicatior ; nam *Primò* intelligitur quòd Deum *fe bonum facere*, eft idem, ac *bonificare fe*. *Secundò*, quia in primo difcurfu, ex æqualitate intellectûs & voluntatis, deducitur Deum bonificare fe, ficut intelligit fe, hoc bonificare fe, debet effe actus confimilis actui, quô intelligit fe, ac proindè folùm concluditur effe in bonitate fuum actum bonificandi, ficut in intellectu eft actus intelligendi. *Tertiò* in difcurfu fubfumpto fupponitur, Deum effe formaliter, æternaliter & infinitè bonum, & propterea non poffe bonificare fe, vel reddendo fe de non bono bonum, vel feipfum abfolutè producendo ; quia tamen debet in ipfo effe actus bonitatis, ut etiam in agendo fit bonus, ideo producit Filium ; & quia actus producendi Filium eft actus bonificandi Filium, quia Pater bonus producit Filium bonum, ideo Pater in producendo Filium bonificat fe,

vel

vel se facit bonum, hoc est, exercet se ut bonus; cùm enim nedùm sit bonus formaliter seu in essendo, sed etiam finaliter seu in agendo, & sit bonus in agendo, quatenus producit Filium; & hoc est se exercere in bono, quod est quodammodo, facere, generaliter sumptum: ideo modò dictò Pater se bonificat, & se bonum facit.

XXI. Proinde in quæstionibus & eorum textibus notatis nunquam est sensus absolutus: *Pater bonificat se*, vel *Pater se facit bonum*; sed restrictus, nempe *Pater bonificat se*, vel *se facit bonum*; hoc est *exercet se in agendo bonum, in producendo Filium*; vel *bonificat se & se facit bonum productivè, in producendo Filium, qui est idem bonum ac Pater*; in hujusmodi autem locutionibus ita explicatis, prout textus requirunt, nulla est intelligentiæ difficultas: præcipuè cùm de hujusmodi mysteriis difficulter cum proprietate loqui possimus; & aliquando ad divina sanò sensu fit adhibitum Verbum *facere*, ut Joan. 1. 30. *Post me venit vir, qui ante me factus est*; Hæbr. 3. 1. *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum*; & Actor. 2. 36. *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis*: quæ loca expendens Petavius Theol. Dogm. tom. 2. lib. 2. de Trinit. cap. 3. num. 1. ait: *His ita respondent Patres, ut hæc loca, & in his Verbum faciendi partim divinæ Verbi substantiæ, partim humanæ tribuant. Sed non eòdem sensu omnes interpretantur.* Et quidem D. Athanasius ibi ait, consuetudinem esse Scripturæ uti verbo *faciendi* pro eo quod est gignere. Etiam D. Cyril. Alexand. ibi num. 3. aliò sensu verbum *faciendi* usurpari censet, pro eo quod est *declarari* vel *ostendi*.

XXII. Præterea similibus verbis utitur Scriptura, ad exprimendum actum divinarum perfectionum, ut Isaïæ 5. 16. *Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus Sanctus sanctificabitur in justitia*; Ezech. 36. 23. *Et sanctificabo nomen meum magnum..... cum sanctificatus fuero in vobis coram eis*; & cap. 38. 23. *Et magnificabor & sanctificabor: & notus ero in oculis multarum gentium, & scient quia ego Dominus.* Plura similia habentur in Scriptura, quæ non denotant novam in Deo operationem, sed exercitium seu actum suarum dignitatum cum terminatione ad extra: quò modò, quamvis dispari ratione, videtur posse dici Patrem se bonificare & magnificare per hoc, quod habeat actum bonificandi & magnificandi terminatum ad Filium, producendo ipsum de seipso; & quia producere bonum & magnum Filium est quid bonum & magnum, & hoc à se & per

se habet Pater, & non ab alio, ideo, sepositâ intelligentiâ novitatis, poterit dici, Patrem se bonificare producendo Filium bonum, quia à se & non ab alio habet hoc bonificare, & hoc est quid bonum in ipso: ad instar hominis, qui, licèt cùm novitate operationum & cum sui mutatione, se bonificat & magnificat, operando bona & magna.

XXIII. Similia ac in Lullo possunt apud Patres, quamvis non eâdem, sed æquivalenti expressione, observari. D. Cyrill. Alexandr. Thesauri, lib. 1. cap. 6. ad hanc Arianorum objectionem: *Si perfectus Pater in sua magnitudine est, nec aliquid ad perfectionem suæ naturæ deest, superfluè, quasi plenitudo Deitatis suæ, Filius sibi adjungitur:* Respondet hoc modo: *Perfectus certè Pater in sua magnitudine invenitur; perfectus autem est, non solùm quia Deus, sed etiam quia Pater: quare qui Deum negat Patrem esse, is fæcunditatem aufert à divina natura, ut jam perfecta non sit, cùm generandi virtute careat. Notio ergo perfectionis fæcunditas est, & sigillum, quod Patris ostendit perfectionem, Filius est, qui ex Deo prodit. . . . naturâ igitur inest Patri fæcunditas, & ideo perfectus est, quia genuit.* Sanè idem sensus, qui à Lullo in textibus notatis de bonitate, exprimitur hîc à D. Cyrillo de perfectione; quia enim Pater est perfectus, nedum in essendo, sed etiam in operando, ut perfectus sit in operando generat Filium, quia hæc generatio est notio perfectionis, & Filius genitus ostendit Patris perfectionem: atque ita Pater *perfectus est quia genuit*, quasi generatio illum reddat perfectum; & quia à seipso, & per seipsum, non autem ab alio nec per alium, habet generare, ideo, si fas est dicere, seipsum perficit, vel sibi dat perfectionem, quia à seipso habet hanc perfectionem, quæ est generare.

XXIV. Pariformiter potest discurri ex aliis Patrum dictis: sic August. Epist. 174: *Hanc perversitatem pellit ex animo, qui didicerit Patrem verum Deum esse, gignendo veritatem, non participando.* Idem lib. 3. contra Maximin. cap. 15. *In forma Dei Filium esse non negas, & Deo Patri æqualem negas, majorem Patris formam putans esse, quàm Filii; tanquam non habuerit Pater unde formam suam compleret in Filio, quem de seipso genuit; non fecit ex nihilo, non ex alio.* Idem lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Proinde tanquam seipsum dicens Pater, genuit Verbum sibi æquale per omnia*; hæc autem expressio *seipsum dicens*, videtur coincidere cum illa Lulli *se bonificans*; & propterea, conformiter ad illam ejus sententiam adductam, num. 12. quòd Pater genuit alterum se, sæpè repetit quòd Pater genuit id quod est ipse,

ut lib. de Fide & Symbolo, cap. 3. *Deus verò, cùm Verbum genuit; neque de nihilo, neque de aliqua jam facta conditaque materia, sed de seipso id quod est ipse.*

XXV. Apud Petavium, lib. 5. de Trinit. cap. 4. num. 12. Faustus Rhegiensis, verbô *facere* utitur, ita ut Filius Patrem faciat, dicens : *Hoc ipsum Filii nomen ex Patris derivari nomine creditur, nec tamen posterius invenitur, quia, nisi iste nasceretur, Pater illi non diceretur. Ecce nomen quod absolutè coævum illi est, à quo est ; & cùm Filius ex Patre sit, Patri nomen Filius facit : acquirit genitori vocabulum pietatis persona nascentis, cùm hoc ex illo sit, nec hoc posterius, nec aliud probatur antiquius.* Idem apud Petav. ibi cap. 15. num. 13. dicit Patrem esse sui Autorem, nam de Patre loquens ait : *Ipse sibi Autor & Filio, quia una origo est & fontis & fluminis* ; & ibi, num. 14. Lactantius Firmianus, lib. 1. cap. 8. de Deo ait : *Verùm quia fieri non potest, quin id, quod sit, aliquando esse cœperit, consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus*, & adducit Senecam dicentem : *Deus ipse se fecit :* Unde, sicut ut exprimatur quòd Pater à seipso, & non ab alio, est Deus, dicitur esse sibi Autor, & se procreasse ; meliùs, ut intelligatur à seipso habere actum generandi, quod est quid bonum in Patre, poterit, sanô intellectû observatô, dici quòd Pater seipsum bonificat.

XXVI. Egregiè videntur confirmari prædicta ex Card. Cienfuegos in Ænigmate Theol. Disp. 7. sec. 1. §. 4. ubi postquam §. 1. sibi objecisset quòd ex sua doctrina sequitur idem posse producere seipsum realiter, *quoniam* (ut sibi objicit) *juxta principia sententiæ nostræ prædicatum, quòd producitur, est aliquod ex absolutè præexistentibus in producente, & cum ipso realiter idemtificatis : sicut etiam prædicatum ipsum producens ut quod reperitur absolutè existens in termino producto, & cum ipso realiter idemtificatum sub ea ratione : nullaque realitas positiva est in genito, quæ non sit immediatè per identitatem in generante, & vice versâ, sive ea realitas absoluta tantum sit, sive relativa etiam. Ergo verificatur in toto rigore, Patrem producere realiter suammet entitatem vel realitatem positivam ; non quidem adequatè omnem, sed aliquam : adeoque aliquid sui ; quod simul cum reliquorum communicatione sufficiens erit ad hoc ut totum illud positivum, quod in Patre est generans, in Filio dicatur genitum. Ergo verè & propriè sunt idem generans realiter & genitum, Pater & Filius.* Hoc idem argumentum variis urget instantiis ; & respondet, nunquam sequi Personam seipsam realiter producere, quia, ut ait §. 4. num. 39. *Cogitatio nostra*

contendit & probat satis, Personam productam esse aliam personaliter à persona generante, quin in ratione Personæ identificetur cum illa penès modum.

XXVII. Hoc ipsum posteà explicat, & num. 41. ita subjungit: « Fit tertiò, productiones divinas in sensu proprio & in lata significatione appellari posse productionem suî ipsius, cùm in nostris » principiis non solùm identificetur entitas producta penès modum » absolutum utrimque cum producente, sed insuper quâ absoluta » cum producente, prout relativâ, & quâ relativa & producta cum » generante ut absolutè existente: Unde Pater, non solùm quâ principium communicativum tribuit Filio suam substantiam, sed insuper quâ principium productivum tribuit esse reale verè & propriè » penès modum essendi respectivum, entitati, quam ipse Pater habet secum identificatam immediatè entitativè penès absolutum. » Quâ ratione minori impropriетate (quamquam impropriè semper » & abusivè: & propterea nunquam ita loquendum sine explicatione aut addito) quàm in pervulgata sententia, dici potest Pater » generans aut producens aliquô modô latô seipsum, id est producens realiter aliquid, quod præexistit actu formaliter in Patre » cum ipso identificatum entitativè & adequatè secundùm aliquem » essendi modum illius: & in eo sensu principium suî potiùs quàm » in communi sententia; juxta quam non modò falsæ, sed planè ab » surdæ forent Patrum locutiones quamplurimæ.

XXVIII. Locutiones Patrum, quas hîc commemorat Cienfuegos, sunt sequentes, quas hîc adducit, nempè S. Justinus Martyr in confutatione responsionis ad tertiam quæstionem cujusdam Græci, ait: *Per seipsum produci significationem productionis habet ejus, quod se ipsô producitur. Id autem, quod per seipsum productum sit, ab eo, quod per alium productus sit, ipsa productione non differt;* num. 42. adducit Lactan. Firmian. à nobis relatum, num 25. & dictum Senecæ *Deus ipse se fecit*: quæ, ut ait, sunt dicta « ad modum, quô de Curtio Ruffo » dixisse Tiberium refert Tacitus, lib. 11. Annal. *Videtur mihi ex se » ipso natus*; & Ezech. 29. recensetur superbia Pharaonis aïentis: » *Ego feci memetipsum.* » Laudat, num. 43. Divum Hieron. ad Ephes. cap. 3. ubi expendens illud Pauli: *ex quo omnis Paternitas*, adjungit: *sui origo est, suaque causa substantiæ, non potuit aliunde habere, quòd subsistit.* & D. Aug. lib. 4. de Trinit. dicentem: *Pater est principium & origo Deitatis*, quæ verba ex Augustino desumpsit Concil. Tolet. 6. Etiam idem Cienfuegos, disp. 5. sect. 2. §. 3. alios Patres

adducit, ad quos hîc se refert, ut est, num. 26. D. Athanas. Orat. 4. contra Arian. dicens: *Est Pater in Filio, eò quòd quidquid est Filius, id universim sit proprium substantiæ Patris;* & postea: *estque vice versâ Pater in Filio, eò quòd id, quod est Patri proprium ac suum, id ipsum sit Filius.* Gregor. Nazian. ibi, num. 28. Tract. de Fide, docet, Patrem dum generat Filium, *producere alium ipsum*; & Orat. 49. *Pater est alius idem*; & Aug. Epist. 66. ad Maximum, dixit: *Pater genuit alium se.*

XXIX. Has locutiones explicans ibidem Cienfuegos, ait: « Porrò, » cùm Pater significet in recto Paternitatem & Filiationem pariter » Filius: cùm Filius dicitur generari, & cùm dicimus Patrem generare, denotamus Patrem generantem & Filium genitum, penès » prædicata illa in recto significata, ut mutuò respectiva, secundùm » quæ Pater est alius realiter à Filio, & Filius alius realiter à Patre » (quin sub illa ratione esse valeant idem, sed alter & alter solùm.) » Et cum aliunde illam & prædicata penès modum existendi absolutum sint realiter idem inter se, imò & unumquodque, ut respectivum, cum alio quâ absoluto, & è contra: idcirco in illismet » prædicatis, in quibus & ratione quorum sunt alius & alius ab invicem, sunt etiam idem ad invicem entitativè & physicè; consequenter sub eo modo absoluto essendi unum est realiter alterum; » & cùm simul sint distincta realiter sub modo essendi relativo, aliusque propterea alius: ideo summa cum proprietate est unusquisque » *alter* simul & *ego*. Ad modum quô, juxta vulgare proloquium, » amicus *alter ego*, vel *alter Hercules*, amicus Herculis, appellatur.

XXX. Colligendo quæ hucusque sparsim sunt dicta, deduci potest, quòd, si apud Patres citatos, quia Pater divinus à seipso est, & non ab alio, dicitur suî causa, origo, & Autor, &c. cùm ipse Pater à seipso habeat, & non ab alio, bonificare Filium, ipsum producendo bonum; & hoc ipsum bonificare esse quid bonum in Patre, poterit etiam Lullus dicere, latô quidem & improprio sensu, Patrem se bonificare & bonum facere in producendo Filium. Etiam, si Pater est *perfectus quia genuit; si est verus Deus gignendo veritatem; si formam suam complet in Filio;* & hoc habet Pater per seipsum generando Filium, quod est quodammodo se reddere vel (generali impropriâ locutione) se facere perfectum, verum & completum: poterit etiam dicere Lullus simili modo Patrem se facere bonum. Præterea, si Pater genuit alterum se, ex Augustino, sicut etiam seipsum dicens, genuit Filium, & quòd genuit id quod ipse est; &

hoc est quia Filius genitus, licèt altera Persona, est idem Deus ac Pater, eodem sensu poterit dicere Lullus, quòd Pater se bonificat in Filio, vel producendo Filium, ut hoc alio modo explicuimus Lulli locutionem, & multò magis eo modo quo citatus Cienfuegos hujusmodi explicat locutiones: ac proinde immeritò notantur relati textus apud Lullum.

DISSERTATIO III.

De Sarracenorum salvatione; satisfactione sacramentali; die judicii; & hominis formatione in utero matris, quoad propositiones 5. 6. 7. 8. & 9. ex quæstionibus 8. 21. 22. 31. & 35.

§. I.

Docet Lullus Prop. 5. ex quæst. 8. Sarracenos cum peccato originali non posse salvari.

1. QUINTO loco hæc notantur in hoc libro: *Sarraceni salvari non possunt, cùm sint damnati per peccatum originale.* Quæst. 8. Consideratis his solis verbis videtur hunc Censorem prætendere, quòd Lullus intelligat, Sarracenos, adhuc hanc vitam degentes, jam esse damnatos; sicut miseri in inferno reclusi; & propterea non posse salvari, sicut isti, quia in inferno nulla est redemptio. Non puto alio sensu notatam esse dictam propositionem, quia illa propositio: *Sarraceni salvari non possunt*, obvio sensu intelligitur de ipsis manentibus Sarracenis, & baptisma non recipientibus, quô modô verum est non posse salvari, quia similes locutiones passim à Christianis usurpantur, & è suggestibus depromuntur ad exprimendam necessitatem Fidei Christianæ, & Baptismatis ad salvationem; non autem negant illam potentiam, quâ Sarraceni possunt ad Fidem Christianam converti, vel gratiâ Dei extraordinariâ possunt amoris Dei actum elicere, vel contritionem perfectam de peccatis actualibus, & sic mundari simul à peccato originali; quia ista, nisi exprimantur, in similibus locutionibus non intelliguntur: unde pronum est cogitare, quòd illa causalis: *Cùm sint damnati per peccatum originale* reddat hunc sensum:

Cùm sint addicti damnationi per peccatum originale, sicut solemus dicere homines perversissimos jam esse damnatos; non autem æquum est intelligere Sarracenos esse simili damnatione affectos, ac in infernum detrusos, quia hoc de hominibus viventibus in hoc mundo est maximum absurdum, quod non est æquum credere Lullum protulisse.

II. Hæc dicta sunt solùm inspectis verbis notatis; at maximè mirandum est, hunc Censorem, qui quæstionem & solutionem in Lullo legit, hæc verba notasse, nec advertisse errorem typicum in illa voce *damnati*. Sanè, quandoque bonus dormitat Homerus; sed audiatur Lullus: « Quæstio 8. Utrùm omnes homines possent salvari, ita » quòd nullus damnaretur, dato quòd omnes essent Christiani? Et » quare Sarraceni damnantur, si credant se Deum credere? Et quare » Deus tot permittit infideles? Numquid non esset melius quòd omnes essent Christiani? Solutio. *Considerando medium, & suam definitionem, respondeo sic: supposito, quòd omnes homines essent Christiani, & tenerent principium, medium, & finem, quare sunt, possent* » *salvari; sed illi qui deviati sunt à medio, salvari non possunt, cùm* » *finis sine medio haberi non possit. Sarraceni autem salvari non possunt,* » *cum sint deviati* (non *damnati*, ut errore typico habetur in editione » ab hoc Censore examinata) *per peccatum originale; & quod sit peccatum originale probavimus in libro articulorum Fidei.* » Text. pr. 5.

III. Ex reflexione hujus integri textûs simul & tituli quæstionis, *Primò* apparet nedùm error typicus in verbo *damnati*, quod ponitur loco vocis *deviati*, sed etiam, quàm facilè cognosci poterat Sarracenos esse deviatos à salvatione per peccatum originale; quia statuto hoc principio quòd *illi, qui sunt deviati à medio salvationis, salvari non possunt*, deducit Lullus conclusionem, quòd Sarraceni salvari non possunt; ac proinde causalis vel ratio, quare salvari non possunt, debet esse quia sunt deviati; aliter non cognosceretur discursus, qui hunc syllogismum comprehendit: *Illi qui sunt deviati à medio* salvationis, *salvari non possunt; sed Sarraceni sunt deviati à medio* salvationis *per peccatum originale: ergo salvari non possunt.* Unde, nisi velit quis voluntariè Lullum facere stupidissimum & inconsequentem, debet agnoscere Lullum ibi intendere Sarracenos esse, non *damnatos*, sed *deviatos* à medio salvationis per peccatum originale; ac proinde evanescunt omnia, quæ ex supposita Sarracenorum, adhuc hanc vitam degentium, damnatione objici poterant contra relatum textum. *Secundò*, licèt Lullus de facto scripsisset, quod Sarraceni sunt *dam-*

nati per peccatum originale, ex contextu debet intelligi quòd *damnantur*, quando moriuntur, ob peccatum originale, vel quòd post mortem sunt *damnati*, vel quòd per peccatum originale dum vivunt, sunt *addicti damnationi*. Ratio est, quia in quæstione inquiritur, *quare Sarraceni damnantur?* Quòd, de quibuscumque intelligitur, dum moriuntur, & sic supponit eos, dum vivunt, non esse damnatos: unde pronum est solutionem hujus quæstionis, dato quòd in ipsa dicatur quòd sunt *damnati*, intelligere sub aliquo ex adductis sensibus, qui unicè correspondent quæstioni propositæ.

IV. *Tertiò* ex eodem textu apparet, quàm multa paucis complectatur Lullus; nam supponit Baptismum, quo homines fiunt Christiani, esse medium necessarium ad salvationem, & hoc in ipsa quæstione jam supponitur, dum inquiritur: Utrùm omnes homines possent salvari, ita ut nullus damnaretur, dato quòd omnes essent Christiani? Nam ex hujusmodi quæstione ut fixum præsupponitur, Christianitatem esse dispositionem necessariam ad salvationem, ut apud omnes est certum; quia tamen quæstio est de omnibus, & in adultis requiritur legis christianæ adimpletio: propterea, *suppositò quòd omnes homines essent Christiani, si tenerent principium, medium, & finem, quare sunt*, scilicet *principium* gratiæ sanctificantis, *medium* Fidei, & cæterarum virtutum, prout sunt sub præcepto, & *finem* perseverantiæ usque ad mortem, *possent salvari*, quia hæc necessariò prærequiruntur ad salvationem obtinendam; & propterea, si hæc haberent, possent salvari, & de facto salvationem consequerentur. Hæc sanè doctrina, quam ibi præscribit Lullus, est pura catholica doctrina, nec indiget aliis doctrinis stabiliri, cum apertè constet ex Evangelio.

V. Deducitur ex hujus quæstionis solutione, alterius resolutio, videlicet: *Quare Sarraceni damnantur, si credant se Deum credere?* Nempè, *quare damnantur* suo tempore, eo scilicet, quo moriuntur, non autem dum adhuc vivunt, quia intelligitur quæstio in sensu vulgari, quo de similibus loqui solemus. Ad hujus solutionem præmittit Lullus, quòd illi, *qui sunt deviati* à medio salvationis, id est ab omni illo, quod requiritur ad salvationem obtinendam, prout dicitur & supponitur in præcedenti quæstione, esse Baptismus, gratia, fides, & aliæ virtutes cum charitate & perseverantia finali; *salvari non possunt*, ut evidens est, quia sine medio, finis haberi non potest; & quia *Sarraceni sunt deviati* ab hoc medio *per peccatum originale*; certum est enim ipsos esse dicto peccato infectos, & consequenter ipsos esse destitutos gratiâ cæterisque, quæ sunt medium ad salvationem necessarium:

rium: ideo, licèt credant se Deum credere, sub hac deviatione, *salvari non possunt.*

VI. Unde illa propositio: *Sarraceni salvari non possunt* solùm intelligitur in illo eodem sensu, quò communiter dicimus, nullum sine baptismo posse salvari, neminem extra Christi Ecclesiam posse vitam æternam obtinere, similiaque plura: intelligitur enim, quòd cùm peccato originali, & dum sint sine baptismo & aliis, quæ sunt medium ad salvationem necessarium, salvari non possunt, non enim à Lullo profertur propositio omnino absoluta, quòd *Sarraceni salvari non possunt*, sed determinata, nedùm per id quod supponitur in quæstione de necessitate baptismi, sed etiam per illam causalem *cùm sint deviati p*[illegible] *originali*, id est, dum sint ita deviati, prout etiam supponitur in illa generali maxima [illegible] salvationis, *salvare non possunt*. Quòd autem absolutè possint Sarraceni salvari, sicut & omnes infideles, quatenus possunt ad fidem Catholicam converti, & ordinari sub medio salvationis, docet Lullus in solutione tertiæ quæstionis, dicens; quòd *Deus permittit tot esse infideles, ut fideles habeant subjectum sive materiam ad convertendum infideles*; & ad hoc inculcandum subdit: « Unde propter hoc » dixit Christus B. Petro: *Petre si diligis me, pasce oves meas*: etiam » dixit: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me*: » Unde videtur, quòd infideles fierent Christiani, & si non fiunt, » caveant sibi illi, per quos possent esse Christiani, & non curant, » quia legitur in Evangelio: *Væ illi homini per quem scandalum venit* ».

§. II.

In Propositione 6. ex quæst. 21. docet Lullus quòd non satisfaciens opere, non est absolutus à pœna, non autem negat ejus absolutionem à culpa.

VII. Difficultatem textò ingerunt hæc verba, nempè: *Utrùm, si Sacerdos me absolvat à peccato cùm pœnitentia, quam mihi injungit, & ego sim cum bona voluntate satisfaciendi, & post aliud tempus amittam istam bonam voluntatem, & non faciam illam pœnitentiam: utrùm sim absolutus? Fractò mediò frangitur duratio formæ & finis; & principium non se potest habere ad finem per lineam continuam, & destruitur influentia & refluentia absolutionis: unde sequitur quòd negatio quæstio-*

nis est tenenda. Quæst. 21. Difficultas autem videtur stare in hoc, quòd hic textus prætendere videtur, absolutionem sacramentalem stare in suspenso, & effectum non producere, usque ad exhibitionem satisfactionis in opere; dumque hæc non exhibeatur, non manere pœnitentem absolutum; ac proinde immediatè post absolutionem sacramentalem, suppositâ confessione, contritione, & satisfactione in voto, non confertur gratia, nec eximitur homo à reatu pænæ æternæ, nisi postquam adimpleta est satisfactio; & ipsius voluntate deficiente, manet eodem modo ligatus ac erat ante Sacramentum Pœnitentiæ.

VIII. Antequam hujusmodi difficultatem dissolvam, observandum est, hujus libri quæstiones non esse propositas ab ali[illegible] Tyrone, sed [illegible] scilicet Thoma Atrebatensi, qui exigit solutiones juxta principia & regulas artis Lullianæ; nec solutiones ad Tyronem, sed ad ipsum Magistrum Thomam sub Epistola directas esse; & propterea, nedum more suô, quô brevissimè tangit materias, respondet Lullus, sed quia ad hominem doctum scribebat, paucis multa complectitur, multa ut scita supponit, rationesque & sententias tantùm indicat, ut apparet in hac 21. quæstione; ad cujus intelligentiam supponendum est ex quæst. 22. quòd absolutio sacramentalis ratione effectûs, quem causat, consideratur duplex, nempe absolutio à culpa, & absolutio à pœna; & hæc, alia est absolutio à pœna æterna, & alia à temporali; cùm enim per sacramentum remittatur pœna æterna, & maneat subeunda pœna temporalis, ad quam complendam ordinatur satisfactio, sacramentalis, quam injungit Confessarius, ideo ad hujus etiam pœnæ temporalis absolutionem ordinatur absolutio sacramentalis, & illius etiam dicitur absolutio, cùm hæc omnia præstari possint per Sacramentum Pœnitentiæ, ad quæ causanda fuit à Christo institutum.

IX. Hôc præ oculis habitô, attendendus est textus, qui ita se habet: « Quæst. 21. utrùm si Sacerdos me *absolvat à peccato, cum pœnitentia*, quam mihi injungit, & ego sim in bona voluntate satisfaciendi, & post aliud tempus amittam ipsam voluntatem, & non faciam illam pœnitentiam: utrùm sim absolutus? » Sanè ex terminis hujus quæstionis apparet hîc agi de absolutione, non à culpa, sed à pœna temporali; tum quia quærit, *si Sacerdos absolvat à peccato cum pœnitentia quam injungit*; quoniam pœnitentia, quam Sacerdos injungit, non est necessaria ad absolutionem à culpa, utpote, quamvis eam non injungeret, suppositâ debitâ dispositione in pœnitente,

haberetur absolutio à culpa, sed, quia per pœnitentiam quam injungit, intendit Sacerdos ut pœnitens satisfaciat pro temporali pœna, ideo ejus absolutio prout per injunctionem pœnitentiæ contrahitur, determinatur ut sit & intelligatur absolutio à pœna temporali. Nec obstat, quòd dicat: *me absolvat à peccato*, quia reatus pœnæ consequitur ad culpam, & proptèrea nedùm culpa, sed etiam reatus pœnæ intelligitur sub peccato; nec potest absolvi pœnitens à reatu pœnæ, quin præsupponatur absolutio à culpa, & propterea absolutio consistit in his verbis: *Absolvo te à peccatis tuis*; & licèt solùm exprimat peccata, causat tamen omnes prædictos effectus. Ex alio capite cognoscitur quòd hìc agitur de absolutione quoad pœnam temporalem; quia quæstio est de illo, qui priùs habuit voluntatem satisfaciendi, & postea amittit hanc voluntatem, & non facit pœnitentiam; cùm enim pœnitentia injungatur ad satisfaciendum pro pœna temporali, quæstio facit hunc sensum, an illa bona voluntas satisfaciendi, quam habuit sub Sacramento, sufficiat ut sit absolutus à temporali pœna, vel adhuc maneat ligatus, eò quòd amisit bonam voluntatem, nec pœnitentiam adimplevit.

X. Suppositô hôc quæstionis sensû, plana est intelligentia solutionis, quæ ita proponitur: « Solutio. *Considera definitionem medii durationis, & quartam regulam* (scilicet *quare*) *& tunc apparebit solutio quæstionis; ita quòd fractô mediô, frangitur duratio formæ & finis; & principium* (fractô videlicet mediô) *non posset se habere ad finem per lineam continuam, sed destrueretur influentia & refluentia absolutionis: unde sequitur, quòd negativa quæstionis est tenenda*. Hoc est, cùm medium sit id, per quod principium influit fini, & finis refluit principio: medium durationis est id per quod hujusmodi influentia & refluentia durat: Quarta regula *quare* considerat finem; & quia finis, ad quem tendit absolutio Sacerdotis per injunctionem pœnitentiæ, est solvere pœnitentem à debito pœnæ temporalis, & hoc per medium pœnitentiæ quam injungit: fractô hôc mediô per defectum pœnitentiæ, non durat forma absolutionis, nec finis intentus, & quia sine hoc medio non potest continuari influxus principii, scilicet Sacerdotis absolventis, usque ad finem liberationis pœnitentis à reatu pœnæ, sed ex defectu medii, necessariò deficeret illa influentia & refluentia; ideo negativa quæstionis est tenenda, scilicet quòd ille pœnitens non maneat absolutus in sensu quæstionis, videlicet à pœna temporali. Text. pr. 6.

XI. Confirmatur, hanc esse intelligentiam hujus quæstionis & ejus

ſolutionis, ex immediata, q. 22. earumque collatione; nam in 21. inquirit de eo, qui non adimplet pœnitentiam, an ſit abſolutus; & in 22. quærit de adimplente pœnitentiam injunctam, levem tamen, an ſit liberatus; & quia in hac expreſsè quærit *an ſit liberatus à pœna & culpa?* Duplicem conjungit ſolutionem, & quoad culpam & quoad pœnam, ut §. ſequenti examinabimus; quoad abſolutionem autem & liberationem à pœna, docet quòd ſi pœnitentia æquipollet peccato, vel ſi pœnitentia, quantumvis levis, ſit comitata magnâ contritione & dolore, ita ut ſic æquipolleat peccato, ſic manet pœnitens abſolutus à pœna: quare videntur ambæ quæſtiones de abſolutione à pœna procedere; tum ex earum immediata conſecutione; tum ex eo quod prima ſit de non adimplente pœnitentiam, & ſecunda de eam, levem tamen, adimplente.

XII. Hæc omnia ampliùs patent ex ſenſu Lulli alibi certo, quòd videlicet Sacramentum Pœnitentiæ, ſuppoſitâ debitâ in pœnitente diſpoſitione, immediatè cauſat gratiam & remittit peccatum quoad culpam, nec hujuſmodi effectus ſuſpenditur uſque ad ſatisfactionem in opere. Nam in Lib. Proverb. part. 3. cap. 39. *de Confeſſione* poſtquam num. 1. dixit: *Confeſſio eſt enarratio peccatorum facta Presbytero cum contritione;* & num. 2. *Confeſſio, quæ eſt cum contritione, eſt vera*, num. 13. ſcribit: *Vera confeſſio affert veniam, & falſa confeſſio maledictionem.* Lib. de Doctrina Puerili, cap. 26. *de Pœnitentia;* poſtquam varia dixit de hoc magno Sacramento, ait: *Amabilis Fili, cùm pœnitentia faciat parcere omnia peccata commiſſa, & faciat dare beatitudinem Paradiſi, fac pœnitentiam dum es in hoc mundo.* In Lib. Clericorum, cap. 30. *de Pœnitentia* ſextô Sacramentô ait: *Ad veram autem pœnitentiam tria requiruntur, contritio, confeſſio & ſatisfactio, ſine quibus non eſt diſpoſitum Sacramentum Pœnitentiæ, nec Presbyter poteſt eos, qui de commiſſis veniam à Deo petunt, abſolvere;* atque ita, dum hæc ſint, fit abſolutio à peccatis, nec ſuſpenditur uſque ad ſatisfactionem in opere, cùm nullibi hoc inſinuet; imò docet per contritionem perfectam, quæ ſemper præcedit ſatisfactionem, dimitti homini peccata, ut in Lib. Proverb. part. 3. cap. 38. num. 3. dicens: *Deus non poteſt ſe defendere, quin parcat contritioni & ploratui hominum;* & num. 5. *de magna contritione, magna venia.* Hoc idem inſinuat in Lib. Sent. q. 123. num. 1. dicens: *Deus per gratiam diſponit peccatorem, qui eſt ligatus, ut ſe moveat ad bonas cogitationes, & ad peregrinationes, & ad faciendum eleemoſynas, orationes, & ſic de ſimilibus, ut liberè ſit contritus & agat pœnitentiam*

de commissis : & tunc , si hoc facit , in illo instanti in quo hoc facit , & incipit , justitia & misericordia Dei remittunt culpam , & gratia infundit charitatem in subjectum ordinatum & benè dispositum. Idem docet in lib. quæst. per ar. demonst. solub. q. 87. ubi num. 4. docet quòd, quando anima per gratiam Dei est contrita, Deus illi parcit.

XIII. Nedum doctrina, sed etiam modus loquendi Lulli in hac quæstione videtur conformis D. Bonavent. in 4. dist. 15. art. 1. q. 3. ubi quærit : *Utrùm extra charitatem , abstinentem à peccatis possibile sit satisfacere ;* & resolvit negativè, quia satisfacere importat divinam acceptationem & reconciliationem, quod extra charitatem non habetur. Ad tertiam autem objectionem ita respondet : « Ad illud quod » objicitur, quòd nullus tenetur ex charitate implere mandata, di- » cendum, quòd quando satisfactionis opus ab homine imponitur » homini, non tenetur illud opus facere ex charitate, sive in charitate, » quia præceptum, sed necesse habet in charitate facere ad hoc quòd » sit emendatorium & Deo placitum; & ideo dico quòd opere illô » injunctô completô, non tenetur illud iterare; sed si dubitat pro- » babiliter se Deo non satisfecisse, non debet à satisfactione cessare, » quousque per signa probabilia habeat certitudinem de *culpa dimissa* » *& pœna*. Unde, sicut dictum est de aliis Sacramentis, maximè » de Eucharistia, quòd non valet nisi habenti charitatem, non tamen » tenetur quis accedere ex charitate secundùm veritatem, sed se » probabiliter disponere : ita etiam de satisfactione dicendum, quòd » opera injuncta in satisfactionem tenetur facere, & tenetur se dis- » ponere, quantùm est in se, & sic *absolutus est* in foro Ecclesiæ, » & à pœna suæ conscientiæ, & in foro Dei *absolutus est*, ut non » peccet in hoc faciendo. Sed tamen per hæc opera non *absolvitur* » *omninò* ; & ideo sanum consilium est quòd homo semper pœniteat ». Ipse Bonav. ibid. art. 2. q. 2. etiam scribit : « Ad illud quod objici- » tur, quòd confessio est propter reconciliationem ; dicendum, quòd » non est solùm propter hoc, sed ad arbitrandum pœnam inter ho- » minem & Deum, quâ solutâ, tunc fit reconciliatio perfecta.

XIV. Ex hac D. Bonav. doctrina habemus, *Primò*, quòd per satisfactionem in opere datam, nisi sit facta in charitate, non habetur reconciliatio cum Deo ; & per hujusmodi satisfactionem, dum per signa probabilia noscitur esse sufficiens, probabiliter habetur certitudo de *culpa dimissa & pœna* ; atque ita sentit D. Bonavent. quòd absque hujusmodi sufficiente satisfactione opere executâ, non est culpa dimissa & pœna : similiter ergo potest dicere Lullus, quòd ubi

nulla fit satisfactio, peccator non est absolutus, hoc intelligendo à culpa simul & pœna; quia licèt per absolutionem cum satisfactione in voto sit absolutus à culpa; cùm tamen, deficiente opere satisfactorio, deficiat absolutio à pœna, quæ à culpa ortum ducit, ideo quodammodo deficit absolutio à culpa; & hôc modô facilè potest intelligi Lulli textus, si aliquis pertinaciter vellet intelligi de absolutione à culpa, intelligendo quòd ille peccator non est absolutus à culpa simul & pœna. *Secundò*, dicit D. Bonav. quòd dum fit facta satisfactio, homo absolutus est in foro Ecclesiæ, consequenter itaque absque satisfactione non est absolutus, quod est idem ac docet Lullus. *Tertiò*, dicit, quòd per hæc opera satisfactoria injuncta, dummodo non adæquent, *non absolvitur omninò*: potuit itaque dicere Lullus peccatorem nullam exequentem satisfactionem non esse absolutum. *Quartò*, dicit idem S. Doctor, quòd solutâ satisfactione fit reconciliatio perfecta; atque ita ipsâ deficiente, non datur perfecta reconciliatio, neque absolutio, & ad hujus instar potest dici, Lullum, dum negat illum hominem esse absolutum, intelligi de absolutione perfecta, quæ est finis intentus per Pœnitentiæ Sacramentum.

§. III.

Sensus Lulli in Prop. 7. ex q. 22. est, quòd cum voluntate levis tantùm pœnitentiæ non remittitur peccatum grave quoad culpam, & consequenter nec quoad pœnam.

XV. Septima difficultas est circa hunc textum, q. 22. scilicet: *Utrùm per levem pœnitentiam, quam Sacerdos mihi injungit, si eam faciam, sim liberatus à pœna, & culpa?* Solutio. *Si culpa est magna in anima, & pœnitentia levis in corpore, ratione improportionis, peccator non est liberatus à culpa, nec per consequens à pœna; sed si culpa est parva in anima, & æquipollet pœnitentiæ corporis, liberatus est peccator à pœna & culpa. Item, si culpa est magna in anima, & pœnitentia est levis in corpore; sed contritio & dolor & culpa æquipollent in anima, ratione virtutis Sacramenti, liberatus est peccator à pœna & culpa.* Circa hunc textum non videtur esse difficultas de secunda assertione, quòd scilicet si culpa est parva in anima, & ei æquipollet pœnitentia corporis injuncta à Sacerdote, tunc peccator liberatur à culpa & pœna; quia hoc videtur esse apud omnes certum. Neque videtur esse difficultas circa tertiam assertionem, quòd si culpa est magna in

anima, si tamen, licèt pœnitentia sit levis in corpore, contritio & dolor in anima est adeò magna, quòd illa levis pœnitentia per hujusmodi adjunctionem æquipolleat culpæ, tunc etiam liberatur peccator à pœna & culpa: non inquam in hoc videtur esse posse difficultas, quia etiam apparet certum; & in hunc casum expressè tenet fieri totalem liberationem Henricus, quodl. 8. quæst. 19.

XVI. Unde tota difficultas stare videtur circa primam assertionem; ad cujus intelligentiam prænoto, quòd in hujus quæstionis titulo duplex intelligitur quæstio, una circa liberationem à culpa, alia circa liberationem à pœna, ad differentiam antecedentis, ubi sola fuit quæstio de liberatione à pœna, in illo, qui habuit voluntatem satisfaciendi, & tamen opere non satisfecit; & quidem prima assertio in solutione hujus quæstionis intelligi plenè non potest, nisi ex paucis verbis, quæ omisit Censor ex textu, nempe: *In ista quæstione oportet considerare, quid est pænitentia per secundam regulam* (nempe regulam *Quid* artis Lullianæ) *& considerare definitionem æqualitatis, & distinguere inter sensuale & intellectuale.* Nam pœnitentia sacramentalis non est qualiscumque actus, vel operatio externa, licèt à confessario injuncta, & à pœnitente adimpleta; sed debet ortum ducere ab animo & voluntate satisfaciendi à pœnitente conceptâ; cùm enim contritio, confessio, & satisfactio saltem in voto, sint partes vel quasi partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ concurrentes suô modô ad effectum primarium ipsius, nempe remissionem culpæ, sicut requiritur in pœnitente ad hunc effectum caussandum contritio & confessio, quæ in actu animæ principaliter consistunt, ita requiritur in anima satisfactio seu voluntas satisfaciendi, ita ut, prout Mastrius, in 4. disp. 5. q. 21. ar. 1. num. 563. & q. 11. num. 308. docet ex Scoto, *si peccator tale propositum non haberet saltem implicitè, sed haberet voluntatem contrariam vel negativam, Sacramentum non conficeretur*: unde sacramentalis pœnitentia utrumque importat, voluntatem scilicet satisfaciendi, & opus à Confessario injunctum executione mandare.

XVII. Præthereà, sicut ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut remittat culpam, non sufficit quæcumque confessio & contritio, sed debet esse correspondens & proportionata: sic voluntas satisfaciendi debet esse proportionata peccato, saltem generaliter & confusè; & hoc innuit D. in textu, dum dicit, considerandam esse definitionem æqualitatis; & sicut pœnitentià opere executa debet esse proportionatè æqualis peccato, vel pœnæ temporali correspondenti peccato,

quoad culpam dimisso, ut homo sit liber à pœna, ita ut nisi talis sit, non absolvitur, saltem à tota pœna: ita voluntas satisfaciendi saltem generaliter & confusè debet esse proportionatè æqualis peccato, ita ut velit satisfacere quantùm ab ipso requirit divina justitia in Sacramento pœnitentiæ; hæc autem voluntas satisfaciendi, saltem generalis & confusa, & etiam saltem implicitè, adeo requiritur, ut sine ipsa nec culpa remitti possit, sicut nisi adsit contritio, vel saltem attritio supernaturalis: hæc autem omnia prævenit D. in citatis verbis, ut scilicet considerató quid est pœnitentia, & æqualitate ac differentiâ inter sensuale & intellectuale: pœnitentia intellectualis, nempe voluntas satisfaciendi, quæ requiritur ad pœnitentiam sacramentalem, sit proportionatè æqualis peccato in anima, ut dimittatur culpa, sicut pœnitentia sensualis injuncta debet esse proportionatè æqualis pœnæ peccato correspondenti, quæ etiam ut sensualis consideratur, ut ipsâ dimittatur pœna.

Text. prop. 7. XVIII. Unde, dum ad quæstionem propositam: *Utrùm per levem pœnitentiam, quam Sacerdos mihi injungit, si eam faciam, sim liberatus à pœna & culpa?* Respondet: *Si culpa est magna in anima, & pœnitentia est levis in corpore, ratione improportionis peccator non est liberatus à culpa, nec per consequens à pœna*, per ly *pœnitentia levis in corpore*, non intelligitur pura corporalis satisfactio, sed intelligitur utraque satisfactio, voluntas scilicet satisfaciendi per corpus, vel per corporale opus, & ipsum opus injunctum: id est, si tantùm est voluntas leviter satisfaciendi corporaliter, satisfactio est improportionata cum magnitudine culpæ, & *ratione improportionis*, licèt fiat levis pœnitentia injuncta, *peccator non est liberatus à culpa, nec per consequens à pœna;* cùm enim, ut remittatur culpa, requiratur voluntas satisfaciendi cum proportionata æqualitate ad culpam; proptereà, si pro culpa magna in anima non est voluntas satisfaciendi in proportionata magnitudine, sed tantùm voluntas levis pœnitentiæ & improportionatæ, tunc, licèt peccator faciat levem pœnitentiam, tamen non liberatur à culpa, nec per consequens à pœna.

XIX. Quod autem per ly *pœnitentia est levis in corpore* intelligatur in hoc textu voluntas tantùm leviter satisfaciendi in corpore, præter ipsam levem corporalem satisfactionem, patet ex contextu juxta ea, quæ præmonuimus ex eodem; scilicet quòd per regulam *quid* pœnitentia seu satisfactio sacramentalis præcipuè consistit in voluntate satisfaciendi, ad quam consequitur satisfactio in opere; & quòd factâ differentiâ inter sensuale & intellectuale, debet attendi

proportionata

proportionata æqualitas satisfactionis cum peccato; atque ita, cùm peccatum quoad intellectuale importet gravem culpam in anima, & quoad sensuale importet gravem pœnam temporalem in corpore, in quam commutatur pœna æterna, dum ex meritis Christi peccatum dimittitur, ut ex parte satisfactionis detur proportio intellectuali gravi culpæ animæ, debet esse enim in anima voluntas graviter satisfaciendi, quæ quidem voluntas est quid intellectuale; & quod proportionatur gravi pœnæ in corpore debitæ peccato, quæ est quid sensuale, est gravis satisfactio per corpus exhibita, quæ etiam est quid sensuale: unde, cùm ex contextu *ratione improportionis* non sufficiat levis pœnitentia in corpore ad liberationem magnæ culpæ in anima, evidens est, quòd per ly *levis pœnitentia in corpore* principaliter intelligitur animæ voluntas tantùm leviter pœnitendi vel satisfaciendi in corpore; cùm aliunde ad remissionem culpæ necessariò requiratur voluntas satisfaciendi ad proportionatam æqualitatem cum culpa.

XX. Deindè in titulo hujus quæstionis non supponitur in peccatore bona voluntas satisfaciendi, sicut supponitur in antecedenti quæstione, atque ita solutio hujus quæstionis requirit & habet locum pro casu, quô peccator non habet debitam voluntatem satisfaciendi; & pro hoc casu, ut evidens est ex dictis, solvitur in hac prima solutionis parte; pro casibus autem, quibus adsit debita voluntas satisfaciendi, solvitur in duabus sequentibus partibus, ex quibus magis manifestatur exposita intelligentia primæ partis solutionis; dicitur enim in secunda ejus parte: *Sed si culpa est parva in anima, & ei æquipollet pœnitentia corporis, liberatus est peccator à pœna & culpa*, hoc est, si voluntas satisfaciendi in corpore est proportionatè æqualis parvitati culpæ, & ipsa pœnitentia in opere est etiam proportionatè æqualis pœnæ correspondenti culpæ, liberatur peccator nedùm à culpa, sed etiam à pœna. Tertia solutionis pars est ista: *Item, si culpa est magna in anima & pœnitentia levis in corpore, sed contritio & dolor & culpa æquipollent in anima, ratione virtutis Sacramenti liberatus est peccator à pœna & culpa.* In hoc tertio casu, supponitur in peccatore, nedùm contritio, & dolor, per se requisita & necessaria ad remissionem culpæ, sed etiam talis, quòd cum levi satisfactione corporali sufficiat ad æquipollendum etiam pœnæ temporali correspondenti magnitudini culpæ: ac proinde supponitur extraordinarius dolor contritionis, & cùm iste non videatur posse esse sine voluntate, saltem implicitâ, æqualiter satisfaciendi, ideo ly

Alius Text. prop. 7.

Alius Text. prop. 7.

pœnitentia levis in corpore hìc non poteſt intelligi de voluntate leviter ſatisfaciendi, ſed de ſatisfactione in opere; quia in hoc textu ſupponitur in pœnitente illa contritio, confeſſio & ſatisfactio quantùm ad voluntatem, quæ requiritur & ſufficit, ut virtute Sacramenti dimittatur culpa; hæc autem voluntas ſatisfaciendi requiſita ad Sacramenti effectum, ut oſtendimus ex Lullo, debet eſſe voluntas ſatisfaciendi cum proportionata æqualitate: adeoque hæc voluntas ſupponitur in hoc tertio caſu, & levitas tantùm eſt in opere injuncto & executo; & quia iſtud per ſe eſt improportionatum cum pœna, ideo virtute Sacramenti, & quia augetur ejus valor per extraordinarium dolorem, ita ut dolor & opus injunctum æquipolleant pœnæ correſpondenti gravitati culpæ, ideo tunc liberatur à pœna & culpa.

XXI. Unde in hoc tertio caſu, juxta doctrinam à Lullo in textu præmiſſam, breviter innuitur illa æqualitas cum differentia ſenſualis, & intellectualis, & culpæ & pœnæ, & meliùs intelligitur cum caſu alio hìc ſubintellecto, nempè in caſu quô ſupponatur in pœnitente contritio, confeſſio, & ſatisfactio bonæ voluntatis, quæ requiruntur & ſufficiunt ad remiſſionem culpæ magnæ per Sacramentum pœnitentiæ, & Sacerdos injungat levem pœnitentiam quam adimpleat pœnitens, tunc iſte liberatur à culpa magna, quia contritio confeſſio & bona voluntas ſatisfaciendi æquipollent culpæ in anima; quia tamen ſatisfactio in opere non æquipollet pœnæ correſpondenti illi magnæ culpæ, ſi iſte peccator afferat extraordinarium dolorem, ita ut ſimul cum levi pœnitentia injuncta æquipolleat pœnæ correſpondenti illi magnæ culpæ; tunc virtute Sacramenti, nedùm liberatur à culpa, ſed etiam à pœna. Et hæc ſanè eſt legitima intelligentia totius hujus quæſtionis.

XXII. Porrò, quòd mens Lulli ſit, quòd ut remittatur culpa, requiritur voluntas ſatisfaciendi ad proportionatam æqualitatem cum peccato, conſtat ex ipſo, quia ad remiſſionem culpæ, præter contritionem & confeſſionem, ſemper requirit ſatisfactionem talem, quæ ſit proportionata. Sic lib. ſent. quæſt. 49. agens de modo quo peccator poteſt cum gratia Dei exire de peccato, ad differentiam Dæmonis, qui non poteſt, ait: « Verumtamen ſi peccator multùm multi-
» plicat ſuum intelligere in objectando Deum, & ſua attributa, &
» vilitatem peccati, culpam & pœnam infernalem & cœleſtem glo-
» riam, *& multùm diligit agere pœnitentiam* de commiſſis, tunc ſe
» diſponit ad habendam contritionem & pœnitentiam, & mox venit
» gratia Dei cum miſericordia & juſtitia, quæ de proprio amabili

„ peccatoris sic removet characterem peccati, ... & tunc peccatum, quod antea erat dilectum, est oditum, & homo est curatus. „ Hîc sanè ad deletionem peccati requirit satisfactionem seu pœnitentiam, quæ sufficit esse in voluntate, & non requiritur esse in opere ad deletionem peccati quoad culpam, & hoc ipsum supponit ubicumque agit de Sacramento pœnitentiæ. Adeo autem requirit satisfactionem ad justificationem peccatoris, quòd q. 92. num. 3. exponens dictum Christi in Evangelio, scilicet, ei qui peccat in Spiritum Sanctum non remitti peccatum, dicit : *Et ideo Christus intendit dicere, quòd qui peccat in morte per obstinationem, postquas homo post mortem non potest satisfacere, non remittitur ei peccatum, quia sua definitiva sententia jam est data.*

XXIII. Præterea q. 112. resolvit Lullus *quòd Deus de sua ordinata potestate non potuerit salvare humanum genus sine satisfactione :* Unde q. 131. *Utrùm Deus possit dimittere mortale peccatum sine aliqua satisfactione*, ità resolvit : Solutio. *Vade ad centesimam decimam quæstionem*, in qua resolvit quòd sine satisfactione non potest dimitti mortale peccatum ; &, ut breviter concludam, semper requirit satisfactionem, ut etiam ostendit textus adductus, num. 12. Quòd autem hæc satisfactio debeat esse proportionata peccato, etiam indicatur ab ipso; quia semper ad peccata gravia, requirit magnam satisfactionem: Unde lib. prov. part. 3. cap. 40. de satisfactione sic scribit : num. 2. *secundum quòd offensa est magna, convenit quòd satisfactio sit magna.* Et num. 3. *si nimium comedisti & bibisti, satisfac cum jejuniis & parùm bibere.* In sequentibus numeris similes designat satisfactiones; & num. 19. ait : *Deo non potes satisfacere, nisi secundùm proportionem.* In lib. de anima rat. p. 9. spe. 1. q. 10. *Quomodò anima, quæ est in peccato mortali convertitur in statum gratiæ ?* Scribit : « Anima quæ est in peccato, disponitur ad esse in statu gratiæ in quantum se judicat ad „ satisfactionem per conscientiam, contritionem, & pœnitentiam, & „ petit veniam, & habet placitum de illa vindicta, quam justitia „ Dei voluerit facere de ipsa; & postquam anima se ponit in ratione, „ non potest illi deficere gratia Dei, quæ debet concordantiam cum „ justitia & misericordia, & per hunc modum Deus benedictus convertit illam de malo in bonum. „

XXIV. Hanc eamdem, quam exposuimus, Lulli doctrinam de necessitate voluntatis satisfaciendi pro peccato ad proportionatam æqualitatem, ut culpæ condonatio obtineatur, expressè defendit Egregius Theologus Amort Theol. Eclec. tom. 3. trac. de Sacra-

mento pœnitentiæ disp. 1. q. 2. ubi hanc ponit conclusionem: *Ad veram pænitentiam jure naturæ exigitur propositum satisfaciendi juxta offensi arbitrium pro obtinenda condonatione culpæ.* Quam probat ex Trident. Sess. 14. cap. 8. ubi sic habetur: *Sanè & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur; qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccato & dæmonis servitute liberati, & acceptô Spiritûs Sancti donô, scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur .... debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pænitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Sanè hujusmodi satisfactio exigitur à Concilio ut in gratiam Dei recipiatur peccator: ac proinde saltem voluntas hujusmodi satisfactionis requiritur in peccatore ut à culpa liberetur.

XXV. Conformiter ad hanc Concilii doctrinam docent Patres ibi ab Amort relati, satisfactionem necessariam esse pro obtinenda remissione peccati quoad reatum culpæ, & quidem ex ipsa natura rerum, ex quibus D. Cyprian. Serm. de lapsis ait: *Putasnè Dominum posse citò placari? Putas facilè eum misereri tui? Orare oportet impensiùs, justis operibus incumbere, ut crimen & culpa diluatur. Si precem toto corde quis faciat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest Deus, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus fecerint Sacerdotes.* D. Gregor. in cap. 15. lib. 1. Reg. *Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pænitentis? Tunc namque benè conversum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Dominus arborem foliis decoram, sed fructu sterilem, maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* S. Eligius, Hom. 4. ad pœnitentes: *Si condignam Deo pænitentiam obtulistis, verè Deo reconciliamini per Christum & per nos; qui enim peccando factus est ei inimicus, nisi satisfaciendo non potest reconciliari ut fiat amicus.* Plures similes textus videri possunt apud ipsum Amort, tum ibi, tum ubi agit de satisfactione, tum

in opere de Indulgentiis, ubi egregiè probat adhuc tempore Indulgentiæ, debere pœnitentibus imponi congruam satisfactionem.

XXVI. Ex his omnibus colligitur recta Lulli intelligentia in notatis textibus ad q. 21 & 22. Et conformem esse ejus loquendi modum Concilio Tridentino & relatis Patribus, dum non adimplentem pœnitentiam injunctam negat q. 21. absolutum, prout in citatis textibus negatur reconciliatio non agentibus pœnitentiam; ita tamen quòd utrobique intelligatur remissum peccatum quoad culpam, dum cum confessione & contritione adsit voluntas & propositum ad debitam proportionem satisfaciendi; non enim negaretur non pœnitentibus reconciliatio, nisi ipsa voluntas agendi pœnitentiam requireretur ad remittendam culpam; & quia cum quadam æqualitate debet fieri satisfactio, ideo rectè dicit Lullus, q. 22. quòd cum voluntate solùm leviter satisfaciendi in corpore, non dimittitur quoad culpam peccatum grave; quod tamen etiam dimittitur quoad pœnam, si præter confessionem, contritionem, & voluntatem satisfaciendi adsit in opere æquipollens satisfactio; vel talis sit extraordinarius dolor, quòd conjunctus pœnitentiæ, estò levi, æquipolleat gravi peccato.

§. IV.

Cùm post ultimum judicium non sit ampliùs futura variatio diei & noctis, sed dies perpetuus, dicitur in Prop. 8. ex quæst. 31. dies judicii dies æviternus, id est invariabiliter duraturus.

XXVII. Octava propositio, quæ notatur ex quæst. 31. est ista: *Et quando quæritur, utrùm ille dies* (scilicet judicii) *sit naturalis? Respondeo quod erit dies æviternus.* Sanè nescio quid erroris subolfecerit iste Censor in hujusmodi verbis; nam idem dicit Lullus, quod Magister Sententiarum in 4. dist. 48. & cum ipso omnes ejus interpretes; ait enim quòd finitò judiciò, *tunc recipiet sol mercedem sui laboris, quià septempliciter lucebit, & tunc non erit vicissitudo diei & noctis, sed tantùm dies; unde Zacharias: Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox; & in tempore vesperæ erit lux, quia tunc non erit varietas diei & noctis, quæ modò est, sed continua dies & lux;* & post pauca: *Potest etiam intelligi illud Esaïæ ea ratione dictum, quia Sol & Luna tunc non habebunt ortum & occasum, sicut nunc: unde Isidorus illud Esaïæ quasi exponens ait: Post judicium sol laboris sui mercedem suscipiet; unde Propheta: Lucebit septempliciter, & non ve-*

niet ad occasum nec sol nec luna, sed in quo creati sunt stabunt, nè impii in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum, unde *Habacuc: sol & luna steterunt in ordine suo. Ecce apertè dicit solem & lunam tunc lucere, sed stabiliter permanere.*

XXVIII. Itaque sensus Magistri Sentent. est, quòd, finito judiciô, non erit ampliùs occasus & ortus solis, sed pura & perpetua dies, ita ut, dum juxta cursum regularem futura erat vespera cum tenebris, non succedent tenebræ, sed erit pura lux, & continua dies: unde, cum dies naturalis sit duratio viginti quatuor horarum cum successione diei & noctis, licèt dies judicii inceperit, ut ita dicam, tamquam dies naturalis, non finietur ut dies naturalis, quia, finitô judiciô, statim cessabit motus naturalis corporum cœlestium, in ordine suo statuentur sol & luna, & ex tunc non occidet sol nec succedet nox, sed erit dies perpetua; atque ita ille dies, qui incepit ut dies naturalis, reddetur dies æviternus, quia lux sua perpetuò durabit absque vicissitudine & mutatione lucis & tenebrarum; dies enim æviternus nihil est aliud, quàm dies perseverans ut dies judicii; & hoc explicat Lullus, dum dicit quòd ille dies *erit dies æviternus*.

XXIX. Idem, quod Magister, explicat D. Bonaven. in 4. dist. 48. num. 5. ubi ad illa verba: *Non erit vicissitudo diei & noctis* sic scribit: « Videtur malè dicere, quia si hæc luminaria facta sunt » propter diem & noctem, sicut dicitur 1. Genesis: ergo cessante » nocte debet cessare luminare, quod factum est, ut præesset nocti. » Respondeo dicendum, quòd, cùm dicitur quòd luna facta est, ut » præesset nocti, non assignatur ratio productionis substantiæ, sed » paucitatis luminis, ut esset tantùm, quod compateretur noctem; » secundùm substantiam verò factum propter perfectionem universi; » *& quoniam non erit tunc nox, sed dies perfecta*, dabitur lunæ » luminositas competens diei, qualis est luminositas solis, & solis » luminositas crescet usque ad perfectum diem ». Itaque ille dies judicii ex sensu D. Bonaven. reddetur dies perfectus absque lucis occasu, & tenebrarum vicissitudine, ac proinde erit dies æviternus, nam ex ipso in 2. dist. 2. art. 1. q. 1. num. 4. ex D. Augustino. *Ævum enim solius esse incommutabilis est mensura*; hoc autem ævum ex ipso ibidem est æviternitas, ac proinde ille dies incommutabilis erit æviternus.

XXX. Explicatio, quam verbis Lulli adhibuimus, conformis est ejus doctrinæ in lib. Sent. quæst. 41. ubi, num. 1. ait, quòd *ævum est una pars temporis remota ab omni motu naturali*, & subjungit: *Unde*,

cùm Angelus non transeat in motum, quoad se non transit in tempus, quod non potest esse sine motu, sed transit in tempus æviternatum, in quo est mensuratus cum mensura indivisibili & immobili & inalterabili, & ideo illa mensura est sine parte post partem, tota simul existens: & illam mensuram vocamus ævum, vel æviternitatem, & Angelus in ipsa existens est æviternus: Unde, cùm juxta Lullum illud dicatur æviternum, quod indivisibiliter, immobiliter, & inalterabiliter perseverat: & dies judicii, judiciô finitô, debeat sic perseverare semper dies absque vicissitudine lucis & tenebrarum, propterea consequenter ad hanc doctrinam dicitur in hac quæst. 31. *dies æviternus*, quod immeritò notatur, cum nullius erroris præseferat speciem.

§. V.

Docet Lullus in Prop. 9. ex quæst. 35. quòd post prævias fætus delineationes, in instanti & momento, quô perficitur ejus delineatio, figuratur mas vel fæmina.

XXXI. Tandem ad quæst. 35. hæc notantur verba in Prop. 9: *In momento accipit masculinitatis figuram aut fæmininitatis, ut cum puncto quantitatis & in instanti temporis sit genitus.* Quæst. 35. Et hæc est Censura: *Quærit, utrùm in momento fiat masculus aut fæmina figuraliter, id est,* (ut arbitror) *utrùm in matrice mas & fæmina formentur in uno instanti, & respondet, ut ait propositio; quod non nisi de Christo dicitur quòd sit formatus in instanti.* Quantùm necesse sit, non solas propositiones à textu avulsas per se solas, sed collatas contextui, considerare, ut proprius Autoris sensus dignoscatur, ferè in omnibus Lulli hucusque examinatis Censuris patenter est visum; hoc autem agere maximè oportet in hac præsenti difficultate; & sanè miror, hunc Censorem, qui totum hujus quæstionis legit contextum, videri, velle nodum, ut ita dicam, in scirpo quærere, dum negligens antecedentia textûs verba, impegit in ultima, quæ antecedentibus cohærent, & juxta ea suum habent sensum. Quare ut videatur nullum esse ad hujusmodi notam fundamentum, integrum exponam textum.

XXXII. Itaque ita scribit Lullus: « *Quæstio 35. utrùm humidum spermaticum viri cadat* (cedat) *in substantiam fætus? Et utrùm illud humidum spermaticum & sensibile sit humidum radicale? Et utrùm in momento sit masculus aut fæmina figuraliter?* Solutio. *Ad solvendum* Text. prop. 9.

quæstionem istam oportet considerare secundam speciem regulæ C. (Quid) & secundam speciem regulæ D. (de quo) & nonam regulam (quomodo) & definitionem trianguli rubei (scilicet, principii, medii & finis) dicendo sic : Quòd humidum spermaticum viri positum in matrice mulieris, per modum conjunctionis cum humido quod invenit, fit forma humidi radicalis, & veniens in suo proprio humido nutrimentali, convertit humidum nutrimentale, quod invenit, generando per generantem naturalem & cum adjutorio corporum cœlestium : Ita quòd sperma corrumpitur, & de ipso est (in manusc. *fit) fœtus genitus, in quo motus transmittentis quiescit in movendo, & lineando, augmentando & nutriendo per vegetativum : ita quod est medium sive terminus (* in manusc. *ita quod medium est subjectum, sive terminus) ad quem influentia & refluentia, principii & finis tendit; & ideo humidum radicale (* est *) genitum, & spermaticum cadit in substantiam fœtûs, & vivit per humidum nutrimentale, ut dictum est ; & illud humidum radicale est insensibile & invisibile secundùm formam, & depuratur in matrice mulieris, sicut aurum in fornace ; sed sua figura est visibilis, & per tactum ratione dulcedinis est sensibilis & in momento recipit masculinitatis figuram (* in ultimo suæ perfectionis puncto *) aut fœmininitatis, ut cum puncto quantitatis, & in instanti temporis fit genitum.*

XXXIII. Nunc provoco ad cujuscumque sinceritatem, ut dicat, an ex his verbis omnibus possit, vel à longè, conjici, Lullum sentire, *quòd in matrice mas & fœmina in uno instanti formantur?* Ut eidem objicitur. Certè præmittit Lullus debere considerari principium, medium, & finem in hominis ex spermate generatione, quæ præcisè requirunt successionis tractum. Deinde dicit quòd motus transmittentis, id est influxus generantis, quiescit in *movendo, & lineando, & augmentando, & nutriendo*; quid amplius dici poterat ad intelligendum tractum successivum, qui requiritur ad formationem fœtûs? Hæc enim omnia, quæ per temporum spatia fiunt, sunt motus prævii necessariò requisiti, ut fiat genitum. Præterea dicit etiam Lullus, quòd illud humidum radicale *depuratur in matrice mulieris, sicut aurum in fornace*; atque ita, sicut aurum in fornace per varias temporum moras depuratur & perficitur, sic illud humidum per tractum temporis depuratur in matrice & perficitur, ut tandem in ultimo complemento sui fit genitus mas vel fœmina : unde post descriptam tantam naturæ operationem tractu successivò peractam, nihil est conformius, quàm illa verba, quæ subjicit : *& in momento recipit masculinitatis figuram, aut fœmininitatis, ut cum puncto quantitatis*

quantitatis & in instanti temporis sit genitum, intelligere de momento ultimæ dispositionis, vel ultimæ perfectionis, quæ requiritur ad figuram masculi vel fœminæ; hæc enim ultima perfectio post prævias delineationes advenit in aliquo momento & instanti temporis: in illo ergo instanti temporis perfectè est formatus mas vel fœmina; atque in instanti ultimo ad alia subsequente est genitus perfectè; & ideo nullatenus intelligitur de puro instanti non subsequente ad alia, sed de ultimo complente totum tempus requisitum ad hujusmodi formationem.

XXXIV. Quod autem hominis, & cujuscumque alterius generatio, fiat, non in instanti, sed per successivas moras, docet Lullus frequentissimè, ut in lib. quæst. *per Art. demonstrat. solub.* q. 134 & 135. in lib. Chaos (tom. 3.) latè describit omnia principia quæ ad generationem cujuscumque elementati requiruntur, & præter mixtionem & digestionem elementorum, quæ in omnibus concurrunt, in animalibus; & signanter in homine, dicit requiri substantiam vegetativam, sensitivam, & imaginativam, quæ cum elementativa debent uniri & componi, corruptô priùs esse specificô spermatis, ex quo fit embrionis generatio; hæc autem omnia variô tempore fiunt & non in instanti: unde Titulo *de tempore cahos*, num. 5. ex hujusmodi operationibus probat dari tempus, sic: *generatio & corruptio, mixtio & digestia, non possunt sine tempore se habere: ergo oportet tempus aliquid esse*; & hoc idem indicat, in Lib. Prov. (tom. 6.) par. 2. cap. 92. num. 8. dicens: *In illo tempore, quô embrio est dispositus ad esse animatus animâ rationali, creatur anima*; nam si in instanti formaretur homo, non requireretur tempus ad dispositionem embrionis.

XXXV. Hæc omnia ampliùs patent, in lib. *de homine* (tom. 6.) dist. 1. par. 1. *de corpore hominis*, uti, postquam explicuit quomodò elementa miscentur, digeruntur, & componuntur in corpore hominis, tit. *de vegetativa*, num. 1. exponit modum generationis humanæ dicens: « Unde dicimus quòd vegetativa in homine sit una forma, » quam vocant potentiam vegetativam, & venit cum semine viri, » quod transmittit in fœminam, & illud semen est elementatum de » quatuor elementis, in quo vegetativa est plantata, & cum semen » viri est introductum in fœmina, conjungit se ejus materia cum » materia seminis fœminæ per contactum, & vegetativa movet for- » mam seminis quem vir transmittit in fœminam, & informat for- » mam seminis mulieris, ut forma seminis fœminæ moveat mate-

„ riam seminis fœminæ, & talis motus fit cum dulcedine, quia ele„ mentativa intrat in vivum esse sub habitu vegetativæ, quæ est ani„ ma vegetativa, vivens & convertens & transmutans influentiam, „ quæ venit de fœmina, per generationem in essentiam seminis, „ quod venit à viro.... & sicut granum frumenti exit supra terram „ generando ex terra & augmentando arborem, quam facit, ita „ exit vegetativa seminis viri de elementativa, & facit arborem, „ quæ est corpus hominis, per generationem, hoc est corpus em„ brionis „. Similiter, tit. *de sensitiva* dicit: « quòd movente unâ „ substantiâ aliam, *sic fit corpus embrionis lineatum, formatum & figu„ ratum, animatum, & vivum*; & tit. *de imaginativa*: *& sic embrio est „ totus filius vel filia viri & fœminæ per omnes suas partes corporales... „ de quibus est formatus, lineatus, figuratus, & compositus pergene„ rationem*. Tandem eâdem dist. 1. par. 2. de Ani. ratio. tit. *Quæstio de quando*, num. 2. dicit: « Alia opinio est vera, quòd Deus creat „ animam in illo tempore, in quo embrio est lineatus, organisatus „ & formatus per elementativam, vegetativam, sensitivam, & ima„ ginativam, & in illo tempore conjungit Deus illam cum corpore, „ & ex ipsa & corpore fit homo. ...

XXXVI. Instantaneam Christi conceptionem & formationem docet Lullus tanquam ei peculiarem, & ex consequenti tenet necessariam esse successionem in aliorum naturali conceptione. In Lib. de Deo & Jesu-Christo, par. 2. *de Jesu-Christo*, q. 7. *quando fuit Jesus*, num. 2. ait: « Jesus in quantum homo fuit principiatus homo „ in divina natura, & fuit principiatus de humana natura in utero „ nostræ gloriosæ Dominæ Sanctæ Mariæ; & propterea in illo ins„ tanti, quô nostra Domina illum concepit, ex ipsa fuit assumpta „ humanâ natura, & fuit factus homo in divina natura sine succes„ sione & *motu principii, medii, & finis*, quæ in uno momento cum „ successione & motu non possunt esse secundùm naturam „. Et n. 3. „ Non potuit esse successio nec motus in tempore Incarnationis; & „ ideo in illo instanti & momento Jesus in utero nostræ Dominæ ha„ buit omnia organa & membra corporis formata & figurata „. Hanc eamdem doctrinam de instantanea Christi conceptione docet Lullus in aliis locis, ita quòd supernaturaliter fuit facta, & consequenter mens ejus est, quòd in naturalibus hominum conceptionibus non est instantanea embrionis formatio, ut in Lib. *de Doctrina Puerili*, cap. 6.

DISSERTATIO IV.

De quibusdam Propositionibus circa Deum & Angelum de promptis ex variis quæsitis sive quæstionibus, ad calcem ejusdem Lib. Quæst. ad Thomam Attrebatensem scriptis.

§. I.

Rectè Lullus explicat Deum per esse illam bonitatem, quæ est ratio bono, quòd agat bonum infinitum & æternum.

I. IDEM, ut puto, Censor, qui præfatum librum *quæst. ad Thomam Attrebatensem* examinavit, sequentes notâ dignas propositiones existimavit, quamvis nulli censuram adjecerit; & quidem primò hæc notat verba: *Quæritur quid est Deus?* Solutio. *Deus est illa bonitas, quæ æternaliter & infinitè est ratio bono, quòd agat bonum æternum & infinitum.* Quid in his verbis animum offendat non video, nam quòd Deus sit bonitas, nedùm non est quid absonum, imò est veritas definita contra Gilbertum Porretanum. Quòd divina bonitas æternaliter & infinitè sit ratio bono, quòd agat bonum, æternum & infinitum, nulli est dubium; certum est enim, quòd Pater bonus Filium bonum producit de sua bonitate; ac proinde bonitas est ratio Deo, cur bonum Deum producat, sicut sapientia est ratio cur sapientem, & æternitas est ratio cur æternum producat; nisi enim Deus producens esset bonus & æternus, bonum & æternum Deum non produceret. Neque videtur notanda hæc Lulli sententia eò quia exponitur ut Dei definitio, quæ essentiam ejus debet exprimere, qualis non est in Deo agere bonum infinitum & æternum; nam, præscindendo ab hoc, notum est ad quæstionem *de quid* variè posse responderi, dummodo aliquid proprium subjecti explicetur, quamvis non pura essentia manifestetur. Fortè tamen notatur hæc locutio, quia dum dicitur, quòd *Deus est illa bonitas, quæ est ratio bono, quòd agat bonum*, intelligitur Deum alteri bono esse rationem quod agat bonum; ad hoc, etiam absque fundamento colligitur.

II. Ut autem hæc omnia meliùs pateant, iterum, repeto, quòd, ut mens alicujus Autoris percipiatur, attendi debet methodus, quâ

scribit, & scopus, quem intendit. Præmonui jam ab initio ex Prologo hujus libri, ipsum ad hoc esse scriptum, ut quæstionibus à Magistro Thoma Attrebatensi propositis satisfaceret Lullus; & quidem, non utcumque, sed juxta principia & regulas suæ artis; & specialiter quoad definitiones huic operi subjunctas fuisse hâc methodo usum, ad ejusdem Magistri Thomæ petitionem, constat ex præfatione ad easdem præfixâ, in qua ait Lullus: « Magister Thoma, vos misistis » mihi vocabula, quæ sequuntur, ut definirem vobis *per artem*; & » sciatis (in Manuscr. *& vos scitis*) quòd secunda regula (nempe » *quid*) est de definitionibus, in quantum quærit de *quid*, & quia » dictum est in arte, quòd mixtio principiorum & regularum artis » fieri debet solvendo dubia, & ad inveniendum secreta: ideo data » est doctrina ad faciendum definitiones rerum, miscendo princi- » pium cum principio, regulam cum regula, & principium cum re- » gula, ut definitio appareat; & de hoc volumus exemplificare istô » modô super ea, de quibus vos quæritis.

III. Unde planum est, quòd ea, quæ hîc dicuntur, ad hujusmodi methodum sint exigenda; ita tamen ut nunquam absonum exponant sensum; intelligentia tamen non ex verbis nudis à textu avulsis, sed cum contextu collatis desumi debet: quo pacto est manifestum, nihil malè olere in textu Lulli sic considerato, qui integrè ita habet: *Quæritur primò quid est Deus?* Solutio. *Deus est illa bonitas, quæ æternaliter & infinitè est ratio bono* (in alia editione, *bona*) *quòd agat bonum æternum & infinitum. Ista definitio est facta per definitionem bonitatis, & applicata ad magnitudinem & æternitatem Dei; & in ipsa apparet mixtio principiorum per primam speciem* (meliùs in Manusc. *& prima species*) *secundæ regulæ*. Ex hoc videtur, quòd cùm bonitas, ut constat ex tom. 1. diss. 1. §. 2. à num. XIX. juxta artem Lullianam sic definiatur: *Bonitas est id, ratione cujus bonum agit bonum*, bonitas divina applicata ad magnitudinem sive infinitatem & æternitatem æternaliter & infinitè est ratio bono, quòd agat bonum infinitum & æternum, & quòd appositè, juxta præscriptam methodum, sit data hæc explicatio.

Alius Text. prop. 1.

IV. Quòd autem bonitas generaliter, seu per se sumpta, sit ratio bono quòd agat bonum, & quòd hoc per se conveniat divinæ bonitati, satis superque constat ex dictis tom. 1. diss. 1. à num. XIV. atque ita absque ullo scrupulo asseverari debet, quòd bonitas divina, quæ est infinita & æterna, imò ipsa infinitas & æternitas, est infinitè & æternaliter ratio bono, quòd agat bonum infinitum & æternum; &

quòd hoc poteſt ipſi attribui ut ejus definitio, reſpondendo ad quæſtionem, *quid eſt bonitas divina?* præſcindendo an hoc eidem competat, vel non competat, eſſentialiter; cùm enim rerum eſſentiæ adeo difficulter noſcantur, & in quo conſiſtant plerumque diſceptetur, ſufficit ad rectam definitionem, aliquam proprietatem ſubjecti definiti explicare: ac proinde, dum percipiuntur hæc verba: *Illa bonitas, quæ æternaliter & infinitè eſt ratio bono, quòd agat bonum infinitum & æternum*, ſtatim & abſque ulla ambiguitate intelligitur bonitas divina; hæc enim propriè & per ſe eſt illa bonitas, quæ infinitè & æternaliter eſt ratio bono quòd agat bonum, quia eſt ipſi adeo proprium, ut nulli alteri niſi ipſi ſoli poſſit convenire.

V. Nunc propiùs accedendo ad Lulli reſponſionem, dum quæritur: *Quid eſt Deus?* quâ dicit: *Deus eſt illa bonitas, quæ æternaliter & infinitè eſt ratio bono, quòd agat bonum infinitum & æternum*: percontor: non-ne ad eamdem quæſtionem *quid eſt Deus*? Rectè reſponderetur: *Deus eſt bonitas infinita & æterna?* Vel: *Deus eſt illa bonitas, quæ eſt infinita & æterna?* Proculdubio hoc ita eſt, nam ad quæſtionem de *quid*, rectè reſpondetur explicando proprietatem ſubjecti, quâ ſufficienter à quocumque alio diſtinguatur; Deo autem ita proprium eſt eſſe illam bonitatem, quæ eſt infinita & æterna, vel eſſe bonitatem infinitam, & æternam, quòd nulli alteri poſſit competere, & per hoc ſufficienter diſtinctus à quocumque alio indigitatur: unde, cùm ex dictis, ſatis ſuperque conſtet, quòd bonitas infinita & æterna eſt illa bonitas, quæ infinitè & æternaliter eſt ratio bono, quòd producat bonum infinitum & æternum, ad quæſtionem *quid eſt Deus*? Rectè reſpondet Lullus: *Deus eſt illa bonitas, quæ infinitè & æternaliter eſt ratio bono, quòd agat bonum infinitum & æternum;* imò explicatiùs innoteſcit Deus per hanc reſponſionem, quàm ſi ſolùm diceretur, & quidem rectiſſimè: *Deus eſt illa bonitas, quæ eſt infinita & æterna;* quia in Lulli reſponſione manifeſtatur proprietas divinæ bonitatis infinitæ & æternæ, ſcilicet quòd ſit ratio ad agendum bonum.

VI. Hinc patet, Lullum, attendendo ad infinitam Dei ſimplicitatem, & contradicendo erroribus Gilberti Porretani aliorumque apud Petavium, tom. 1. Theol. Dogm. conſiderantium divinas perfectiones, vel tamquam ab eo diſtinctas, vel tamquam adſcititias, definire Deum per hoc, quod eſt ſuamet infinita & æterna bonitas, & ita ut hujus bonitatis immenſæ explicet proprietatem, quâ ipſimet Deo infinitè & æternaliter eſt ratio, quòd agat bonum; nemo autem

inficiari potest, Deum rectè definiri per esse idem cum suis perfectionibus; & multo minùs, dum hujusmodi perfectionès secundùm aliquam suî caracteristicam proprietatem enodantur. Proinde evanescit scrupulus ille ab initio indigitatus, quasi Lullus intenderet, Deum quâ est illa bonitas, &c. *esse alteri bono ratio, quòd agat bonum;* planum est enim per dictam definitionem explicari per idemtitatem cum sua infinita & æterna bonitate; quæ, dum dicitur esse *ratio bono quòd agat bonum*, non alteri bono potest intelligi esse talis ratio, nisi illi bono, cujus est bonitas, vel illi bonô, quod est ipsamet bonitas; ac proinde obvium est intelligere, quod Deus est illa infinita & æterna bonitas, quæ infinitè & æternaliter est ipsi bono, Deo, ratio quod agat bonum infinitum & æternum: in qua explicatione nihil non catholicum suspicari potest, atque ita immerito notatur.

VII. Porrò quoad Dei definitionem nota est illa ad Moïsen Dei responsio: *Ego sum qui sum*, quam exactam esse Dei definitionem ostendunt Patres apud Petavium, Theol. Dogm. tom. 1. lib. 1. cap. 6. & ibi num. 8. D. Ambros. in Psalm. 48. ita habet: *Denique cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium: hoc est rem expressit non appellationem, dicens ego sum qui sum; quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse;* & tamen si ad corticem attenditur illa responsio, non videtur definitio, cùm alia præter Deum etiam sint; quia tamen illi est proprium per se & æternaliter esse, apta judicatur explicatio. Etiam illa expressio, quâ Deus dicitur esse bonitas infinita & æterna, valdè propriè de Deo dicitur ex Bernardo, serm. 80. in Cantica, dicente: *Si quid de Deo propriè dici possit, rectiùs congruentiùsque dicetur: Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quàm Deus est magnus, bonus, justus aut sapiens:* quod autem Lullus Deum explicans, dicat ipsum esse illam bonitatem, quæ est ratio bono quòd agat bonum infinitum & æternum, ex dictis supra clarè constat quàm aptè sit dictum.

§. II.

Lullus, dum dicit, quod Deus habet in se deificantem, deificabilem, & deificare, intelligit, ut explicat, quod habet tres Personas designatas per illos correlativos.

VIII. Hæc alia, locô citatô notantur verba: *Quid habet Deus in se coëssentiale, substantiale, & naturale?* Solutio. *Deus habet in se coëssen-*

tialem, substantialem & naturalem deificantem, deificabilem, & deificare; hoc est Beatissimam Trinitatem; alioquin potestas non esset in Deo, per quam posset esse deitas sustentata; neque naturam haberet ad concretum, quod est Deus, neque in ipsa deitate potestas haberet suam definitionem, eò quòd in ipsa deitate, potestas non esset hoc, per quod divina bonitas, magnitudo, &c. possunt existere & agere. Ad hæc intelligenda præmittit Lullus ante solutionem, se respondere per definitionem potestatis; quia scilicet per definitionem potestatis probat assertionem, quâ ad quæstionem propositam respondet, videlicet: *Deus habet in se coëssentialem, substantialem, & naturalem deificantem, deificabilem, & deificare, hoc est Beatissimam Trinitatem.*

IX. Sanè hæc responsio, si paulisper reflectatur, per seipsam est patens, cùm sensum suum explicet Lullus, videlicet deificantem, deificabilem, & deificare esse beatissimam Trinitatem; atque hic est sensus solutionis: *Deus habet in se coëssentiales, substantiales, & naturales tres Personas, vel Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui sunt deificans, deificabilis, & deificare.* Non est ulla difficultas, quòd unaquæque divina Persona est coëssentialis, substantialis & naturalis; quòd autem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint deificans, deificabilis, & deificare, ut exprimit Lullus, intelligitur per hoc, quia deificans est Deus primâ productione producens Deum, seu generans Deum; deificabilis est Deus primâ productione productus, seu Deus genitus; & deificare est actus ab utroque per amorem procedens, ambosque connectens; & in hoc sensu esse intelligendos deificantem, deificabilem, & deificare in hoc textu convincitur ex eodem, quia apertè dicitur eos esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; ac proinde debent intelligi eô sensu, quô specialiter dictis Personis conveniunt; prout explicuimus.

X. Nec est necesse quòd hæc omnia explicentur in his quæstiunculis; quia, nedùm præsupponitur tota doctrina data in hoc libello, sed etiam expressa in arte generali, ad quam consequitur totus liber; & quæstiones proponuntur à Viro docto, in arte generali & phrasibus Lulli initiato; ac proinde sufficit indicare sensum suâ phrasi, ut ille solutionem intelligat; cùmque in arte generali sufficienter sit explicatum, qualiter per correlativa, scilicet deificans, deificabilis, & deificare, & alia similia, intelligantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non est necesse ad intelligentiam hujus solutionis, hæc omnia hîc repetere. Porrò quomodo juxta mentem Lulli, & cohærenter ad sensum Sacræ Scripturæ & Patrum, hæc intelligantur,

explicatum manet, tom. 2. cap. 2. & diffusiùs toto cap. 4. ac proinde non oportet hîc ea repetere.

XI. Præterea in ipsomet libello hæc sufficienter explicantur in variis locis, præsertim, quæst. 5. nam ibi num. II. ex hoc *quod bonitas est id ratione cujus bonum agit bonum* inferuntur in ipsa bonificans, bonificabilis, & bonificare coëssentiales, & substantiales; & hoc in generatione & spiratione; ita quod Pater generans Filium sit bonificans, quatenus ipsum producit bonum, & Filius sit bonificabilis & bonificatus seu productus bonus; & in hac productione est bonificare, seu actus quo Pater producit Filium bonum, hoc autem bonificare essentialiter est Pater ac Filius; & quia in spiratione Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum bonum per amorem, illud bonificare, quod per amorem exit & procedit ab ambobus, est Spiritus Sanctus: & cùm idem sit discursus de bonitate & deitate, ac eorum correlativis, sicut per bonificantem intelligitur Pater producens bonum, ita per deificantem intelligitur Pater producens Deum; & sicut per bonificabilem intelligitur Filius, ita per deificabilem; & sicut per bonificare procedens ab ambobus per amorem intelligitur Spiritus Sanctus, ita per deificare. At pro majori intelligentia consulantur loca citata, tom. 2.

XII. Varias rationes adducit Lullus, deductas ex definitione potestatis, in notato textu, in ostensionem suæ solutionis: *Prima est: alioquin potestas non esset in Deo, per quam potest esse Deitas sustentata; cùm enim potestas sit id ratione cujus bonitas magnitudo, &c. possunt existere & agere*, ut explicat ejus definitio, nisi in Deo esset deificans, deificabilis, & deificare, deficeret Deo potestas agendi, & Deitas sub potestate, vel per potestatem, non esset in Deo principium, *quo* productionis divinæ; seu non posset esse ratio, cur Deus Deum produceret. *Secunda* ratio est: *Neque* (Deitas) *naturam haberet ad concretum, quod est Deus;* cum enim natura sit principium operationum, nisi Deus ratione Deitatis produceret Deum, & sic esset in Deo deificans, deificabilis, & deificare, Deitas non haberet naturam ad concretum, quod est Deus, id est non haberet rationem & characterem naturæ, quod est se habere ad operationem; cùm deficeret Deo operatio quâ Deus produceret Deum. *Tertia*, ratio est: *Neque in ipsa Deitate potestas haberet suam definitionem, eò quòd in ipsa Deitate, potestas non esset hoc, per quod divina bonitas, magnitudo, &c. possunt existere & agere.* Dum dicitur quòd per potestatem divina bonitas, magnitudo, &c. possunt agere, non intelligitur absolutè

lutè & ut *quòd*, sed ut *quo* & tamquam ratio agendi: sic ergo divina bonitas, magnitudo, &c. non possent agere ratione potestatis in Deitate, si in ipsa non essent deificans, deificabilis, & deificare; quia, nisi ita esset, Deus bonus ratione bonitatis non produceret Deum bonum, nec Deus magnus ratione magnitudinis produceret Deum magnum, &c. & sic potestas in Deitate non haberet suam definitionem, quam supra exposuimus.

§. III.

Rectè docet Lullus in 3. quæst. notata, quòd Angelus habet in se formam, materiam & conjunctionem spirituales, ex quibus est substantialiter & essentialiter.

XIII. Alia Lulli doctrina, quæ ibi notatur, est ista: *Quæritur quid habet Angelus in se sibi coëssentiale, substantiale, & naturale?* Solutio. *Angelus habet in se formam & materiam, & conjunctionem, ex quibus est constitutus substantialiter, essentialiter, & naturaliter; alioquin non haberet ex quo esset, neque sua principia possent inesse Angeli quietem habere, neque ipse Angelus posset in se existere & agere naturaliter.* Plura complectitur hic textus, ad quæ danda est satisfactio; & quidem quoad sensum, qui primò videtur fuisse notatus, quatenus dicitur Angelum esse constitutum ex forma & materia & earum conjunctione, jam tom. 2. cap. 14. explicuimus qualiter sine ulla erroris umbra intelligatur forma & materia in substantiis spiritualibus creatis; & idem manifestavimus in hoc tom. 3. Dist. 1. Dissert. 7. §. 3. à num. 10. ac proinde supervacaneum est in hoc diutius immorari.

XIV. Attamen, ut alia, quæ fortè notantur in hoc textu, intelligantur, habenda est ante oculos Lulli doctrina super creaturarum constitutione. Itaque prima & primitiva principia, ex quibus constituuntur creaturæ, sunt similitudines divinarum perfectionum, nempe bonitas, magnitudo, duratio, &c. ac proinde ex istis est constituta substantia Angeli. Hæc prima principia sunt substantialia, & essentialia, & naturalia, quia ad essentiam, substantiam & naturam Angeli spectant, sicut & cujuslibet alterius substantiæ creatæ. Dicta principia in Angelo sunt distincta ab invicem, quia sunt finita & terminata, ita ut bonitas tantùm est bonitas, & non magnitudo; & quia sunt distincta, ut constituant Angelum, mutuò se afficiunt, ita

ut bonitas fit magna per magnitudinem, & magnitudo bona per bonitatem, & sic de cæteris: & propterea in unaquaque ex his creatis perfectionibus est ratio activa, ratio passiva, & actus de suo genere: unde cùm omnes constituant æqualiter substantiam Angeli, ex ratione activa ipsarum omnium fit una ratio activa, & ex ratione passiva omnium fit una ratio passiva; & ex actu omnium, fit unus actus, seu connexio. Ratio activa coalita ex omnium rationibus activis, est forma; ratio passiva coalita ex omnium rationibus passivis, est materia; & actus coalitus ex omnium actibus est connexio seu conjunctio earum; & ita, mediantibus istis tamquam formâ, materiâ, & unione, componitur Angelus ex suis primitivis principiis seu similitudinibus divinarum perfectionum.

XV. Inde est, quòd innotato textu dicitur, quòd Angelus ex dicta forma, materia & conjunctione *est constitutus essentialiter, substantialiter & naturaliter*, quia, sicut dictæ perfectiones, scilicet bonitas, magnitudo, &c. sunt Angelo essentiales, substantiales, & naturales, ita tales sunt dictæ rationes; ac proinde ex ipsis est constitutus Angelus essentialiter, substantialiter & naturaliter. Ratio, quæ ad hoc assignatur, nempe: *Alioquin non haberet ex quo esset*, est patens, quia Angelus, cùm sit substantia creata, est per compositionem ex illo ex quo est; & nisi essent in ipso dicta forma, materia, & conjunctio, non haberet ex quo esset compositus. Alia ratio additur: *Neque sua principia possent in esse Angeli quietem habere;* quia dicta principia, ut in Angelo quietem habeant, debent mutuò se afficere & componi, ut in ipso quiescant; hoc autem non esset, nisi mediante dictâ ratione activâ, passivâ, & connexivâ se mutuò afficerent, & Angelum componerent. Tandem subjungitur alia ratio: *Neque ipse Angelus per se posset existere & agere;* hoc autem est, quia, nisi in se habeat totam rationem essendi, quæ comprehendit rationem activam, passivam, & connexivam, per se non existeret, neque posset per se agere naturaliter, quia non haberet rationem activam; & si non haberet in se rationem passivam, non haberet in se aliquid in quo ageret, quia hoc necessariò debet esse ratio passiva; ac proinde non posset agere naturaliter.

XVI. Fortassè hic textus notatur propter hoc, quia quæritur: *Quid habeat Angelus in se sibi coëssentiale, substantiale, & naturale?* Hæc autem quæstio est proportionatè eadem cum antecedenti in qua quæritur: *Quid habeat Deus in se coëssentiale, substantiale, & naturale?* Ac proinde utriusque solutio debet esse eadem proportionatè:

ita ut, vel illa, quæ habet Deus in ſe coëſſentialia, ſubſtantialia, & naturalia, quæ ſunt deificans, deificabilis, & deificare, ſint in Deo forma, materia & conjunctio, quemadmodum in Angelo; vel forma, materia, & conjunctio, quæ ſunt id, quod Angelus habet in ſe coëſſentiale, ſubſtantiale, & naturale, ſunt quædam Trinitas Perſonarum in Angelo, quemadmodum id, quod habet Deus coëſſentiale, ſubſtantiale & naturale, eſt Beatiſſima Trinitas divinarum Perſonarum.

XVII. At, licèt eiſdem terminis ſit concepta utraque quæſtio, non eadem eſt in utrâque intelligentia, nec eadem eſt utriuſque ſolutio. Conſtat enim coëſſentiale eſſe quod ad eamdem eſſentiam attinet, ſive eam participando, ſive eam conſtituendo; & quia forma, materia & conjunctio in Angelo eamdem Angeli eſſentiam conſtituunt, ideo dicuntur coëſſentiales; quia verò tres divinæ Perſonæ participant eamdem divinam eſſentiam, & ſunt eadem eſſentia, licèt eam non conſtituant, quemadmodum forma, materia & conjunctio conſtituunt Angelum, ideo dicuntur eſſe Deo coëſſentiales, ſicut etiam conſubſtantiales & connaturales, quin, licèt una ſit deificans, altera deificabilis, & altera deificare, ſe habeant in Deo tamquam forma, materia, & conjunctio, ſed tamquam Perſona generans, genita, & ſpirata; ſicut forma, materia, & conjunctio in Angelo, licèt ſint coëſſentiales, quatenus eamdem eſſentiam conſtituunt, ſint etiam ſubſtantiales, utpotè partes ſubſtantiæ ejuſdem; & ſint naturales, utpote ex eiſdem eſt, & per eaſdem operatur ejus natura: non ſunt niſi forma, materia, & conjunctio ejuſdem, non autem quædam Trinitas Perſonarum ejuſdem eſſentiæ Angelicæ; ſunt tamen quædam Trinitas correlativorum in Angelo, ex quibus intellectus fide perductus poteſt aſcendere ad cognoſcendum ſupremos correlativos in Deo, qui ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & ad hoc innuendum eiſdem ferè verbis utraſque propoſuit Lullus quæſtiones.

FINIS TOM. III.

INDEX TITULORUM, DISTINCTIONUM, *AC DISSERTATIONUM* TOMI III.

DISTINCTIO II.

DISTINCTIO III.

DISTINCTIO IV.

FINIS.

76770596

